

ANTONII DRIESSEN
S. Theol. Doctoris & Professoris Ordin. Concionatoris Academ.

DILUCIDATIO ANALYTICA
LIBRI JOBI.

Verus Controversiae status Jobum inter & tres Amicos, & inter Jobum & Elihu, dilucidè indicatur. Verus Behemoth & Leviathan, eaque occasione Piscis Jonae, qui hactenus delituerunt in Lucem protrahuntur.

PRAEMITTITUR

DISSERTATIO de Veris Causis & Auxiliis interpretandi Linguam Hebræam Biblicam. Ad placidissimum Examen vocantur Viri Celeberrimi A. SCHULTENSII Origines Hebraeae: & defectus hodierni Linguae Hebraeae &c. Radicibus omnibus quas V. D. ex Arabismo induit novo significatu redditur suus significatus Hebraeus primigenius simplex proprius universalis. Accedunt Considerationes ad novam Ejus Versionem LIBRI JOBI.





GRONINGAE,

Ex Officina LUCAE A COLENBERGH, Typographi & Bibliopolae, MDCCXXXVII.



CELSISSIMO. ET. SERENISSIMO.

P R I N C I P I.

GUILIELMO. CAROLO.

HENRICO. FRISONI.

DEI. GRATIA. ARAUSIONENSI. ET. NAS-
SAVIO. PRINCIPI. COMITI. CATTIMELI-
BOCORUM. VIANDAE. DIETZIAE. SPIEGEL-
BERGAE. LINGAE. MEURSAE. BURAE.
LEERDAMI. MARCHIONI. VERAE. VLIS-
SINGAEQUE. DOMINO. ET. BARONI. BRE-
DAE. GRAVAE. BIELSTENII. LIESVELDIAE.
DIOECESEOS. CUKIANAE. DIESTAE. GRIM-
BERGAE. HERISTALLI. GRANENDONCKI.
VARNESTONI. ARLAEI. NOSEROCI. S. VI-
TI. DASBORCHI. POLANI. GUILIELMOPO-
LEOS. NIVARTII. ISELSTENII. STEENBER-
GAE. S. MARTINODICI. MONTIS. GER-
TRUDIS CASTELLORENARDI. SEVENBER-

GAE. SUPERIORIS. AC. INFERIORIS. SUALVAE. NALTVICI. BURGGRAVIO. HEREDITARIO. ANTVERPIAE. ET. BESANCONII. DOMINO. AMELANDIAE. GELRIAE. GUBERNATORI. ET. ARMORUM. PRAEFECTO. SUPREMO. FRISIAE. ITEM. GUBERNATORI. HEREDITARIO. ET. MILITIAE. SUMMO. DUCTORI. GRONINGAE. ETIAM. AGRORUMQUE. CIRCUMJECTORUM. NEC. NON. DRENTIAE. GUBERNATORI. MILITIAEQUE. RECTORI. ALMAE. FRISIORUM. ACADEMIAE. CURATORI. HONORARIO. MAGNIFICENTISSIMO.

ANTONIUS DRIESSEN.

Quan-



Uando Purpuram Tuam publice veneraturus, Commentationem hancce cum Annexis inscribere sustineo *Celsissimo Nomini Tuo*, GUILIELME PRINCEPS; ut materiem non esse indignam intelligas, illud mihi significare liceat, praeter in lucem protractum, quod confido, delitescentem hactenus Jobi *Behemotum* & *Leviathanem*, eaque occasione *Piscem Jonae*, in hoc Libro *Traditionem Abrahamicam*, *apud Jobum*, qui ex Nachore Abrahami Fratre ortum ducit, *servatam de vivo Goele & Justitia fidei*; in hoc Libro *triumphare Traditionem Esavicam*, *quae hanc* Ju-

Justitiam non agnoscit sed repudiat, quam Traditionem Ejus tenebant Amici (a quibus distinguendus Elihu) e posteris Esavi, verosimillime omnes tres. Has ego Hypotheses in interpretando hoc Libro reconditiore secutus fui; & confecto jam opere positas adhuc clariore in luce contueor, atque fidentius nunc affirmo, quam in ipso Commentario. Hoc ut ad liquidum deducam, esse Monumentum hoc Canae Vetustatis Trophaeum illustrissimum *Fidei justificantis*; & condemnationem *justitiariorum* omne genus & omne tempus, Veniam submissimè flagito ut de hoc Argumento verè principali apud TE, eximium quoddam Principum aevi nostri Decus! edisseram, confisus, Tibi, qua celsiore es Anima, illud non displiciturum prae eo quod vulgò Dedicationum esse solet, & quae in Epistola Nuncupatoria caeteroquin offendit, Prolixitatem, hancce meam commendaturam apud Principem melioris Literaturae omnis praesertim Theologicae amantem.

Oportet illam Controversiam Jobum inter & amicos, & eam Jobum inter & ipsum Deum, maximi esse momenti ad quam dirimen-

mendam ipse apparet Deus, primum Jobo, ad ipsum gravissimos habens sermones ex procella; deinde Eliphaso. Quis fuerit controversiae status Jobum inter & amicos ex ipsa Dei judicis Sententia lucidissimum est. Certe non aliam diremit Deus, quam qualis revera exstitit. Pronunciat Deus JOBUM DE DEO RECTE ESSE LOCUTUM, NON RECTE LOCUTOS ESSE AMICOS Cap. XLII. 7. 8. Ergo controversiae status hic erat: qui recte de Deo & relligione sentiant, Jobus an ejus amici. Sitne Jobus hypocrita an vir integer? princeps non fuit controversia, sed consectarium quod amici ex Jobi doctrina, relligione & gravissimis afflictionibus ejus eliciebant, quodque sponte ruebat per adsertos Jobi veros de relligione sensus. Quare de eo nihil in peremptoria Judicis Sententia. Quando igitur Jobus recte sentit & loquitur de Deo & relligione, non recte sentiunt & loquuntur ejus amici, oportet Jobi & amicorum diversissimum esse quod ad religionem revelatam Principium. Rationis illud tenebatur utrimque; unde non solum Jobus sed & amici unum Deum caeli terrae-

que

que creatorem legislatorem & judicem toti universo praesidentem & providentem agnoscunt, longe rectius ratiocinantur reliquâ Philosophorum Gentilium Scholâ. Sed quod ad relligionem revelatam, longe diversum tenent principium. Jobus agnoscit ex Abrahamicâ Traditione GOELEM illum sua satisfactione peccatorem redimentem, sicque JUSTITIAM FIDEI. Pariter agnoscit *Elihu* Jobi cognatus. Esse hoc fundamentum relligionis Iobeae, non est quod dubitemus. Certe ubi sacer scriptor, & Deus ipse Iobum praedicat esse *Virum integrum, rectum, Dei timentem* vel Deum colentem, *& a malo recedentem* Cap. I. 1. 8. II. 3. non intelligit aliam integritatem & rectitudinem quam eam hominis per divinam gratiam renovati, credentis & justitiam fidei habentis; neque alius est verus Dei timor quam hic filialis qui nascitur ex principio amoris Dei & justificantis fidei. Certe post lapsum non alia quam Deus laudet integritas rectitudo & vera relligio obtinet. Ubi Iobus narratur rem sacram facere, haud dubie subintelligendum est, sacrificasse ipsum per fidem, alioquin hoc ejus pietatis exercitium

tium non commendaretur. Quando igitur Iobus loquitur de innocentia integritate justitiaque sua, vel intelligenda est ea quae necessario supponit justitiam fidei cum eaque connexa est, vel, quia talem quae in statu recto obtinebat non agnoscit, intelligit saltem talem qualem quis ex principio honesti, rationis vel conscientiae exerceat, homo etiam divina Revelatione destitutus. Sed an hanc Iobus tantopere jactet, cum ea non tantum in tam multis deficiat, sed nihil quod formaliter rectum sit praestet? Manifestissimum est non aliam sibi tribuere justitiam, non aliam integritatem quam quae est hominis justificati per fidem in Goelem. Et dum Apostolus Iacobus Cap. v. 11. Ecclesiae Christianae Iobum ponit in Exemplum Patientiae, non aliam intelligit Patientiam quam quae nascitur, & perdurat ex principio fidei salvificae & justificantis.

Unde jam elucescet diversus de Deo & relligione sensus amicorum Iobi. Damnat Eliphasus Iobi relligionem, illi innixam expectationem, quamque Iobus sibi tribuebat integritatem, quae per hasce Iobi afflictiones,

 nes,

nes, prorsus extraordinarias & Dei Iobi relligionem & institutum improbantis indices, stultitiae & impietatis sit manifesta. Cap. IV. 6. *Nonne* (est haec simplicissima verborum versio) *relligio tua est stultitia & impietas tua* (vox כסל utramque significat) *exspectatio tua & integritas viarum tuarum*, subaudiatur & repetatur ex priori membro *est stultitia tua?* Certissimum est, jam ante Iobum inter & amicos saepius habitos fuisse Sermones de vera Deum colendi ratione sicque de illa veritate quae regnabat in Traditione Abrahamica: *& credidit Abrahamus*, & quisque verus Abrahami filius, *Deo & hoc illi imputatum est in justitiam*. Hinc cum Iobum gravissimè a Deo percussum observant, & pro suis hypothesibus non possunt non hoc adscribere Iobi impietati, &, quia virtutem tamen simulavit, pessimae ejus hypocrisi; concluserunt, illam Jobi relligionem de imputata justitia excludere necessitatem bonorum operum, & esse impietatem & stultitiam. Audimus sic eandem calumniam nullo non tempore adversus doctrinam de fide justificante effutitam, quam Paulus ex instituto refutat ad

Rom. vi. Quamque in notabilissimo hoc actu refutat ipse Deus tandem apparens, Jobi amicos stultitiae & impietatis damnans, vincente sic Fide Abrahamica. Dilucidiora haec erunt si attendimus Oraculum illud quod Eliphasus jactat vs. 12 & sequentibus. Certum est, hoc oraculum velut principium quoddam esse ex quo Eliphasus & Socii (repetit illud Bildadus Cap. xv. 14. 15. 16.) in Sermonibus suis adversus Jobum arguunt. Videamus igitur quid oraculum hoc contineat. Sic possunt & debent verba verti: vs. 17 *an miser homo justus erit ex Deo* hoc est a Deo tanquam judice justus declaratus, *& an Vir purus erit ex Factore suo*, hoc est purus ab illo declaratus, an Deus declarabit hominem jus aliquod habere apud Deum. Videre est hanc versionem apud *Coccejum* aliosque & illustratam a *Gussetio*: vs. 18. *Ecce servis suis hoc non confideret & in Angelis suis hoc poneret* vel *reputaret stultitiam*. Ne quidem Angeli qui Deum maximum suum benefactorem agnoscunt jus aliquod apud Deum sibi arrogant, quod si facerent, Deus hoc in ipsis pro stultitia haberet. vs. 19. *Quanto magis in misero* peccatore *luteam domum*

habitante hoc reputet ſtultitiam? Certe ſive vertam *juſtus ex Deo* ſive *juſtus prae Deo*, intelligi debet aliquid quod juſtum Oraculi ſit argumentum. At vero hanc adſerere theſin *nullum hominem Deo eſſe juſtum magis* nulla revelatio neceſſum habebat. Quis qui Deum eſſe credit non ſimul credit Dei juſtitiam humana & Angelica eſſe majorem? Neque exiſtimare potuit Eliphaſus Jobum hanc theſin qua theſin rejicere. Et, ſi vel ex ſermonibus Jobi ſequuturis amici hoc in Jobo arguunt per concluſionem quae ex Iobi dictis elici poſſit *quod juſtus ſit prae Deo*, conſectarium non poſitionem ipſi objiciunt. Et quod maxime huc ad rem facit, hactenus in querulo illo Iobi ſermone nihil erat unde Eliphaſus extunderet Iobum ſe prae ipſo Deo juſtum jactitare. Certe aliud eſt verbis ſignificantisſimis conqueri de ſorte ſua triſtisſima, aliud Deum injuſtitiae poſtulare, ut ejus conſequens ſit tuam juſtitiam Dei juſtitia eſſe majorem. Quando igitur verſio *prae Deo* nequit obtinere, illa tenenda *ex Deo*. Sed quis ſenſus? An; homo in hac illa cauſa juſtus erit ex Deo tanquam judice? O-

ar-

raculum intendit quid quod absurdum est; at vero quae in eo absurditas si quis injustè accusatus a Deo absolvatur & per haec illa facta justus, quod ad hanc illam causam, declaretur? Reliquum igitur nihil est quam Eliphasum oraculum hoc allegare non saltem adversus illas Iobi querelas, sed adversus Iobi doctrinam & relligionem quae in hanc exeat impietatem & stultitiam, *hominem jus aliquod habere apud Deum.* Oraculi mentem si tenemus, ex quo velut Theologiae suae principio amici Iobi adversus Iobum sapiunt, non obscurum erit oraculi auctorem detegere qui Eliphaso tam erat obscurus. Attendamus ipsius descriptionem factae sibi divinae revelationis. Omnes divinarum revelationum modos ipsasque revelationes vere divinas commentatus sum, manifestos divinitatis characteres ubique observans. Heic alia offendo omnia. Contingit ipsi haec revelatio vs. 12. *dum Sopor cadit in homines*, ergo in somnio. Sed an character hic ullus somnii divini? Dum alias in somnio confusae sunt cogitationes, in somniis divinis est intellectio & imaginatio vividissima & distinctissima. Eliphasus ipse fatetur factam sibi re-

revelationem *inter phantasias nocturnas perplexas* vel ramorum instar *dispersas cogitationes*; neque vi originationis שעיף vox aliter verti potest. In quibus praeter hunc locis occurrit significat *cogitationes instabiles* non fixas 1 Reg. XVIII. 21. *praecipitatas* Iob. XX: 2. Cognatum Ps. CXIX. 113. pariter malo venit significatu. Cogitationes heic intelligendae quales dormientium & somniantium. Male Vir Doctus aliquis habet pro *exstasi*; nihil magis abludit ab exstasi quam cogitationum perplexitas, neque exstasis obtinet in somnio, quod docent quae ego de exstasi commentatus sum dict. Tract. Vidit aliquid, quod omnis sermo indicat, vs. 15. 16. *Speciem* nempe *stantem coram oculis ejus, sed faciem non agnovit*, eam videndam non praebuit, quod aliter habet in omni somnio divino. Ratio fuit huic Spiritui veram suam faciem occultare. Sic dicit vs. 12. *hoc verbum ad se furtim esse delatum*, nempe ab ignoto autore qui manifestare se noluit. Noster dum *murmur* vel *susurrum* hujus Spiritus accipit vs. 14. *totus est conturbatus*. Accidit & idem viris Sanctis, sed dum revelationem excepturi erant jussi sunt metum ponere & ponebant. Hoc

ex nostri revelatione non liquet. Cum *per vor ipsum invasit* isque *horripilare faciebat pilos carnis ejus* murmur hoc auribus ejus insonuit.

Habemus principium Theologiae Eliphasi & Sociorum, nempe revelationem Spiritus alicujus justificationem quae per fidem est impugnantis. Quare dum Bildad Cap. xv. 14. seqq. repetit oraculi verba, Jobus respondet Cap. xvi. 4. *Cujus Spiritus exiit ex te?* Certe Spiritum Dei non agnoscit. Ulterius Theologiae suae fundamentum laudant *Sapientes majores suos* Esavitas, quorum character manifestissimus est Cap. xv. 18. & seqq. quibus Deus singulari modo haereditatem dedit; videatur hoc Deut. 11. 22. 23. Et conferatur Cap. VIII. 8. 9. 10. Igitur alia illorum Theologia quam Abrahami, Isaaci & Jacobi. Pariter Elihu satis innuit Cap. XXXII. 8. 9. illos tres viros Spiritu Dei cassos esse, quod sibi arrogat ipsis derogat.

Manifestum est etiam ex verbis Cap. xv. 7-10. & vs. 18. 19. Jobum sibi arrogasse Sapientiam aliquam quam amicis derogabat quod ipsis stomachum movit. Inde est quod dum existimat Eliphasus in suis sermonibus

esse *consolationes Dei* Cap. xv. 11. Jobus contra dicat ipsos esse *consolatores molestos* Cap. xvi. 2. Si Deus faciat aliquid quod videtur favere hypothesibus amicorum, hoc Jobus vocat *affulgere consilio* רשעים *hominum justitia fidei distitutorum* Cap. x. 3.

Purius ergo est principium Theologiae Jobeae nempe *Verba Sancti* i. e. triunius Dei Cap. vi. 10.

Ubi Jobus Cap. xvi. 19. 20. 21. dixerat: *Etiam nunc ecce in Coelis est Testis meus, & Concius meus in excelsis. Illudunt mihi amici mei. Ad Deum stillat oculus meus. Ut ille* Testis meus *apud Deum* mihi misero *Viro jus curet*, & idem pro me *proximo suo* agat *Filius hominis*; quae verba simplicissimè, & quod par est in maximà emphasi sic vertuntur & accipiuntur (videatur hoc adsertum pag. 68. & 69.) Ut per *Testem* illum & *Elohim* ad quem stillat oculus ejus, intelligatur Spiritus S. operis divinae Gratiae in Jobo auctor, & per *Filium Hominis* secunda hypostasis, & per *Elohim* apud quem causa disceptetur, & Jobo jus curetur, Deus Pater, quando heic habemus S. Triados Mysterium: Et ubi post interjec-

tas

tas querelas de citatissimo cursu appropinquante morte sua ita perrexerat Jobus Cap. XVII. 3. *pone* vel interpone te, *sponde pro me* o! mi Goel. *Quis ille qui manui meae complodat manum*, Quis, si tu o! Deus causam meam publice agere velis, pignore aliquo mecum contendere ausit vel amicorum meorum aliquis, vel alius pro illis, non meam, sed ipsorum Causam victuram; addit vs. 41. *Cor ipsorum abscondisti ab* illa *intelligentia* qua opus divinae gratiae dignoscant & de his mecum viis rectè judicent, *ideo non facies ipsos superiores* in hac causa. Ego certe pro mea causa triumphatura confido me sponsorem habiturum te ipsum, Dei hominisque filium, si si modo publicum de Causa mea arbitrium facere voluerit Deus Pater. Illi sponsorem pro se in hac Causa habebunt nullum, vel hominum, vel & quod majus est nullam divinarum personarum. Manifestum est ex his quod Jobus amicis suis veram intelligentiam triunius Dei & operis divinae gratiae, [illegible] deroget. Sed ecce argumentum omni exceptione majus. Ipse Jobus cum edidisset praeclaram illam Fidei suae de vivo Goele

 suo

ſuo Confeſſionem, aevum per omne in Eccleſia Dei ſonituram, eodem velut halitu ſignificat quod amici ſui propterea ſe perſequantur quod haec *radix verbi*, i. e. fundamentalis illa veritas de Deo Goele in ſe ſit inventa (Eſt haec in ſchola orthodoxorum receptiſſima interpretatio *radicis verbi* oppoſite ad radicem nequitiae & incredulitatis conf. Deut. XXIX. 17. 1 Tim. VI. 10. Hebr. XIV. 15.) Quare graviter monet ſibi metuant a vindicta divina & juſto Dei judicio aliquando a coelitus redituro Goele agendo. videatur Cap. XIX. 23-29. Quomodocunque verba vertantur & nexus conſtituatur, hunc non alium Jobi verba ſenſum fundunt : vs. 28. *Quoniam* vero *dicitis*, vel *quia dicitis*, vel *Profecto dicetis quam perſequemur ipſum!* Nempe inimicis noſtris ſermonibus fidem ipſius impugnantes conf. Gal. IV. 29. Ta מה verti non debet *cur illum perſequemur?* negative, ſed o! quam maſcule illum perſequemur! quod jubet connexa comminatio vs. 29. Neque τu מה vim illam interrogative negandi habet. Ecce igitur Jobi amicos oſores radicalis doctrinae de Goele.

Etiam

Etiam Jobus Cap. XXVIII. Sapientiam, & quidem quod nos ad illud Cap. demonstramus, Sapientiam summam vel hypostaticam describens supponit illam Amicis suis ignoratam esse.

Disputationis autem Iobum inter & amicos forma modusque hic est. Eliphasi thesis est *Jobi relligionem esse stultitiam & impietatem uti & ejus exspectationem & integritatem viarum.* Demonstrare illam conatur cum a *posteriori*, ex ipso eventu quae demonstratio liquidior esse solet, cum *a priori*, ex revelatione divina sibi facta quacum pugnet Iobi relligio. Prior demonstratio haec est. Institutum tuum, o Jobe! tuam secundum relligionem est impium. Ergo relligio tua est falsa & impia. Institutum tuum esse impium manifestum est ex illis tuis afflictionibus. Pono heic, de quo dico in prolegomenis, hos tres Jobi amicos fuisse ex posteris Esavi, unde intelligimus non Abrahamicam & Iacobaeam, sed Esavicam illos tenuisse Relligionem. Pono Esavum ejusque posteros externa benedictione divina admodum fuisse mactatos vi

benedictionis ab Isaaco in Esavum pronunciatae. Singulare benedictionis divinae externae indicium fuit in data Esavitis Choritarum terra, quod beneficium confertur cum Cananeorum hereditate data Israëlitis Deut. 11. 12. 21. & 22. Videantur quae nos observamus ad Iobi caput xv. 18. *in Considerationibus.* Horum hominum fortuna admodum florentium Theologia fuit, *virtutis mercedem semper esse benedictionem divinam corporalem, hanc semper esse indicium divini favoris; contra aerumnas, praesertim graviores, indicium esse afflictorum impietatis, divinaeque irae.* Discutitur ergo haec ratio contra relligionem Iobi, *an bonis semper bene sit, malis male, quod ad conditionem externam?* Eam tuentur amici velut multis comprobatam exemplis, itendidem postulantes exemplum contrarium quod dari non possit. Iobus contra rejicit, contrariis adductis exemplis & rationibus, vanissimam hanc argumentationem, suam contra relligionem suamque integritatem.

Ita tamen utrinque haec ratio disceptatur ut hinc inde specialius nonnunquam utrimque misceatur aliquid de *imputata illa justitia qua homo*

sit

ſit juſtus coram Deo. Contra quam juſtitiam fidei Eliphas cum Sociis diſputant ex oraculo illo Cap. IV. Iobus contra hanc ſuam juſtitiam tenet ut comprehenſam *in verbis Sancti quae non abnegavit* Cap. VI. 10. & fundatam in Goele ſuo quem praedicat Cap. XIX. Iobi illam juſtitiam vel non ſatis bene intelligunt vel maligne interpretantur amici quaſi ex ea ſequeretur *utilitatem aliquam redundare ad Deum ab hominis pietate*, videatur Cap. XXII. 1. Jobi illum in querelas exceſſum non interpretantur Jobi infirmitatem aliquam, ſed quid fluens ex illa doctrina de imputata juſtitia; hinc abſurdum hoc eliciunt *hominem hunc ſe juſtificare prae Deo*, & tum ex hoc abſurdo contra Jobi doctrinam arguunt. Non diſtinguunt inter *τὸ jus omnino auferre*, & inter id quod Iobus intendit, *Deum equidem juſte in his ſecum agere, agere ſi velit pro abſoluta ſua poteſtate, ſed ſe hanc actionem conciliare non poſſe cum relatione hominis juſtificati ad Deum.* Sed quae non diſtinguunt tres illi, diſtinguit *Elihu*, contendens, *ſi vel vera ſit de imputata juſtitia doctrina, tamen Jobum juſtum non eſſe in eo quem nos exceſſum in Jobo notavimus.* Vi-

demus igitur distincte, quomodo tres amici contra Iobum disputent, & quomodo disputet Elihu. Sed quaeritur, quam ergo Iobo commendent viam ad felicitatem & ex hoc miserrimo suo statu restitutionem? Passim hortantur ad *resipiscentiam & gratiae divinae implorationem* vid. Cap. VIII. 5. XXII. 23. Sed, quia in Sermonibus ipsorum nullum est indicium quod Goelem norint, Angelum illum interventorem qui lytron invenit, sed contrarium quod vidimus, intelligunt haud dubie universalem aliquam gratiam & misericordiam divinam, resipiscentiae principium, verum gratiae conferendae fundamentum ignorantes.

Hic nisi sit controversiae status Iobum inter atque inter amicos, verba Dei *servus meus Jobus recte de me fuit locutus, vos autem non recte de me estis locuti*, quibus Iobus absolvitur contra amicos qui condemnantur, aliud non significabunt, in eo recte pronunciasse Iobum *afflictiones non semper esse indubium indicium impietatis, benedictionem externam pietatis, cujus contrarium perperam tenuerint amici.* Sed attendatur, si aliud nihil subsit, haeccine sit suffi-

fi-

ficiens causa cur Iobo decernatur triumphus adversus amicos tam graviter a Deo condemnatos? Esto, bene in eo locutus fuerit Iobus, male amici. Certe Iobus etiam talia locutus erat, quae, quamvis non intenderit Iobus, per legitimam consequentiam eo tendere poterant quod se sic justificaret ut Deum alicujus injustitiae argueret, de quo ipsemet Deus ipsum gravissime monuit Cap. XL. 3. Uti & quod Dei consilium obscurarit verbis sine scientia Cap. XXXVIII. 2. Videtur igitur omnino, ut tamen vincat Jobi causa, ut sit fundamentale discrimen inter rectos Iobi sermones de Deo & non rectos amicorum, quod fundamentaliter recte de Deo & relligione sentiat & loquatur Iobus, quamvis in circumstantia aliqua affectu abreptus erraverit, non fundamentaliter vero de Deo & relligione recte sentiant & loquantur amici sed errent. Sic per nostram hypothesin fundamentale discrimen est inter Iobum atque amicos.

Pondus hisce accedit grave, si attendimus, Elihu, quod ad illam thesin: bonis semper externè etiam esse benè, malis male, eundem cum tribus hisce errasse errorem. Ille equidem

dem, quod intelleximus, ex alio principio & aliis rationibus contra Jobum disputat, sed tamen & ipse tandem tenet nexum hunc indivulsum inter veram virtutem externamque felicitatem, & inter veram resipiscentiam & restitutionem in externam tranquillitatem prosperitatemque; Quare & ex hoc principio Jobum, jam aliis rationibus confutatum, accenset hypocritis, & resipiscentiam ejus veram hactenus non fuisse arguit, quod necdum pristinae felicitati sit redditus. Vid. Cap. XXXVI. meumque ad illud commentarium. Et tamen in actu divino peremptorio Controversiam finiente non condemnatur Elihu, qui non tantum in dicta illa thesi a vero aberrat, sed non uno modo locutus fuerat non rectè. Meritò equidem Jobum in quibusdam reprehenderat, quousque solide, non determino; sed injurius fuit in opus divinae Gratiae in Jobo quem hypocritis & hominibus impientissimis annumerat, verae resipiscentiae in illo principium hactenus desiderat, non attendens ea quae in Jobo meritò reprehenduntur cum opere divinae Gratiae posse consistere, & fallere suum criterium col-

collatae vel non collatae Gratiae, & animi verè resipiscentis necne. Et tamen non condemnatur Elihu, dum Deus exertè dicit ad Eliphasum: Tu & duo amici tui; & tres illi nominibus suis expressi, non Elihu, jussum divinum executi leguntur vid. Cap. XLII. 7. 9. Cujus rei pulchram intelligimus rationem hanc: non jam disquiri, an hic ille in hac illa circumstantia erraverit & ex errore locutus fuerit; sed quis in vero fundamento relligionis steterit sicque de Deo in Filio suo redemptore rectè senserit & locutus fuerit. Fundamentum hoc pariter cum Jobo tenuit Elihu, Angelum nempe illum interventorem qui Redemptionis pretium invenit. Quare non condemnatur, sed, quod ad Relligionis fundamentum, in Jobo absolutus censetur.

Status Controversiae Iobum inter atque Deum est: *an Deus equidem juste cum Jobo agat pro absoluta potestate sed non pro relatione justificati hominis ad Deum.* In quo Iobus peccabat admodum, quasi ipse perspectam haberet rationem & modum omnem agendi qui conveniat, & qui non, cum tamen Deus saepius in obscuro habitat. Sic vias Dei secum ra-

tioni alicui, nempe actui divino pro mera absoluta potestate, adscribebat, cum potius suam fateri ignorantiam & Deo silere debuerat. Suas ergo vacillationes, infirmitates, ut quae tales afflictiones mereri non potuerint, quam par est clementior erat. Horum omnium semina adhucdum in reliquiis suis supersunt apud foederatos omnes, sed apud omnes se tam conspicuum in modum non explicant, quia omnibus non tanta est παρρησία ac Jobo, qui consummatissimum sanctitatis fuit exemplum, a Jesu si recesseris; neque omnes tam duris afflictionibus subjiciuntur. Sic pariter in hoc patientiae exemplo discrimen est inter patientem hominem interque patientem Jesum.

Ad hujus nobilissimae Controversiae divinitus terminatae statum si his quae nunc edisserui lubet addere, quae in ipso Commentario dico ad Cap. XLII. 7. Et quae ad calcem Commentarii adjicio pag. 191. habes, CELSISSIME PRINCEPS, dignam quae Tibi dicetur, dignam Meditatione Tua Materiem; ne nunc de reliquo hujus Scriptionis meae argumento commemorem aliquid. Habes

vincentem Iobi *Goelem*, Elihu illum *Angelum Interventorem*, qui Reatum, quem in Adamo, Generis humani & Foederis Operum vero suo nomine sic dicti, Capite, contraximus omnes, *perpetiendo* sustulit, & *obediendo* jus ad vitam aeternam suis meruit, quod utrumque necessario ingreditur illud λύτρον redemptionis pretium quod ipse invenit; eoque τῷ ἀκριβοδικαίῳ, omni Rigori justitiae divinae, tam plenè fecit satis, acsi nos, quotquot in illum credimus, ipsi praestitissemus quod ille praestitit. Haec est illa, nullam sui partem mutilanda, Iustitia Fidei, quam ex Traditione Abrahamica tenuit Iobus, quae Relligionis Protestantium Anima est, Dogma *stantis vel cadentis Ecclesiae* ut recte Megalander LUTHERUS. Haec est illa Fides justificans, Christi & *perpessionem* & *sanctitatem* amplexa velut utramque suam, quam, Belgicae Libertatis adserendae fundamentum, propugnarunt & non uno modo impugnatam vindicarunt magni Statores CELSISSIMI MAJORES TUI. Hi Serenitati Tuae duplicem reliquerunt Hereditatem, alteram in Solo Belgico sitam, vicissitudini obnoxiam;

alteram in Fundo ſitam nobiliore, ipſis Belgarum Animis, perpetim in illis haeſuram, donec DOMUI ARAUSIONENSI ET NASSAVIAE Libertas Belgica, Legum AEquitas, & Relligionis Reformatae intemerata Sanctitas praecipuae erit Curae. Quod ut Ipſe cum AUGUSTA CONJUGE longos in annos experiaris; & experiatur feliciſſima POSTERITAS Tua, ſtatura dum ſtet Belgium, ſubmiſſe voveo. Scripſi Groningae ad. d. 1. Maji A. M. D. CC XXXVII.



PRAE-

PRAEFATIUNCULA.

Uam Libro Jobi analytice illustrando non segnem impendi Operam Tecum communico B. L. Libri hujus interpretandi veras Hypotheses expono & adsero in Epistola nuncupatoria ad SERENISSIMUM PRINCIPEM quam legere oportet. Etiam de illis ago in Prolegomenis ad Librum Jobi. Meliorum Interpretum versiones & commentationes sedulò expendi quamvis non ubique omnes allego. Ubi cum ipsis sapio, quae habent in usus meos converto ipsissimis etiam quandoque illorum verbis sed compendefactis. Ubi in quam plurimis aliter sapio ab illis abeo. Parermenias ubi operae pretium videtur data opera detego & refello; ubi sponte sua labuntur illo labore supersedeo in gratiam Lectoris. Dissertatio de veris caussis & auxiliis interpretandi Linguam Hebraeam Biblicam, & Considerationes ad Novam versionem Jobi &c. Te ducent ad veriorem & faciliorem Libri hujus reconditioris intellectum, quare has & istam praevie legas Tibi suaserim. Deus qui Lux ipsa est in omni Scripturae scrutinio Mihi Tibique affulgeat! Vale.

ELEN-

ELENCHUS IN HOC SCRIPTO CONTENTORUM.

mi-

[illegible]

DISSERTATIO
DE
VERIS CAUSIS ET AUXILIIS INTERPRETANDI LINGUAM HEBRAEAM BIBLICAM.

§. I.



Icce meus in Jobum Commentarius analyticus typis descriptus prelum exiturus cum esset, ad me pervenit Celeb. A. SCHULTENSII *Liber Jobi cum Nova Versione & Commentario perpetuo* &c. Opus copiosissima eruditione refertum, multa industria, longo Linguarum Orientalium usu elaboratum. Literatura omnis, haec illa ista, quae alibi divisas incolunt sedes sicque sibi invicem invident, in Virum hunc Cel. pium pariter & eruditum conveniunt, in una morantur sede, se mutuò blandè deosculantur. Observo equidem meam & V. C. curam in hoc Libro exponendo non per omnia idem intendisse. Ipse magis circa literalem, ego magis circa realem, breviter dilucitata litera, sensum, praesertim circa perpetuam hujus Libri Analysin occupatus fui. Video tamen Viri Cl. in interpretando hypothesin, ipsius versionem, sicque literalem & realem expositionem, quemadmodum ab illis Aliorum sic & a meis in bene multis abire. Quare ne opus praestantissimum negligere viderer, faciendum esse existimavi, ut si in his illis deprehensurus essem Ejus hypothesin, versionem sicque expositionem mea meliorem, meam cum Ipsius illa commutarem deque eo Lectorem monerem. Si vero in his illis Viri eruditissimi hypothesis versio & expositio mihi non rectè videretur procedere, meaque esse tenenda, dissensum ut meum dissensusque rationes placidè bre-

viterque significarem ea libertate qua Vir Doct. merito fuit usus in dissentiendo a mortuis non tantum sed & adhucdum viventibus vigentibusque. Sed quia politissimus SCHULTENSIUS eandem insistit viam quam in suis *Linguae Hebraeae Defectibus* iisque resarciendis & Linguae Hebraeae originibus inflexerat, quod & in Praefatione declarat, intelligo fundamentorum horum soliditatem esse tentandam, sicque dictas illas Tractationes Discussioni amicae permittendas esse. Si ex Arabismo ea qua Vir πολυμαθέστατος instituit Methodo lux magna S. Codici affundi possit, vincat V. C. Hypothesis & per meam hanc oppositionem nitidior effulgeat! Grata mihi lux est qua data cunque manu, praesertim manu Viri amicissimi pientissimi. Si vero justus esse possit metus, si tot receptos vocum Hebraearum significatus praeter necessitatem & invitis verae Hermeneutices Legibus migremus, vocesque incognito hactenus, longe diverso significatu ex Arabia advecto induamus; ne sollicitudo quem incessere possit, dubios esse hactenus in quamplurimis dictionum S. veros significatus, itendidem posse figi & refigi variante hypothesi & methodo, praesertim si haec illa vires acquirit eundo (omnem praeter & contra intentionem Viri S. Scripturae reverentissimi qui nonnisi Lucem novam hactenus desideratam illi infundere omni industria, vigilia et cura laborat), haudquaquam prohiberet V. D. sua exigi ad severam logicamque methodum; quando tamen pretium non peribit Viri cultissimi Lucubrationibus et usus, sed manebit suus aliò saltem flexâ illa methodo quae perperam significatus secundarios et allegoricos cum primigeniis simplicibus et universalibus confundit, tot peregrinos et metaphoricos significatus in texus S. invehit.

§. II. Ut ergo in rem praesentem veniamus. Sedulo circumspiciendum est quae media vel adminicula divina providentia destinavit omni tempore ad publicum & magnum in Ecclesia usum comprobatum eventu irrefragabili. Juremerito praesumimus pro cura & amore quibus Deus est erga Ecclesiam Suam id voluisse illa praecipuum quiddam habere, magnum quid in iis praestitum esse & insignem cum illis connexum esse benedictionem. Nemo inficiabitur, versionem Grae-

Graecam, quae multis nominibus primas heic tenet (de qua versione suo loco dicemus plura) versiones alias vetustas, Judaeorum etiam operam in litera verbi divini positam, qui & in eo, mira Dei providentia faciente, veritati Christianae servire debuerunt; & Lexicographos his adminiculis adjutos nunquam satis depraedicandam attulisse utilitatem, magnam accendisse facem in indagando figendoque vero sensu S. Litterarum, praesertim post instaurata Sacra puriora, magnos in sacris & literis sacratioribus heroas illos ex his omnibus profecisse quam plurimum ad communem Ecclesiae aedificationem, docti piique illorum labores aevum per omne loquentur.

§. III. Quare nihil temere agendum est vel directe vel indirecte, per quod illa adminicula in quibus suppeditandis mirabilis & benigna fulsit Dei providentia, & quorum usus longo tempore divina benedictione uberrima comprobatus est, magis vel minus vilescant; & ne in illorum locum reponantur ejusmodi adminicula obscuriora, quae expressos illos mirabilis & benignae providentiae divinae ad publios Ecclesiae usus ea destinantis characteres non habent, & propterea illam quam diximus divinam benedictionem promittere non possunt: imo quae forte a regia & calcata piis doctisque Majoribus nostris via a vero S. litterarum significatu & purissimo idiotismo biblico in avia & significatus alienos, inficetos, majorem elegantiam nequicquam pollicitos, & quaesitos admodum abducerent, & novam nescio quam linguam scripturis invitis obtruderent. Laetus lubensque agnosco, si quae dialectus orientalis, praesertim Arabica, illustrandae Hebraeae matri officium filiale praestet. Sed hactenus nullus admiserim ex Lexicographis & scriptoribus Arabicis lucem ea methodo ac volunt V. DD. aliqui interque illos Literator princeps Vir Celeb. in Hebraeam matrem infundi: hujus adminiculi usum tam esse praedicandum, & receptis hactenus adminiculis tam esse anteferendum, ut de his abjecte sentias & res suas sibi porro habere tantum non jubeas. Contraria mihi prorsus sedet sententia si specto Dei Ecclesiae suae invigilantis providam curam & multa benedictione omni tempore comprobatam. Fateor, si cui volupe sit omnes receptorum adminiculorum convalare qui

videntur defectus et errata; illisque ex adverso ponere pulchra omnia quae Arabismus ille, praesertim in radices Hebraeas veris originibus suis reddendo, defectus illos supplendo, errata emendando, et Hebraeam matrem nativo suo genio et lumine collustrando, promittit, speciem qua delecteris et alliciaris oculis objicere. Sed vicissim si quis longo ordine recensere voluerit multiplicem usum, quem nemo cordatus negaverit, receptorum adminiculorum, qui Arabismum omnem multis parasangis post se relinquit, et defectus lucis illius Arabicae caligantis et malefidae in bene multis in quibus gratissimam lucem spargunt recepta nostra adminicula, alius haud dubie isque diversissimus erit adspectus. Ego autem in laudando vindicandoque adminicula recepta non texam Catalogum multiplicis usus quem praestant, sed ad amicissimum examen revocabo naevos et defectus, qui in illis culpantur, et pulchrum illud quod in Arabismo praedicatur naevis illis & erratis sic emendandis ex adverso positum, in Viri eruditissimi *Originibus Hebraeis*; *& Defectibus Linguae Haebraeae iisque farciendis*. Ut si vel in his vincant adminicula recepta & probati usus, & succumbat Arabismus, adminicula recepta cum longe inferioribus non permutemus, quamvis suum illis usum non negemus.

§. IV. Versiones, & ex iis Lexicographi, faciente divina providentia, reddiderunt nobis vel significatus *primarios*, *simplicies*; vel *secundarios*; significatus *universales*, vel ad haec illa subjecta *determinatos*, quando mediante significatu secundario, vel universali his illis rebus particularibus applicito, ad significatum primigenium pulchre adscendimus. Conservarunt, inquam, si non Interpretes & Lexicographi omnes ubivis, certe plerique, saltem aliqui, significatus vel primarios vel secundarios; quando ex loci vel locorum, ubi vox aliqua occurrit, attenta consideratione, adhibito judicio critico, solide dijudicamus, qui Interpretes, & quibus in locis Scripturae S. (si iidem Interpretes in locis omnibus non eandem dant versionem) verum significatum tenuerint, & an ab ipsis expressus significatus sit primigenius an secundarius. Neque ubi a se dissident iidem Interpretes, vel dissidere videntur, mox exagi-

gitandi sunt; quia nescimus an ipsis an Librariis hic dissensus sit imputandus. Aliquando etiam non tam verba quam sensum reddunt, quod versioni ipsorum, in locis illis ubi verbum verbo reddunt, fraudi esse non debet. Satis est, divinam providentiam sic invigilasse ut in locis saltem quibusdam in veros nos duxerint significatus.

§. V. Id vero probe attendendum est, an versiones & Lexicographi exhibeant sensum *primigenium*, an *secundarium*; *simplicem*, an *tralatitium*. Haec cura praeprimis commendanda est ubi ex Lexicis & scriptoribus Arabicis lucem aliquam Hebraeis vocibus infundendam esse existimamus, ne pro *universali* primogenio & simplici significatu arripiamus significatum *secundarium*, *figuratum* &c. Ipse Vir Clar. *Defectuum* &c. pag. 24. Golium carpens *quod vocem Arabicam cujus primitiva vis est* mulgendi extergendique *reddiderit* colligere, acquirere, lucrari, *qui saltem sit significatus secundarius, nempe* mulgere, emulgere lucrum, *figura apud Latinos quoque recepta nec nostro sermoni incognita; ubi si quis* melken *improprie* emungere & emulgere pecunias alicui, *non discerneret a proprietate, sed extra figuram crederet* melken *primario significare* lucrari, *ne ille magnas in phrasibus nostris turbelas daret, atque omnia susque deque commisceret.* Eadem pagina sic loquitur de lingua Arabica *quae ut metaphoris circumfluit, ita omnes illas ex unius propriae ac promigeniae significationis scaturigine profundit*, NB. *quamvis non semper forte antiquissimus ille fons, vel ipsis Arabibus sit introspectus.* Probe igitur observandum est, an Lexicographi illi Arabes videantur potius convasasse *significatus omnes tralatitios* in quibus regnat & luxuriatur genius Arabicus, quam *significatus primogenios, universales & simplices* indagasse & exposuisse; & an vel ipsis *antiquissimus ille fons fuerit introspectus*? Finge ejusmodi Lexicum, ex quo *primos, proprios*, significatus haurias. *Narrare, indicare*, dicitur de Caelis & expanso: *scaturire, indicare scientiam* dicitur de die & nocte: *sermo, verba* &c. dicitur de Caelis. *Laetari, thalamus, esse adinstar sponsi & Herois, tentorium habere* dicitur de sole. Ps. XIX. *praeliari* dicitur de stellis. Jud. V. 20. *Novacula* dicitur de Rege. *Duo titiones* de duobus Regibus. Jes. VII, 4. 20. hoc tibi primigenios dabit significatus?

§. VI. Eamus nunc voces per omnes Hebraeas quas Vir Clar. ex Arabiſmo illuſtratum ivit.

SECTIO I.

Qua radix ישע / הושיע *a parermenia Arabica hebraeo ſuo genio decori & emphaſi redditur.*

IN ipſa introductione ante *Originum* ſuarum Caput primum duo illuſtria praemittit ſpecimina quae velut in anteceſſum rem totam conficiant. Primum & ſpecioſiſſimum quod nunc tantum attingimus, de altero dicturi ſuo loco, eſt verbum ישע. Gratulor mihi quod ordiendum ſit ab illa Radice quae ſuaviſſimo Soſpitatori Nomen dedit, humillime orans, ut quemadmodum ſcripta mea omnia, ſic meam in hiſce hypotheſin & methodum, & eam cariſſimi SCHULTENSII liceat ſancta ἀδιαφορία ponere ad Jeſu noſtri pedes, ut vel ipſius vel mea vel cadat vel ſtet prout Nominis ipſius gloria & verus ſcripturarum intellectus tulerit. Igitur in nomine Jeſu feliciter! Fuſius quia ſpecimen hoc in prima acie collacatur V. D. verba exſcribere non pigebit pag. 15-19. *Ubi quod illuſtrius ac luculentius in medium proferam vix habeo, quam ea radix, ex qua ſibi Dominus* Jeſu *nomen ſumſit. Hoc verbum, ſi in propria ſua vi ac dignitate, ſenſum interpretum adhuc refugiſſe, atque a nemine in ea amplitudine inſpectum eſſe aſſeverarim, in qua veteres illud Hebraei collocarunt; haudquaquam fines modeſtiae migraſſe, aut doctrinam alicuius vel auctoritatem violaſſe, quam procul a me peſtem verruncet Deus, videri potero· & tamen hac ipſa radice ejusque propaginibus nihil uſitatius eſt, nihil protritius, nihil quod ſe uberius in conſuetudine ſermonis ingerat aut diffundat. Ad Judaeorum profecto magiſtros adeas, & quid verbum* הושיע *contineat, exquiras; nihil aliud niſi* לשון ישועה *reſponſi loco auferes, ac ſi idem per idem declaratum dediſſe non penitus nihil eſſet: quod ſi tendas, &, quid ergo* ישועה *valeat, urgeas, cum* ענינו ידוע ſignificatio ejus nota eſt, *te demittent, atque ulteriore cura abſolvent: nihil attinebat ſcilicet, propriam primaevam atque ab ultima ſtirpe inſitam radicum indolem veſtigaſſe; tanti non erat, fontes verborum adiſſe, &*

quem

quem odorem, quam vim, quam significandi naturam intimam, prima ab origine ducant, persensisse. A magistris ad nostros te homines confer, & nihilo eos hac in parte feliciores deprehendes. Valde quidem liberales vulgo sunt lexicographi, & sex septem plura vocabula Latina, pro uno Hebraico largiuntur: salvavit *nempe, &* servavit, *&* auxilio fuit, opem tulit *etiam, vel ut* Forsterus, applicuit opem, *porro* tutum, incolumem, sospitem praestavit; *adde* eripuit, liberavit, in integrum restituit *aliaque quae eodem redeunt: at vereor ut haec ipsa copia nimiam prodat inopiam, & veri ignorationis manifestos faciat auctores suos. Quid enim causae quis dicet, quo minus adjungam multa ejusdem indolis & usus, quae jugis & beata latini sermonis scaturigo, ad rem hanc exprimendam, variis ex venis evergit effunditque; quae si omnia omni ex parte colligerem, atque ad radicem Hebraicam cumularem, tanto majoribus eam tenebris implicuisse videri deberem, quanto ampliorem lucem, ex verborum ubertate, prae me tulissem. Profecto ita res habet: etenim id nunc non agitur, quem usum nostra radix in consuetudine loquendi suscipiat, & quo potissimum in argumento, tanquam in commoda sibi sede, poni & celebrari amet; cujus si cognitionem interpretibus detrahere vellem, cachinnos in me omnium moverem: sed id laboratur, & in eo omnis nostra oratio consumitur, quidnam illud sit, quod a primo suo ortu* הושיע *complectatur, & cui maxime cogitationi, tanquam propriae suae formae, Hebraei verbum hoc alligarint, unde velut ex capite alter ille usus decurrerit. Hic fixi nihil & explorati tenere interpretes, ingens illa expositionum fluctuatio declarat, qua nunc hanc nunc illam in vocem desruntur, quae quamvis in eundem omnes sensum exeant, diversissimae tamen originis & etymi sunt, neque a quoquam, nisi plane stipite, sub unam unquam radicem compingantur. Sed demirari fortasse aliquem subibit, qui fieri potuerit, ut tot tantisque viris Doctis aqua hic haeserit, & quid causae sit, tacite agitabit, quod verbi tam pervulgati naturam expedire non promtum habuerint. Is ita habeat, nihil cujusquam laudi hanc ob rem decedere, propterea quod ea est hujus verbi in sacris ratio, ut primitiva ejus significatio, cujus genuinam virtutem & vim pervestigamus, ne unico quidem in loco compareat; cum alter ille translatitius & a prima stirpe deflexus usus, loca trecenta & quadraginta admodum obtineat: ex quo efficitur, ut nemine unquam veram ejus indolem vel indagari, vel saltem*

finiri

finiri & certa ratione ac via constabiliri posse, nisi uberiori abundet ope & luce, atque ea est, quam una sola sacrae textus lectio & meditatio suppeditare valet. Quis enim, ut re ipsa, verborum velatione omissa, in aciem prodeam, unquam assequi se potuisse, sibi sumere ausit, verbi nostri naturam suam antiquitus fuisse, in amplitudine, laxitate, & spatio; *primamque radicis* ישע *ut conjugationem, sic significationem dixisse*, amplus spatiosus *&* late patens fuit, *unde cum* הושיע *facile & perquam proclivi via, gradus factus sit in* servare *&* salutem ferre, *quod est*, aliquem qui angustiis pressus erat & circumseptus, in spatium & libertatem, cum amplitudine & abundantia conjunctam, traducere. *Haec vera Hebraeae radicis vis est, haec dignitas, haec majestas, ad quam amplificandam si vel unum faciam verbum, pudidus sim; quemadmodum nec animus est, in locum communem excurrere, qui omnibus hic patet, ad divinam nominis* Jesu *gravitatem ex fonte hoc deducendam, atque supra astra evehendam. Illud tantum monuisse, fortasse non plane de nihilo fuerit, frequentari a Spiritu Sancto oppositionem inter* צרה angustiam, *&* ישע *sive* ישועה */ quod proinde* laxitatem *&* amplitudinem *proprie, dein* omnis felicitatis, omniumque copiarum magnam quandam abundantiam *sonare, nemo est qui ultra dubitare possit, nisi qui, quum solis splendore perfrui possit, tenebras tamen & noctem sequi praeoptet: quam vibrare in eandem hanc vim, quam fortiter intorquere essct, has consimilesque phrases.* מכל צרתיו הושיעו ex omnibus ejus angustiis הושיעו ad spatium, lucem, liberum spiritum eum revocavit, & in uberrima omnium rerum copia, in amplissimo beatitatis gradu collocavit. *Ps.* 34. 7. *& Ps.* 45. 8. הושעתנו מצרינו *& Jer.* 14. 8. מושיעו בעת צרה *quorum locorum radii ut neminem praetervolure possunt, ita non est quod pluribus notionem a me positam adurgeam. Eant nunc viri Docti, & sacrum textum solis instar, suo se splendore aperire, pugnacius contendant: eant, & ad omne foris illarum lumen oculos claudant. Mihi, nisi ex Arabum lingua, laetissima illa Hebraeae matris propagine; igniculus alluxisset, in iisdem, cum ceteris, tenebris oberrandum fuisset. Huic ego quod modo in medium detuli, lubens meritoque acceptum refero, & nisi haec fuisset, nunquam quicquam certi hac de radice me habiturum fuisse profiteor. Hic primum vidi* ישע *sua in origine dicere*, spatiosus,

&

& late patens fuit. &c. &c. Sic ut ejus notio ſit contraria *τῳ* arcto, anguſto &c. &c. & in ſecunda conjugatione dicat ſpatium amplitudinem feci &c.

§. II. Mirum quam fidenter, & quam gravi oratione cauſam ſuam in antecеſſum perorет Vir facundus. Non diffiteor ſi verus & primigenius verbi, ישע & הושיע ſignificatus hactenus ignoratus ex arabia poſtliminio repeti debeat & poſſit eo ipſo Arabiſmum nobis admodum commendari, dum poſt nomina Dei Verbum hoc ſuo ſignificatu merito principatum tenet voces inter omnes biblicas. Sed eſto, verbum illud apud Arabes eo ſit in uſu teſtibus Lexicographis, an Lexicographi illi Arabes in Lexicis ſuis curatè philoſophantur, ſimplices rerum notiones evolvunt, ſicque ſignificatus primigenios ſigunt, an vero ſignificatus maxime uſitatos, pleroſque ſecundarios & tralatitios promunt? Sed fidem faciet rectè ab Arabibus conſtituto ſignificatui primigenio ex locis Scripturae S. manifeſtis illis omnibus qui tenebras & noctem ſequi non praeoptent quum ſolis ſplendore perfrui poſſint; vide Pſ. xxxiv. 7. xlv. 8. Jerem. xiv. 8. ſuperius ab ipſo citata. Sed quae haec argumentandi methodus? Verbi alicujus ſignificatus primigenius notionem *boni* complexus, ſi ſit univerſalis, quod de verbo noſtro mox demonſtratum dabimus, opponi poteſt non uni malo particulari, unde numquam ex illa oppoſitione huic illi malo ſingulari ſignificatum ſimplicem univerſalem determinas. Ea qua utitur V. D. methodo probabo quod etiam פדה ſignificet *dilatare* &c. quia opponitur Pſ. xxv. 22. omni anguſtiae פדה *redime Jſraelem ex omnibus* צרותיו *anguſtiis ejus.* Pariter verbum נצל & הציל. Videat V. D. ỳs. 18. Pſ. xxiv. cujus ỳs. 7. citavit, etiam Pſ. liv. 9. Sic חוה non ſignificabit propriè *vivificare* ſed dilatare vid Pſ. cxxxviii. 8. Idem ſic ſtatues de verbo חלץ vide Prov. xi. 8. Per ejusmodi Logicam etymologicam etiam conficies primigenium *τῳ* ישע & הושיע ſignificatum eſſe *benefacere* quia opponitur omni malo vide Prov. xxviii. 16. Si cupis ſignificatum ſingularem *τῳ* ſingulari ſignificatui צר & צרה oppoſitum, illum habes non in verbo ישע ſed in רחב Pſ. iv. 2. *in anguſtia* dilataſti, amplum ſpatium mihi feciſti. Diſcimus ex dictis hactenus ſigni-

nificatum illum quem V. D. ex Arabia adduxit non esse verbi nostri significatum primigenium simplicem universalem sed secundarium & metaphoricum. Et certe dilutus nimis est ille significatus dilatandi qui non exprimit ipsum opus quod verbum nostrum significat sed metaphorice saltem aliquod ejus consequens.

§. III. Loca Scripturae S. quibus occurrit & ipsam rei naturam si rectè inspicis, primigenius & universalis (habet universalem vide Ps. XXXVI. 7. *servas* hominem & pecus) significatus est *rem servare integram*, in discrimine si versatur *praestare salvam*, collapsa si est *restituere in integrum*; rem vel in statu suo conservare, vel in illum restituere. Et sic opponitur τῳ אבד *perdere.* Significatus hic universalis indeterminatus nobilissimam accipit determinationem ad significandum totum salutis opus ejusque laeta consequentia. Et sic Christus מושיע servator e diametro oppositus est τῳ Abbadon & Appollyon *perditori* Diabolo; & Christus venit servare το απολωλος quod perditum erat. Inter voces omnes quibus magnum salutis humanae instaurandae opus exprimiter, nullum est verbum praecellentius, significantius quam το ישע & הושיע & substantiva inde derivata. Augustissimum in Lingua Hebraea Nomen est יהוה, Verbum eminentissimum suo in Natura & Gratia significatu Verbum ברא quo Deus vocat ea quae non sunt acsi essent. Par illi & secundum est verbum ישע & הושיע in Natura significans actum illum Providentiae divinae benevolentissimum quo omnia conservat fovet refocillat vivificat Ps. XXXVI. 7. estque sic adhuc significantius τῳ שמר. Relate ad opus gratiae est ejus significatus praegnantissimus uberrimus suavissimus, primas tenet inter Voces omnes in hoc argumento usurpatas, unde dulcissimus Jesus inde Nomnen sumsit. Exhaurit opus salutis omne. Gratiosum Dei triunius Consilium aeternum: Filii Dei Vadimonium: obedientiam ejus activam & passivam: statum humiliationis & exaltationis: Electi peccatoris regenerationem, sanctificationem, glorificationem per quae omnia Jesus est σωτηρ Salvator. Numquam occurrit in Kal, non venit intransitive quia nemo *Salvus* est nisi *Salvatus*, cui derogat significatus ille Arabicus qui etiam venit intransitive. Primigenius radicis

na-

nostrae significatus est qui intransitivè venire nequit. Est, equidem cognatio aliqua inter ישע & inusitatum ישה unde יש, quod nominaliter & verbaliter venit, & תושיה substantia, soliditas, bonum solidum, sed significantius est ישע vel הושיע quod in statu gratiae dat habere verum esse, soliditatem, bonum solidum; sensus ille metaphoricus apud Arabes innuit equidem liberationem a noxiis peccati sequelis, angustiis, anxietate, sed primarius debet esse salvare ab ipso peccato Matth. I. 21. Ecquid sonat *dilatabit a peccatis?* Et, quod non tantum quod ad hanc radicem nostram sed & quod ad secuturas omnes observatum velim, si nativa radicis nostrae indoles sit significatus ille Arabicus *dilatandi*, quidni Spiritus S. cui nativus genius Sermonis sui perspectissimus est, hic & alibi in Scriptis N. T. Hebraea exprimit verbis Graecis quae ultimam illam significationum Arabicarum radicem exactissimè referant? Cur הושיע in N. T. non est πλατυνειν ευρυνειν vel simile quid quod dilatare dicat? Sed quam dilutum hoc esset. Sed ais Scriptores N. T. utuntur dictionibus quibus Versio Graeca. Recté; sed eo ipso condocent nos, in Fundamentalibus his dogmatibus Graecos nativam dictionum Hebraearum indolem, genuinam notionem recte dedisse, hinc הושיע non est πλατυνειν sed σωζειν & ישע / ישועה &c. est σωτηρια מושיע σωτηρ salvator. Sed & praeter 70- viralis Versionis dictiones, suas habent divinitus inspirati Scriptores N. T. Quare in nativa vocum indole vestiganda eamus primum, non in Arabiam, sed in AEgyptum. Mirari heic & adorare subit Dei vias. AEgyptus illa quae Populum Dei tam diu hospitio excepit; deinde vexavit equidem sed sic ansam praebuit gloriosissimis prodigiis & miraculosissimae Liberationi: AEgyptus quae Sospitatori a Cultro Carnificis latibulum fuit ne necaretur ante absolutum salutis opus, eadem AEgyptus dedit nobis adminiculorum omnium Textum Hebraeum interpretandi antiquissimum praestantissimum, nulli depreciandum, sed numquam Hebraeo Codici aequiparandum.

§. IV. De significatu verbi כנע quod Viri Celeb. secundum est specimen, dicemus suo loco ubi per omnia originum ejus capita ituri sumus; illud nunc tantum addo, quia Vir D. occasione

ne ejus radicis a qua Jesus nomen sumpsit nempe הושיע a se ex Arabismo demum vero suo significatui redditae infit: *Eant nunc Viri Docti, & sacrum textum solis instar, suo se splendore aperire, pugnacius contendant: eant, & ad omne foris illatum Lumen oculos claudant &c.* pag. 19. Respondeo, quamvis attentam Scripturae S. locorum in suo argumento & cohaerentia considerationem & variorum inter se collationem in genuino significatu eruendo in primis causis & adminiculis censeamus, neutiquam tamen respuere foris illatum lumen; sed illud arguo, ex sola Scripturae Locorum meditatione & collatione saepenumero certius affulgere lumen quam ex omni Arabia. Quid sit de radice unde Jesus nomen traxit vidimus. Experiemur idem in aliquo Dei Nomine, & quidem אלוה & אלוהים cujus significatum V. D. in suo in Jobum Commentario cum aliis porrò repetit ex Arabia, & videbimus quid sola Scripturae locorum consideratio rectius heic suggerat. Meditationis meae de Nomine hoc suo loco comparebunt.

SECTIO II.

Quae Radici בלג *hebraeum nitorem reddit.*

I.

VEnimus nunc ad ipsius Tractationis Caput primum. Prodeat radix בלג. Animadvertamus an non ex versionibus & Lexicographis ab ipso adductis, si non omnibus & in omni Scripturae loco, saltem aliquibus & quibusdam in locis, faciente divina providentia, conservatus sit verus significatus, vel primarius, vel secundarius, quo mediante primarium recte figimus, quas tamen Versiones & Lexicographos Vir Cl. heic & passim tam masculè rejicit; & an tandem vera & nova lux heic & passim ex Arabia affulgeat? An vero, ut verbis Viri Cl. utar magnae in phrasibus nostris dentur turbelae atque omnia susque deque commisceantur, & primigenia scaturigo & antiquissimus ille fons in Lexicis illis non scaturiat? Compendiose ex ipso exhibemus quae ad verum significatum hujus radicis

faciunt. Pag. 31. 32. 33. *Primordia nobis ducentur a radice* בלג *quinque in locis obvia, idque in* Hiphil *tantum, extra ea nullo sui vestigio invenienda. Sunt ea Job* 9. 27. *&* 10. 20. *& Ps.* 39: 14. *& Jer.* 8. 18. *postremo Amos* 5. 9. *Hic quid Veteres quid Recentiores viderint interpretes, ita omnium subjiciam oculis & judicio, ut nihil eos vidisse, quod veram verbi vim spectat, clarissime constet. Hujus radicis significationem si ex veteribus quaeras, non tantum spem ludent, verum etiam haud paullo incertiorem dimittent quam accesseris. Primus in* Jobo *locus sic habet.* אעזבה פני ואבליגה. *Hic LXX. vel quicunque demum fuerint, qui monstrosam illam versionem Jobi architectati sunt, vertunt.* Συγκύψας τῷ προσώπῳ στενάξω. *Vulgatus autem dat.* Commuto faciem meam & dolore torqueor. *Huic proinde* הבליג *est* dolore torqueri, *illis* στενάζειν; *etiam vocabulum doloris plenum, mollius tamen quam interpretis Latini sententia ferebat. At vide hominum inconstantiam & mirare; iidem Graeci penitus ipsi sibi elapsi, contrariam plane verbo assignant notionem in Cap.* 10: 20. Jobi. ישית ממני ואבליגה מעט *quae illi.* Ἔασόν με ἀναπαύσασθαι μικρόν. *Est ergo nunc* quietem capere, *quod modo* suspiria ducere; *ubi quantum ad veritatem propius accedunt, tantum iis decedit auctoritatis, quod una verborum complexione, uno tenore orationis, uno quasi oris halitu, unum idemque vocabulum in diversissima traxerint. Constantior hic* Vulgatus, *sed eo infelicior, quippe quem sententia loci facile erroris condemnet;* dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum. *Retinet ergo adhuc* dolorem, *eumque invito imponit Jobo: sed ne judicio id factum crederemus, strenue cavet, quum Ps.* 39: 13. *Hebraea* השע ממני ואבליגה *sui dissimilis reddit.* remitte mihi ut refrigerer. *Fregit virum tum LXX. auctoritas, eumque a superiori sententia dimovit; qui hic habebant.* ἄνες μοι, ἵνα ἀναψύξω. *sed laetam hujus radicis faciem iterum obscurant uterque, atque in dolorem suum recidunt Jer.* 8: 18. מבליגיתי עלי יגון *quod LXX. edidere.* ἀνίατα μετ' ὀδύνης. *Vulg.* dolor meus super dolorem. Pag. 34. Chaldaeo *autem est* אתגבר confirmabor. *Cap.* 10: 20. *contra* Syro *est* [illegible] solabor me & quiescam. *Et Arabi* [illegible] respirabo; Chaldaeo *autem* אנוח quiescam. *Psalm. vero* 39: 14. Syrus *&* Arabs *in eadem mente, iisdemque etiam*

 vo-

vocabulis perſtant, quae repetere nihil attinet. AEthiop אערפא quieſcam, refociller *ex LXX.* Pag. 36. & 37. *Rabbinos ſi audias* הבליג *eſt* confirmari *vel* confirmare ſe: *quod paſſim per Lexica & Commentaria magiſtrorum volitare videas.* Kimchius *qui principatum tenet inter Judaeorum lexicographos, inque cujus verba ſacramento fere omnes dicunt, haec prodit in Lib. Rad.* אבליגה notat confirmabor eſtque verbum intranſitivum licet ex Hiphil ſit, aut ſonat confirmabo me ipſe. *Haec in libris ſuis commentariis ubivis locorum integrat. R. etiam* Levi *eidem ſententiae atque iiſdem fere verbis adhaereſcit.* Confirmabor dicit, eſtque intranſitivum; aut tranſitivum eſt & ita accipiendum: confirmabo cor meum. *ſic* Aben Eſra. *ſic* Raſchi. *ſic tota* Rabbinorum *natio, adhibentes vocabula* הגביר *vel* התגבר *vel* התאפק *vel* התחזק *quae eodem omnia redeunt. Horum ex fontibus illa fluxere, quae maximam Lexicorum partem hodie obſident, quaeque per omnes verſiones & commentarios pervaſerunt.* Confirmari, corroborari, confortare ſe, refici, recreari: *quae ſi cuncta ſuis auctoribus aſſignare vellem, in immenſum paragraphus hicce excreſceret molem, meque Lectoremque meum fatigaret.* Hactenus ille.

§. II. Mihi liquidiſſimum eſt ex collatione & attenta conſideratione locorum, adminiculo verſionum, colligi, ſignificatum primogenium eſſe *rectius ſe habere, convaleſcere. Vires recolligere*, ſicque ſe *recreare, refocillare.* Has notiones ſi non omnes & ubique ſaltem aliqui & alibi nobis ſubjiciunt. Ponamus jam τες LXX. Job. IX. 27. Jerem. VIII. 18. & alibi a vera notione aberraſſe; ſi locorum ſcripturae argumentum recte introſpicis, recte dijudicas veriſſimas notiones quas in his illis locis ſuggeſſerunt. Et quid ſi Job. IX. 27. & X. 20. Pſ. XXXIX. 14. ſibi ipſis contrarii non ſint; ſuſpiria ducendo reſpiramus, dolori ubi licet indulgere doloris lenimen eſt. Forte Jer. VIII. 18. ſenſum reddunt, certe plaga inſanabilis cum dolore eſt ubi in ipſo dolore quaerenda eſt refectio, refocillatio. Sed quidquid de eo ſit ſatis eſt quod quibuſdam in locis verum ſignificatum exhibuerint. Videamus nunc quid Arabes heic praeſtent Pag. 43. 44. *Videamus ergo quid Arabes in deplorata cauſa remedii porrant: illud praeſentiſſimum eſſe, nemo dubitabit, qui in haec* Gjeuhario *oculos conjiciet.* Verbum בלג notat

cat fulgere instar orientis solis; & dicitur de aurora quum illucescit: ponitur etiam in 5 conj. in eo qui ridet aut laetus est. Et in traditione de propheta b. m. est, eum fuisse, אבלג frontem, id est nitidum, serenum. *Habeat & ea quae in Camuso produntur.* Dicitur aurora בלג quum splendet & surgit: & omne quod nitet אבלג audit; undecima autem conj. de omni re adhibetur clara, manifesta, & candore quasi splendente: quarta vero conj. אבלג est, clarum reddidit; nec non moerore levavit: & vir בלג dicitur, quum exporrecta est fronte. *Hoc lumen sacro textui inferre quid ego verear, quum nihil illustrius aut magnificentius ne cogitatione quidem fingi possit, quam quod haec nobis suppeditat significatio. Quid splendidius quam Jobo haec dare verba?* Faciem meam *tristem & nubilem* omittam ואבליגה eamque serenam dabo & nitidam: *quid aptius etiam & verbis ipsis magis conveniens?* פנים *absolute* Hebraeis, tristem *sonat* faciem, *quod ex* 1. *Sam.* 1. 18. *disces: hanc* הבליג *ex usu Arabum dicit ille, qui* pulsis tristitiae nebulis, solis instar laetam nitentemque eam effert. Et ad Amos. v. 9. Pag. 48. 49. Qui effulgere facit, & de subito, aurorae instar, oriri vastationem super potentem: *cujus sententiae quanta vis sit & majestas quid me dicere attinet? gaudent magnifica hac figura prophetae, inque ea eorum oratio exultat. Esaj.* 47. 11. Veniet super te malum, cujus auroram nescis, *&c. Joel.* 2. 2. Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis: aurorae instar supra montes panditur. Sed quem Lexicon indicat significatus non est primigenius, universalis, sed particularis vel significatus alicujus universalis ad solem applicatio. Sic primigenius significatus non esset particularis ille *solis & aurorae instar fulgere*, sed generalis ille *fulgere* qui & deinceps quasi secundarius a Lexicographo indicatur. Loca Scripturae ubi radix occurrit si inspicis omnia, significatur primario aliquid relate ad *animum*. Illum prius oportet fieri sereniorem, aequum, quam frons niteat. Ubi animus reficitur, in vultu, mentis speculo, illud relucet. Et si vel simplex & primigenius significatus esset *το nitere enitescere*, significatus ille universalis distincte erit considerandus qua refertur ad animum & qua refertur ad corpus, & tamen in locis omnibus non hic erit prior *nitere instar Aurorae*,

rae,

rae, sereno eſſe vultu. Sed hic *eſſe animo paulo confirmatiore, aequiore ſereniore.* Eſſetque de eo diſpiciendum an loca illa omnia Scripturae requirant vel patiantur fulgorem illum faciei? Deinde in locis omnibus Vir Cl. ſubintellectam vult *faciem* quod durum videtur; dum radix univerſaliter & primario debet aliquid ſignificare per ſe ſine ſubintellecto vel adjecto aliquo, & quidem ſignificare univerſale quid, quod tum diſtinctis ſubjectis ſingulariter aptatur; neque enim ſola facies nitet, ſplendet. Quod ad locum Amoſi cui aptat ex Lexico hauſtum ſignificatum, aberrat a figura; in illo loco & conſimilibus non alluditur ad laetum aurorae candorem ſed ad ejus *τὸ ſubito* & ad *expanſionem.*

SECTIO III.

Radix קרח *ſimplicitati ſuae Hebraeae reſtituitur.*

§. I.

Sequatur radix קרח de qua ſic vir Cl. Pag. 54. 55. *Eſt inter reliquias linguae deperditae radix* קרח*, ex minus frequentioribus, quaeque in quinque tantum locis ſedem occupat, in ſola conjugatione prima. Hi ſunt. Deut.* 32. 22. אש קדחה באפי ותוקד *Jer.* 14. 14. אש קדחה באפי עליכם תוקד *& Jer.* 17. 4. אש קדחתם באפי עד עולם תוקד *Eſaj.* 50. 11. כלכם קדחי אש *& tandem Eſaj.* 64. 1. כקדח אש המסים *Hoſce ſi quis inter ſe commiſſos excutiat locos, hujusque verbi poteſtatem ex crationis vi exprimere aggrediatur; ei ſe protinus* incendendi *ſubjiciet notio, ſummaque ſponte ingeret: eaque eum ſignificatio tam acriter feriet & occupabit, ut alterius circumſpiciendae cogitationem prorſum abjiciat, inque hac acquieſcendum eſſe decernat. Conſtantiſſime enim* אש igni *adhaereſcere* קרח*, eique extemplo* ardorem *&* conflagrationem *ſubjungi, deprehendet. Mirum proinde non eſt, opinionem hanc qua antiquos, qua noſtri aevi interpretes inceſſiſſe, atque in Lexicis & verſionibus radices egiſſe. LXX. quidem interim* καίειν *reddidiſſe video; interim* ἐκκαίεσθαι*, niſi quod uno in loco turbellas dant:* & pro כקדח *Eſaj.* 64. 1. ὡς κηρὸς *ſubſtituunt.* Vulgat. *etiam nunc* ſuccendere, *nunc* ſuccendi *extulit & in noviſſimo illo Eſajae loco*

Sym

Symmachus *habet*, *ὡς ἐκκαυσις*; *ex quo conjicere pronum est*, *cum in ceteris etiam locis*, *quae vetustas delevit*, *sui similem fuisse*, *&* *ad eandem se rationem composuisse. Rabbini ad unum omnes idem tenent*; *&* *tum per* בער / *tum per* שרף *declarant. Nostrique etiam summo consensu in hanc significationem conspirant: illi quoque qui eorum auctoritatem uncis alias naribus suspendunt*, *&* *vestigia eorum premere recusant*. Pag. 61. Phiruzabadius *itaque nobis edat*, *quid antiquitus in Oriente valuerit* קרח. *Is ita in* Camus. Verbum קרח in fomite est ignem ex eo extundere, ut & אקתרח. קראח Kiddâhh autem, & Mikdâhh, vocatur ferrum quo id fit. Keddâhh vero, *&* keddâha silex appellatur. *Is scilicet*, *in cujus venis semina abstrusa sunt ignis*, *&* *unde conflictu vel tritu elicitur*, *qui Graecis πυριτης audit*. Pag. 63. 64. *Dignus autem est vetustissimus Orientis ritus in igni eliciendo*, *quem eruamus: eoque magis quod inde igniculi quidam evolabunt*, *ad lucem* Esajae *loco insupendendam*. Scholiastes Arabs *in* Hariri. *ad verba dissert*. 5. igniariis scintillas exterere *haec prodidit*. Igniaria Arabum maximam partem ex lignis sumuntur arborum March & Aphâr. Capitur ex iis fomes spithamae amplitudine, cujus medium foratu cavatur non pervio: capitur item & alter. brachii longitudine, cujus extremitas exacuitur, istique foramini inferitur: atque tunc inter pedes appositum circumagunt, quoad ignis emicet. Superius autem Zend, inferius Zendah audit. *Sic* Maulavi March & Afâr duae arbores sunt in terris Arabum, quarum mutuo tritu ignis exilit. *Poëta Vetus apud* Gjeuharium. Quum March ignem non concipit sub Aphâr. *id est*. in atrocissima omnium rerum calamitate. „ Hanc novam lucem infert scripturae S. locis Pag. 56. 57. *Age vero pertentemus loca. Deut*. 32. 22. אש קדחה באפי *Reddunt vulgo*. Ignis accensus est in ira mea. *Tolle illud* accensus est *&* *insere* emicuit, prosiluit, cum impetu & vehementia; *&* *vide num sententia haec palma excedere necesse habeat. quin imo*, *aut fallor*, *aut qui eloquentiae gustatum perceperunt*, *sentient*, *nescio quid splendidioris enitescere ex supremo hoc*, *quod in primo illo minus emicabat. Consimilis est ratio Jer*. 14 15. *Vibratus enim fertur* ignis emicuit, & fulminis instar erupit se, *quam si dicas* accensus est. *Tandem ubi ἐνεργετικῶς venit*, *vulgoque obtinet*

 accen-

accendere, *tu velim intuskes punčto tempore*; excudere, tundendo elicere & provocare ignem, *& periculum non erit, ut a potentiori ad infirmius decrescat oratio*; *quin majores sumere vires, grandiusque aliquid spirare, apparebit.* Pag. 65. 66 *Medicinam nunc ex dictis faciamus illustri apud* Esajam *similitudini, cujus singularem plane nitorem hujus rei ignoratio maculavit. Est ex Esaj.* 64. 1. כקדח אש המסים מים תבעה־אש. Pag. 69. *En tibi jam comparationem quemadmodum ab* Esajae *manu est profecta.* Ut quum ignis fomitum emicat, prosilitque, aquae effervescant igne. *Gravitatis plenissima est illa* ignis *repetitio, & nervum addit sententiae.* Pag. 77. *Sequitur* מים תבעה־אש. *Ut suscepto ex fomitibus igne, arida circum nutrimenta dantur, & flamma vires acquirit, adeo ut* aquae *fervore penetrentur & exaestuent: sic coelestibus tuis ignibus in ingentem aestum conjiciantur* aquae gentium, *fluctibusque agitentur.* „

§. II. Loca si confers omnia & versiones, certissimum est primam notionem esse vel eam *incendendi* vel si vis generalius *ignem excitandi* sive illum *eliciendo*, vel *materiae combustibili subjiciendo.* Quamvis mihi verior videtur significatus heic primarius *incendere, ignem subjiciendo materiae combustibili.* Quem nobis dant Versiones & Lexicographi. Quem ipse ex Arabismo adfert non est solus primigenius significatus, neque locis omnibus Scripturae S. recte applicatur. Deinde non semper haec concurrunt *τo lucere extundere ignem eumque ad magnum excitandum incendium materiae combustibili subjicere, & τo ignem elicere & mox magnum incendium* (tale statuendum est in Scripturae locis omnibus) *excitare*; potest quis sic incendere aliquid igne jam diu ante elicito. Notio *exiliendi* vel *emicandi* dicit aliquid quod consequens est *τo* incendere. Quod ad lucem accensam loco Jes. LXIV. 1. Non probatur ille significatus *fomitum.* Non unus modus est ignem extundendi, quare ad hunc non alluditur necessario; Et quis dicat illum jam tempore Jesaiae in usu fuisse. Deinde elliptica admodum esset Oratio nisi addatur aliquid, namque ab igne saltem elicito non efferbescit ebullit aqua; quare addit ipse aliquid de suo. Pag. 77. *Sequitur* מים תבעה־אש. *Ut suscepto ex fomitibus igne, arida circum nutrimenta dantur, & flamma vires acquirit, adeo ut* aquae *fervore pe-*

ne-

netrentur & exaestuent: sic coelestibus tuis ignibus in ingentem aestum conjiciantur aquae gentium, *fluctibusque agitentur.* Sed haec in textu non leguntur, quae certe legi debuissent ne id omittatur in quod omnis vis comparationis recumbit, hoc autem omisso frigidissima est comparatio. Observavit illud ipse ad locum Jes. L. 11. Pag. 81. *Verba, quod complusculа in iis nec recte habita putem, omnia exhibebo.* Ecce omnes vos ignem extundentes, & malleolis cingentes: dispereatis ignis vestri vapore, malleolisque, quos succendistis. Pag. 86. *Hae machinationes, malorumque emicantes scintillulae, evanescerent & per auras dilaberentur, ni praesto fores, quod eas exciperet foveretque, ut ad flammam consurgere possent. Hanc materiam e vestigio ministrat propheta, in* מאזרי זיקות/ cingentes malleolis, *aridaque & flammas rapientia nutrimenta circumdantes.* At vero illam materiam Cap. 64 e vestigio Propheta non ministrat, desunt ibi arida & flammas rapientia nutrimenta.

SECTIO IV.

Qua radix נפץ *ad Hebraeam* γνησιότητα *revocatur.*

§. I.

Veniamus cum Viro Cl. ad radicem נפץ de qua Vir Erudit: Pag. 91. 92. 93. *Magna satis fluctuatio τοὺς LXX tenet, quique eorum vestigia ferme persequitur*, Vulgatum συντρίβειν *dederunt Psalm.* 2. 9. conterere *uti* Hieron. *at Vulgat.* confringere. *Aliter paulo verterunt Ps.* 137. 9. ἐδαφίζειν allidere. *& Jer.* 48. 12. συγκόπτειν collidere. *Sed Jer.* 51. 20. 21. 22. 23. *sexies* διασκορπίζειν *reddiderunt*, *ubi Vulg.* collidere *retinuit. Idem hoc* διασκορπίζειν *habent Jer.* 13. 14. *&* Vulg. dispergere, *ut & Dan.* 12. 7. διασκορπισμός *est*, *&* dispersio *apud* Vulg. *Huic affine* διασπείρειν *exhibent Esaj.* 33. 3. *&* 11. 12. *&* 1 *Sam.* 13. 11. *& Gen.* 9. 19. *At Esaj.* 27. 9. אבנים מנפצות *efferunt* λίθους κατακεκομμένους. Aquila προσερραγμένους. Symmachus λελεπτυσμένους. Theodotion *vero* ἐκτετιναγμένους excussos. *quo exemplo etiam* Aquila *Jer.* 22. 28. ἐκτινάσσειν *habet*, *secundum*

LXX

LXX qui idem hoc verbi 1 Reg. 5. 9. & Jud. 7. 19. pro נפץ substituerunt. Ex spinis hisce & dumetis emersisse me laetor, ex quibus hunc velim fructum percipiat Lector, NB. nihil admodum praesidii expectari posse ab veteribus interpretibus in potestate radicis alicujus figenda. Non quod dignitati eorum quicquam detractum ire velim, aut laudes eorum conterere: magno eos semper in pretio & numero posui. at praestringi me splendore nominis eorum non patior, neque mentis luminibus officere sino altitudinem famae & antiquitatis. Multo uberrimum ex iis fructum redundare posse, prae me fero, domique adeo edoctus teneo: at in genuinam principemque radicum indolem, vix ac ne vix quidem eorum ope intrari posse videtur; magnamque frustrationem injici necesse est illis, qui in hisce ducibus omnes spes opesque suas reponunt. Sexcentis id exemplis vincere in proclivi foret: sed non longe abiero; suffecerit, quod sub manibus est. Edat mihi qui Veteribus omnia defert, quid in stirpe sua dicat נפץ. Estne συντρίβειν? est inquies. Ego vero negabo, & ἐκτινάσσειν prima in origine contineri contendam. Eodemque jure alius nobis ἐδαφίζειν, alius διασκορπίζειν, alius aliud oggerere poterit. Ut adeo fluctuandum semper sit, in viciniaque haerendum, si horum se auctoritati dedere animum quis induxerit: non enim quemquam tam ἄμωρον fore crediderim, ut omnes hos significatus tanquam primitivos, unam sub radicem conglomerare sustineat. Non felicius veritatem in tranquillo locare datur ex Chaldaeorum paraphrasibus; similique inconstantia fluctuant ac per diversa feruntur. Modo enim illis נפץ valet תרע confringere; modo רטש allidere: nunc גרי instigare: iterum רמי & טלטל projicere, in longum porrigere: denique בדר dispergere. Quarum omnium notionum fieri potest ut nulla, non potest ut plus una genuina sit & primo ab ortu insita: quam tanta in obscuritate nemo facile investigaverit; praesertim quum periculum sit, ne opera penitus ludatur. Ex hisce tamen fontibus dimanavit ea, quae nunc vulgo circumfertur, significatio: atque auctore Kimchio נפץ habet ענין פזור notionem dispergendi proprie & primario. At quum significationem hanc citra multorum locorum vim & efficaciam stare videret, adjunxit & aliam itidem ex Caldaeo haustam: ויש מהם פזור עם השבר והרצוץ sunt ex iis loca ubi dispersionem valet, tractioni & contritioni conjunctim. Sic R. Nathan radici nostrae attribuit geminam potestatem פזור או רצוץ dispersionis aut contritionis. Quam utram.

tramque deinceps omnes calculo suo firmarunt, atque in Lexica & versiones receperunt. Pergit eadem Pag. 93. 94. *Arabum primo usum inspiciamus: hunc ita tradit* Gjeuhari נפץ ponitur in re quae commovetur & excutitur. *Ut* . . . . Excussi vestem. . . . . excussi arborem *& infinita talia. Inde . . . subst:* נפץ omne quod excussum in terram decidit: *praesertim* arborum folia, *&* rerum quassarum fragmina. *Ab hac primaria significatione longe lateque sese explicat & diffundit. Infinitum esset omnia persequi: praecipua libabo. Elegans in primis est illud, quod dicunt.* Excussit faemina uterum suum; *quum* sarcinam suam effundit; *&* . . . . *est* mulier foecunda, *quae* dulci partu ditescit. . . . . *Alius usus est in illo* . . . . excussit Coranum. *Id est* diligenter legit evolvitque; *quomodo etiam Latinis* excutere *venit.* „ *Notanda est & haec phrasis* . . . . excussi manum meam, *quum societatem initam dirimo & discindo. Dicitur etiam* . . . . excussit locum, *qui scrutatur & pertentat, num quae metus causa lateat. Et* . . exploratores, *unde decima conjug. sonat* equitem explorandi causa praemittere. *Nec omittenda locutio* . . . . excussit populus *vasa sua*, quum commeatus absumtus est: *quod idem etiam de iis dicitur* quorum res, opesque funditus interierunt. *Valet etiam* quassare, concutere, *unde* . . *exponitur* . . . . febris concutiens, *&* . . . . conquassavit eum febris, *&* . . frigidus *ille* horror, qui membra febricitantis quatit. Novam sic oriri lucem existimat explicando non uni S. Scripturae loco. Pag. 96. *Illustri documento erit Dan.* 12. 7. בכלות נפץ יד עם קדש תכלינה כל אלה. *Locus est variis obnoxius hallucinationibus. Receptissima versio est.* Et quum consummatum fuerit, dispergere manum populi sancti, complebuntur omnia haec. *In qua* manum *capiunt pro* multitudine *&* copia. *Alii* נפץ יד *valere existimant* confringere vires, robur, *quasi dicas* frangere manum. *Est qui* manum *accipit pro* plaga *&* calamitate vehementius incumbente, *quae populum sanctum* collidat, *miserisque exemplis* dissipet *ac* disjiciat; *quam vim hic* נפץ *exerere autumat. Mirum non est locutionem nusquam alibi exstantem exercitos habere viros doctos. Ego eleganti admodum metaphora eam inter Arabes ferri jam supra monere praecepi, atque ex flosculis eorum esse dixi* . . . manum excutio, *quum me* a societate & amicitia alicu-

 jus

jus divello. Pag. 97. 98. *Splendidam hinc reddamus Danieli sententiam.* Quumque finem habebit excussio manus populi Sancti, omnia illa consummabuntur. Excussio manus sancti populi, *est dirum illud & acerbum repudium, quod genti olim adamatae renunciavit Deus, tandem aliquando tamen finiendum & felici omnium conversione abolendum: quam spem fidemque ut alia faciunt vaticinia, ita hoc etiam oraculum fovere deinceps poterit, si ratio versioni nostrae constare judicabitur. Expediamus etiam quod hactenus impeditos habuit interpretes* 1 *Reg.* 5. 9. Servi mei comportabunt *cedros* ex Libano ad mare: easque ego ratibus junctas deveham mari, ad eum quem mihi mittes locum: ונפצתים שם ואתה תשא. *Hinc numquam se explicabunt, quibus dispertionem cum distractione valet* נפץ. *Aperte reclamat sensus, nec simile quicquam patitur. At verte.* Et ibi locorum eas excutiam; tuque tolles. *& omnia erunt in vado. Nempe suo periculo cedrorum rates ad certum aliquem locum mari subvehendas suscipit Hiramus, quem ubi tetigerint, eas e manu sua emittere, Salomonique transdere postulat, ut ipse deinceps eas quo velit deportari curet. Hoc eleganter admodum & nervose verbo* excutiendi *exprimit. & sic LXX hic loci etiam dederunt* ἐκτινάξω. Chaldaeus ארמינון projiciam eas. *Singulari etiam venustate & gratia sese commendat figura, qua stylum suum expolivit Moses Gen.* 9. 19. Tres hi filii Naachi sunt: ומאלה נפצה כל הארץ atque ex his universa terra excussit se. *Hoc est.* Ex his novi mundi proseminatoribus quasi gravidata terra, innumeram illam, quam sustinet, prolem fudit. *Locutio est in Oriente celebrata*, excussit uterum suum, *& praecise* excussit: *de femina quae* enititur partumque edit. Pag. 99. *Metaphoram hanc, quam Mosi restituo, haud difficulter sese hominibus eruditis approbaturam confidimus, quum nihil familiarius sit quam terram ma*trem *appellitari. Non satis autem perspicio, quomodo commodo hic versari possint, quibus radix nostra* violentam dissipationem, *cum* distractione *conjunctam, continere videbatur.* Pag. 100. 101. 102. *Haec non tantum ingens addunt praesidium iis, quae proxime in medium detulimus: verum etiam splendidissimum lumen infundunt & acumen alteri Mosis loco, quem merum hactenus frigus occupavit. Gen.* 30. 20. Et dixit Lea, זבדני אלהים אתי

זבד

זבדני אלהים אתי זבד טוב הפעם יזבלני אישי כי ילדתי לו ששה בנים *Laetae voces sunt, quas gaudio elata rumpit foecunda illa Jacobi matrona, sextum jam enixa, & stirpe virili maritum ditans. Radix autem* זבר *cui tota innititur sententia, hoc solo in loco, tanquam in tabula, commune linguae Hebraea naufragium enatavit neque usquam alibi sese offert. Hoc ut magnam parere debuit obscuritatem, ita auxit tenebras, quod lingua Chaldaica & Syriaca eadem, hac in parte, clade involuta sit, & minimum quidem verbi hujus vestigium reliquerit. Ergo sequi conjecturasque suas indulgere interpretes; &, ut fit, primum quidque arripere atque amplexari. LXX* δεδώρηται ὁ Θεὸς μοι δῶρον καλον. *Nec abit* Vulg. Dotavit me Deus dote bona. *Idem hoc placuit* Onkeloso. *At* Jonathan *ipsa sacri textus verba retinere satius duxit; Potesterioris memoriae videamus* Kimchium. ענינו לפי מקומו נתן לי מתן טוב Radicis vis ex loci sensu haurienda est: estque, dedit mihi donum bonum. *Firmat etiam, si Musis placet, ex Arabica lingua, in qua* זבר *venter* כלשון מתנה/ *auctore* R. Jona. *Hinc vires sumsit ea opinio, perque omnes fere propagata est. At vestram fidem Interpretes! quid leporis, quid venustatis dignitatisque huic inest sententiae,* Dedit mihi Deus donum bonum? *Quis tam exsurdato est palato, quis aure tam jacente, ut hoc jacere, atque adeo frigere torpereque hic loci non sentiat? At haec te, ni falsus sum, feriet, haec implebit oratio, & in aurem animumque mira jucunditate influet.* Utrem mihi meum optima agitavit Deus agitatione: nunc utique consuescet & habitabit mecum vir meus, quod jam sex ei partu edidi filios: & appellavit eum Zebulon. *Ubi cave praetervolet alliteratio verborum* זבר *&* זבל/ *in quibus haud sine sale & venere delicias hic facit Lea. Dedita opera* utrem *posui, quum* uterum *verecunde designet. sed corrumpendus non erat nativus sententiae color.* ,, Hactenus. V. Cl.

§. II. Locis omnibus ubi occurrit radix נפץ perpensis & collatis, adhibito versionum & Lexicographorum adminiculo, significatus primogenius & Universalis se sponte dat qui est *dissolvere, facere ut quid non cohaereat*, sive relate ad corpus aliquod ubi partes separantur, sive relate ad animum ubi consilia, molitiones & similia dissolvuntur. Non unus autem est dissolvendi modus, qui omnes pulchre exprimuntur in ver-

sio-

sionibus ab ipso allegatis, nempe *conterere confringere allidere collidere excutere* &c. quare frustra est ipsius interrogatio, quae harum notionum obtinere debeat, obtinent omnes contentae sub universali illa, & habent significatum secundarium pro distincto dissolvendi modo qui in locis illis distinctis pro ipsa rei natura intenditur. Et si forte Interpretes singularem dissolvendi modum in his illis locis non satis feliciter adsecuti essent, significatus particularis refigendus esset pro loci cujusque ingenio ex significatu primogenio & universali qui est *dissolvere* quique ipsissimus occurrit 1 Reg. v. 9. Coacta est ipsius interpretatio. Quid simplicius est quam *Cedros ratibus junctas suo loco dissolvi.* Interpretatio illa Gen. ix. 19. magis faceret illustrandis terrigenis si qui darentur quam simplici narrationi Mosaicae. Sic accipe *ex his diffusa est terra.* Terra qua habitata a paucissimis, quasi est coarctata: sed pluribus instructa incolis se qua habitatam quasi diffundit, dilatat. Vel omnis terra heic est omnis incola terrae vel omnis colonia terrae. Quod ad locum Dan. xii. 7. Si vel dictio illa Arabica eo sensu elegantiam haberet aliquam de quo non omnes idem sapient dum omnibus in his non est idem gustus, non sectanda ubivis est illa humani & divini sermonis convenientia ut sic major nitor fulgeat in dictione divina; certe alii suna ανθρωπινης σοφιας λογοι alii διδακτοι πνευματος αγιυ λογοι; neque si veras caput illud explicandi hypotheses sequimur (de quo dicam in meo ad Danielem Commentario) hactenus concipi debet jam ante Judaeo populo missum fuisse libellum repudii. Locum Gen. xxx. 20. rectissime vertunt LXX. & quem etiam allegat ipse R. Jona. Sed excipit ille Pag. 105. *Ante autem quam ad institutum revertar*, R. *Jonae ab Kimchio laudati hallucinatio denudanda venit, ne cui error ex auctoritate ejus objiciatur, Hic donandi significationem inter Arabes obtinere verbum* זבד *tradebat: at monuisse oportuerat*, in abjecto *tantum* vilique dono *peni: quam vim si Leae sententiae subjunxerit qui antea frigebat sensus penitus, conglaciabit. Quam bellum enim est.* Vili me Deus dono donavit bono? *aut cujus tam concalluit stomachus, ut hoc ferat?* vilitatem *autem inesse*, *quum hunc usum sumit, declarat verbum . . . quod a* Gjehario *adhibetur:*

tur: valet enim hoc . . . . parum quid ipsi donavit *teste eodem* Gjeuhari. *Et apud Scholiastem* Harıraci : . . *exponitur* . . . . leviculum & nullius donum. *Origo etiam phraseos hujus hoc palam faciet.* זברתי לה *est* spumam feci illi. *Hoc improprie dicit* pauxillulum aliquid ipsi condonavi ; *quod* R. Jonam *nisi fugisset, nunquam se ad tam adversum sibi contulisset.* „ Sed si vel זבר significaret etiam *excutere*, certe prior & simplex significatus non est *utrem* vel *uterum excutere*, verbum hoc per se non significat, multa sunt quae *excutiuntur*, hinc igitur addendum fuisset aliquid quod utrem vel uterum significet; & quis credat piam mulierem sic locuturam fuisse paulo obscenius. Manet tamen eadem alliteratio *τȣ* זבד & זבל. Et si jam diu R. Jona notionem *τȣ donare* verbo dederit ex Arabismo, quidni acquiescit. Quae ipse excipit se non probabunt significatus primogenios universales ex veris fontibus haurienti. Verbum si notionem *dandi* habet, quis credat verbum per se magis dicere *magnum* vel *parvum* donum dedit quam vox latina *dare*. Verborum significatus primogenius plerumque universalis est. Et quia verbum per se neque magnum neque parvum dicit, addit ipsa: dedit mihi bonum donum.

SECTIO V.

Nativus significatus redditur verbo פוץ.

§. I.

SUccedat verbum פוץ. De eo breviter ex ipso excerpimus sequentia Pag. 116. 117. פוץ ponitur in aqua, quae extra ripas exundat. & terra praedita פיוץ/ ea vocatur, ex qua uberes latices dimanant. Dicitur etiam, abundavit pectus ejus secreto; quum illud effert: & vir פיאץ/ est liberalis, largus, munificus. In 4. conj. vasi conjunctum, est implevit illud adeo ut exuberet. et cum lacrymis, est ubertim flere: et cum aqua aliisve rebus est effundere. *Largus ex uberi hoc fonte redundabit fructus, perque multa Scripturae loca ingenti cum utilitate se diffundet. Et primo quidem luce hac perfruetur* Zacharias *Cap.* 1. 17. עוד תפוצנה ערי מטוב Exuberabunt adhuc civitates

meae

meae bonis. *Haud paulo, puto, concinnius hoc, quam aliorum* dissipari, *vel* huc illuc spargi, *vel quod Nostri adoptarunt* conspergi, *sine tamen idonea probatione. protritus hic verbi ad Arabes usus.* . . . Magna quaedam et abundans bonorum copia. . . . Bonis diffluxit et redundavit. . . . . opibus ac divitiis circumfluens atque abundans. *quaeque alia id genus ex scaturigine hac, prono cursu, in elegantiorem hunc sensum dimanarunt. Hoc etiam lumen ad* 2 *Sam.* 18. 8. *insinuabit, pulcherrimamque ibi deteget tralationem*, ותהי המלחמה נפוצת על הארץ praelium per universam terram efferbuerat. *Ducta est figura a fluvio, qui extra alveum erumpit, atque aestuabundus omnia ruit sternitque.* praeliorum gurgites verticesque *percelebrantur in Oriente. Et* copias *etiam* hostiles, cum ingruente aquarum mole *comparant. Omnes denique* angustias *&* calamitates *symbolo exprimunt* aquarum: *quod quanto opere Sacris quoque Scriptoribus frequentatum sit, neminem fallere potest.* Pag. 118. *Nitidiorem etiam faciem sumet Gen.* 10. 18. נפצו משפחות הכנעני Exundarunt familiae Canaanis. *Ut aquae scilicet, quarum magnitudo non alveos jam, non ripas ultra audit; sic familiae illae suis se sedibus extulerunt, novasque regiones inundarunt & oppleverunt. Gemino plane in usu verbum hoc posuit Salom. Prov.* 5. 16. יפוצו מעינתיך חוצה foras fontes tui exuberabunt. *hoc est. proles tua largo se flumine diffundet. Ubi* פוץ fonti *attributum, vel maxime fidem Arabum adfirmat, argumentoque est fortem fidelemque eos rei Hebraicae operam navare, in verborum significationibus finiendis, ac propria in sede locandis.* hactenus ille.

§. II. Sed loca si recte consideras in quibus occurrit, adjutus jam saepius memoratis adminiculis, significatum ejus primum recte figes *spargi dispergi spargere* sive dispersione noxia sive utili 2 Sam. XVIII. 8, et XX. 22. Zach. 1. 17. Quare quem nobis promit ex Arabia non est primus universalis significatus sed tantum usus verbi appliciti huic illi rei singulari. Igitur loca omnia ad hanc figuram coactè trahuntur. Teneatur significatus universalis, applicitus cuique rei pro ejus natura in allegatis Scripturae locis. Neque particularis ille significatus locis omnibus convenit vide 1 Sam. XIII. 8. XIV. 34. 1 Reg. XXII. 17. ubi alia additur comparatio; res ipsa

ipsa loquitur comparationem cum aqua ex verbi natura ad illud restrictam non esse; Hoc si esset certe sic opus non fuisset Prov. v. 16. addere *fontes*, sic enim verbum per se sine additis *fontibus* hoc significaret.

SECTIO VI.

Genuina notio τȣ המם *indicatur.*

§. I.

QUod ad radicem המם. Sic ille pag. 125. 126. 127. *Non omnem tamen interpretibus detraxerim verbi hujus cognitionem: sensum enim usumque exteriorem satis feliciter indagarunt; sed de interiori mihi nunc res est ingenio, eaque potestate, quam prima insevit origo, proprie & extra metaphoram considerata. Hic nihil certi exploratique se tenere produnt LXX* יהם *enim Exod.* 14. 24. *συνετάραξε dant, quo vocabulo etiam Ps.* 18. 15. *&* 144. 6. *utuntur. At Deut.* 2. 15. להמם *efferunt ἐξαναλῶσαι αὐτοὺς; & Esth.* 9. 24. *ἀφανίσαι. Aliter iterum Exod.* 23. 27. המותי *ἐκστήσω & sic Jud.* 4. 15. *Jos.* 10. 10. *&* 2 *Chron* 15. 6. *quae utcumque veritatem verbi adumbrant. Pessime vero Jerem.* 51. 34. הממני *ἐμερίσατο με. Et tandem* 1 *Sam.* 7. 10. ויהמם *καὶ συνεχύθησαν. quod etiam errore non vacat, quum in Hebraeo activum existet. Quis ex tam multiplici errore veritatem in tranquillo collocet? Aut quis non videt fieri non posse ut ex tanta jactatione genuina indoles patescat & emergat? Fluctuationem hanc, trepidationemque augebit* Vulgatus, *si Veteribus in verborum notione vestiganda, & quasi in cubili deprehendenda, utare magistris. Exod.* 14. 24. *enim* interficere *vertit, serie orationis invita & reluctante. Exod.* 23. 27. occidere *nihilo felicius, & contra loci sententiam. Iterum* occidere *Esth.* 9. 24. *aut Jud* 4. 15. *emollita potestate,* perterrere. *& Jos* 10. 10. conturbare *quod retinuit* 2 *Chron.* 15. 6. *& Psalm.* 18. 15. *&* 144. 6. Exterrere *iterum* 1 *Sam.* 7. 10. *Semel* devorare *Jer.* 51. 34. אכלני הממני Comedit me, devoravit me, *quae mera est hallucinatio. Denique* vexare *reddidit Esai.* 28. 28. Vexabit eum rota plaustri, *quo in loco egregie turbarunt LXX*

& nihil sani habent. Pag. 127. 128. Buxtorfius *tria haec radici nostrae subjungit*, profligere, quassare, & conterere. *Aliud tamen, quamvis vehementer affinia sint, in origine est* fligo, *aliud* quatio, *aliud* tero. *Proinde ut fieri potest ut in tralationem migrantia, in eundem conspirent locum; ita proprias etiam sibi induunt metaphoras, ad quas cognata illa se porrigere nequeunt. Non enim ut* conterere *dicis* diem, vitam, studium, *ita etiam* quassare *dixeris aut* profligare *simili sensu: nec ut* profligare bellum, templum, opus *eleganter posueris, in hisce omnibus rebus poene ad exitum perductis, & tantum non ultimam manum passis: idem cum ceteris verbis expresseris.* Et Pag. 145. 146. *Abstrusior est ratio verbi* המם *Esai.* 28. 28. והמם גלגל עגלתו. *Totus locus tenebrosus admodum est, & multa difficultate implicitus. Vulgo ita constituitur.* Panis comminuetur, sed non in perpetuum triturando triturabit eum: והמם גלגל עגלתו neque vexat *illum* rota plaustri ejus: *quasi esset pro* המםו *& panis nomine tritici granum intelligeretur. Pro* vexat illum, *alii* conteret, franget, *alia.* Coccejus *aliter structuram concinnat, haud paulo felicius.* Non in perpetuum triturat, nec agitat rotam plaustri sui. *Nimium lepidus est* Forerius, *qui affirmat* המם *hic* strepitum *sonare. Ita absque ullo fundamento quicquid in solum veneris linguae Hebraeae obtruditur. Usus est, ut dixi, insolentior, & alte retrusus.* Tabefacere *enim hic ponitur pro* vehementius agitare, *&* propellere, ut continuo motu ac volutatione res quasi attenuata tabescat & diffluat. *Transslatio est, quam Arabes sub eadem hac radice frequentant.* . . . . . . Impulit camelum ad incitatiorem cursum, *proprie* liquefecit. *Et* . . . . . נאקה הסום camelus vehementiori cursu actus, *quasi* diffluentem *dicas, & quodammodo* tabescentem *prae cursus vehementia.* In alus *etiam adhiberi potest*, quae motu vehementi comminuuntur, *adeoque nihil causae nostrae officiet, si prior magis arriserit sensus.* Neque terit illud rota plaustri ejus. *proprie* liquescere faciet nimia tritura.

§. II. Significatus & universalis & particularis ex probe inspectis & collatis locis, ope versionum & Lexicorum, hunc eruimus, quod primario dicat, ut recte STOCKIUS, *Violentam commotionem* eamque ego refero vel ad corpus vel ad animum.

Fit

Fit autem violenta illa motio multis modis, variosque habet effectus, unde recte *agitavit quassavit contrivit turbavit exturbavit*. Unde sicut primogenium significatum פוץ perperam *aquae* sicut חמס Arabes perperam affigunt igni; atque iterum peccant quod primum significatum ad solam aliquam in corpore affectionem restringant. Quare necessum non est loca omnia Scripturae ad hanc figuram trahere, neque particularis ille significatus locis omnibus recte aptatur. Certe coacta est illa interpretatio Jes. XXVIII. 28. Sic quidquid comminuitur, liquefiet, & confundentur distinctae notiones, si vel dedero non intelligi debere ipsius rotae agitationem quae adhuc minus commune quid habet cum liquefactione.

SECTIO VII.

De radice עלל.

§. I.

DE radice עלל quae habet breviter saltem haec dabo quae ad rem faciunt. Pag. 148. *Hujus radicis tres tantum superstitant conjugationes* Pihel, Pyhal & Hithpahel, *quod haud de nihilo moneo: fit enim ferme, ut quorum verborum conjugationem vetustas obliteravit, eorum proprietatem ac genuinam indolem major circumstet obscuritas. Buxtorfius Rabbinorum atque in primis Kimchii ductu & auspiciis se permittens principe loco declarat*, Fecit, Operatus est. *Mox* Affecit, confecit *mali assumta potestate. Tertio*, Racemavit. *Quarto*, Machinatus est. *Quinto denique*, Illusit, Ludificatus est. *R. Salomon sextam praeterea adoptavit vim* Inquinandi *ac* sordibus commaculandi, *ductus levicula specie ex Jobi.* 16. 15. *qui etiam Comm. ad Ps.* 8. *vocabulum* עולל parvulum *sonans, sive* lactentem, *a* sordibus *tractum esse disputat, quas verbo nostro insitas esse decernit.* Pag. 150. & 151. *Aliam expediendis superandisque salebris hisce viam ingressus est Vir Cl:* Christ. Stockius *in* Clavi Ling. sanctae, *qui notionum seriem ordinemque ita struit, ut verbum in origine sua complectatur* faciendi operandique *vim ac potentiam. Secundo speciali usu valeat* facere quod in ad-

admirationem rapiat homines. *Exod.* 10: 2. *&* 1 *Sam:* 6: 6. *nec non*, facere quod in damnum & ruinam cedat alterius: *Unde porro propagatae ſint veluti tres ſignificandi claſſes, quarum prima verſetur in* male faciendo, malumque inferendo *ut Thren.* 1: 22. *&c. altera levicula inflexione teratur pro* male cum aliquo agere, ſceleratcque & nefande eum tractare *Jud.* 19: 15. *tertia denique* contemtum *induat* & ludibrium, *valeatque* facere quod in contemtionem cedat alterius, *quibus radicibus enata ſit non tantum* ludificandi *poteſtas*, 1 *Sam.* 31: 4. *ac alibi*; *verum etiam* racemandi *Lev.* 19: 10. *&* *Deut.* 24: 21. *&* *Jer.* 6: 9. *iis in locis metaphorice exprimens* deletarum copiarum internecionem, cum contentione & ludibrio conjunctam. Pag. 165. 166. 167 168. Zjauharii *quidem ſtudio ac diligentiae haec debemus.* עלל in repetita aquatione & iteratis hauſtibus propriam ſedem obtinet, quemadmodum נהל in prima aquatione, unde ſolennis formula סקאה עלל בעד נהל ubi largiſſima laticis praebetur copia, propeque ſitim extinguere datur. uſurpatur autem tranſitive aeque ac intranſitive, & עלל dicitur tum qui alteri ſecunda vice bibendum dat, tum qui ipſe iterato hauſtu potat; futuro promiſcue dhamma vel keſra admittente. In quarta Conj. אעל adhibetur de iis, quorum cameli gregeſve iterato ſitim propulſant. עלל autem & תעליל. infinitivus Conj. non tantum valet iterum iterumque bibere, verum etiam iterum iterumque carpere, & fructus legere. Ex prima etiam Conj. venuſta tralatione dicitur, על אלצארב אלמצרוב hauſit percuſſor ſecunda vice percuſſum, quum iteratis cum ictibus conficit. Leviore quoque ſenſu proverbialis increbuit locutio, gladio me hauſit ritu אלעאלה potantium altera vice camelorum, pro libavit tenuiter cruorem meum. ictu non valide adacto, quod ubi ſitis aeſtum prima aquatione fregerunt greges, altera os tantum proluant, aquaſque ſummis labris delibent, porro derivatum עלה morbum ſonat, nec non caſum cauſſamve necopinato incidentem, quae aliquem avertat a propoſito, ſic dicta quod ſit veluti altera occupatio, quae priorem occupationem praepediat. AEgrotandi autem poteſtas invaluit potiſſimum in octava Conjug. nec non derivato adjectivo עליל / quod pro cauſario morbiſque confecto teritur; nonnun-

nunquam in quarta Conj. haec quoque vis admittitur, ut in formula hac, לא אעלך אללה Averruncet a te Deus morbum malumque. Valet praeterea conjugatio octava, avertere quem a proposito, nova objecta occupatione, nec non praetextum falsamve causam adversus aliquem quaerere. Quod autem communi omnium sermone contritum est עלי עלאתה tantundem est ac, quocunque tandem in casu ac statu versetur. Zahir poëta vetus sic utitur in eo

Utique avarus ubicunque degat, execrationi est.
Munificus contra, quacunque fortuna utatur, in pretio est.

Aliam adhuc notionem induit secunda Conjug. Lactare scilicet infantem & crustulis demulcere, ad mammae damnum resarciendum, unde עלאלה Crustula idque genus alia quibus infantes lactamus. Idem vocabulum adhibetur pro reliquiis lactis, pro mulsione inter duas alias media, pro reliquiis equini cursus, denique pro omnibus in universum reliquiis. Hinc sexta Conjugatio תעאלל in Camelo adhibita valet, admisso cursu reliquias virium impetusque ejus consumere & exhaurire: unde veterum nonnemo

Rapidumque camelorum cursum exhausi.

Est etiam derivatum יעאליל plurale fractum a sing. יעלול nubes significans alias super aliis constructas. Denique בני אלעלאת appellitantur ex diversis mulieribus suscepti liberi, quibus nomen hoc inditum, quod superinductis priori uxori aliis, iterato, ac veluti repetitis vicibus aquatum haustumque, libidinis explendae gratia, ivisse censeatur pater. Hactenus

§. II. Certum est primogenium & universalem hujus radicis significatum talia involvere quae in singulares multos se possint devolvere. Loca in quibus occurrit si attente perpendo omnia, universalis notio haec videtur *studiose, operose agere, omni nisu, virium omnium contentione, opus profligare, in eo perdurare, repetitis vicibus agere*, sicque *opus conficere & perficere*, sive actio sit physice noxia vel utilis, moraliter recta vel turpis. In hithphael

phael cum ב *adversus aliquem agere, ejus opus suffluminare, ludere* sicque illi *illudere, illi aegre facere*. Ubi *racemare* i. e. *conficere* significat, quia omne conficere non est racemare, additur גפן כרם. עֹלֵל עֻלָּל dicitur vel de embryone Job. III. vel de puerulo, hinc forte *πεμμα*, foetus formatus, activum quid dum anima cum illo conjuncta est. Videbis nunc an & quomodo sub hanc notionem universalem cogi possint quae habent vesiones & Lexicographi, quamvis forte in significatum primigenium se heic minus feliciter penetraverint; Attamen quod ad nexum significatuum particularium cum universali ea dederunt quorum ope significatum universalem, & particularium significatuum cum illo nexum feliciter attingimus. Sed an quid ex Arabia exspectes melius? Relege quae ex ipso exhibuimus. Quis credat verbi, quod de Deo; hominibus, bonis, malis, usurpatur; de actibus utilibus, noxiis, rectis, pravis; de vel ad animum vel ad corpus vel ad utrumque spectantibus, significatum primigenium esse quem ille ex Lexicis Arabicis repetit. Quomodo omnes singulares significatus, vel verbum ad subjecta singularia adplicitum, hinc explicari poterunt? Quare reliquas quas inde ducit metaphoras oportet ad alium recurrere fontem. Neque necessario scripturae loca ex illo fonte sunt explicanda. Vide quae hanc in rem habet Pag. 212. 213. 214. 215. 216. (neque enim attinet omnia typis exscribi) & cogita quam coacta illa sint. Sed & attende quomodo jam haec metaphora ducat ad magna facinora qui est significatus *τῶ* עלילה vide Pag. 218. 219. 220. & videbis magnalia Dei Opera sic proponi & eleganter figurari illa dictione *aquam intrare, haurire*. Quam haec abludunt!

SECTIO. VIII.

Agiter de radice נָהַל.

§. I.

De Radice נהל vide Virum eruditissim. Pag. 223-231. נהל Nehel est primus *aquantium* potus, diciturque in pri-

primae conjug. Nahila, *pecus* primo haustu sitim sedavit, & in quarta אנהל, curavit camelos primo potu bibere, etenim cameli prima aquatione rigati, redigi solent in עטן, sive locum circa aquas ubi paulisper recumbunt, ut postquam altera vice sitim restrinxerint, quod עלל vocatur, pascuo reddantur. Hinc מנהל est aquationis locus, sive aquarum scaturigo, in pascuis, in quam aquatum descendunt cameli. Appellantur etiam mansiones, quibus viatorum itinera in desertis distincta sunt, מנאהל, quod in iis aquae sit copia. נאהלה etiam dicitur pecus ultro citroque commeans ad מנהל aquationis locum: Utque auctor est Abu Zeid participium נאהל tum sitientem significat, tum aquarum copia expletum, contraria in hoc verbo vigente potestate. Hinc illud Nabigae

Unde hastae potant sitientes.

Postrema illa sitis *significatio qua via & ratione assumta sit, ostendit* Tebrizius *in Commentario ad* Hamasa. נהל ex iis est quae contraria pollent notione, cadit enim in probe potum simul & sitientem: vera tamen & germana radicis indoles sita est in primo potu, qui quum interim sufficiat expleatque, interim minus, usurpari coepit non tantum in potu explente, verum ipsa etiam siti. *Succinit huic* Succari *ad* Diw. Hudeil. Radix נהל proprie locatur in actu bibendi coepto, sed mox intermisso: unde percrebuit usus ejus in rigato simul & sitiente. *Quibus liquidissimis testimoniis in praesens contentus, exemplis cumulandis supersedebo, satis jam munitus & instructus, ad genuinam verbi* נהל *potentiam ex ima stirpe eruendam, omnique sua amplitudine & opulentia evolvendam. Haud infelicem operam navarunt verbo nostro, qui vim ejus in* Pihel *ediderunt,* agere ritu pastoris, *aut* commode leniterque ducere. *Copiosius & uberius nos damus,* prominare ad aquam, ut sitis levetur; *& quidem, si proprietas religiosius servatur,* primo illo haustu potuve, *quem post paululum respirationis ac quietis* עלל *subsequitur: quamvis usus latius evaluerit, finibusque hisce noluerit coerceri. Justam proinde & commodam sedem tenet Ps.* 23. 2. in herbidis me recubare facit mansionibus, על מי מנוחות ינהלני ad aquas placidas agat me sitis le-

levandae gratia. *Hoc sensu Arabes quartam potius conjugationem, sive* Hiphil, *adhibent, atque ex ea hic dicerent* . . . . . reddit me נאהל, ac large bibere praebet. מי מנוחות *optima interpretum pars* aquas lenes, placidas, sensim fluentes *exponit*; *ad verbum esset*, aquas requietum: *in qua locutione, si veram verbi indolem, & genium Hebraismi amamus, cogitandum magis erit de* aquis & scatebris fontium, ad quas in genua procumbitur a gregibus circumfusis, *ut alias palam faciemus. Utraque interpretatio nostra spiritualem Psalmi potentiam adauget, meditationemque largam ac benignam subministrat materiem. Non minus feliciter & opportune verbum* Esaias Cap. 49. 10. Miserator eorum ducet eos, ועל מבועי מים ינהלם & ad scatebras aquarum aget eos siti sedandae. *Eandem significandi ubertatem amplectitur Psalm.* 31. 4. תנחני ותנהלני Duces me atque illuc prominabis, ubi aestum sitimve largis haustibus relevare detur. *Neque minor est sententiae dignitas ac copia Esai.* 40. 11. ut pastor gregem suum pascet, in ulnam colliget agnellos, in sinuque portabit: עלות ינהל lactantibus potum abunde sufficiet, largosque haustus ministrabit, ad fontes vivos aquarum. *Mirifica etiam gravitas subest ac venustas Esai.* 51. 18. *quam ut felicius assequamur, scena nobis vaticinii adornanda est. Inducatur istic loci Ecclesia venenatoirae Divinae poculo inebriata, pestiferoque ejus aestu intimis medullis perusta, quam pestem flammamque intus grassantem nihil refrigeret, nihil temperet, nihil adspersa veluti aquula recreet mitigetque. Hoc nervose exprimit vates verbo* נהל *insignioris figurae lumine convestito*; אין מנהל לה non est ei, qui vel minimum praebeat haustum aquarum, quo os proluat, venenum diluat, aestumque in visceribus furentem sedet. *Haec germana est loci facies, quam oblitterata hactenus origo obscuraverat. Delicato exquisitoque judicio eloquentiae propheticae princeps; vocabulum pastoritium* hauriendam praebere aquam ut sitis levetur, *traduxit ad* refrigeria consolationum, dolorisque fomenta ac remedia; *estque non exigui in hanc rem momenti, quod eundem plane usum Arabum* . . . *induat, & pro* mulcere, lactare, consolationibusque recreare ac refovere *percelebretur. Multum quoque elegantiae interioris residet Exod.* 15. 13. נחית בחסדך Largiflua, ac succi vigorisque uberrima illa munificentia tua, (*id omne sinu suo fecondat* חסד) duxisti populum

lum quem redemisti: נהלת בעזך potentia tua copiose rigatum, inundatum, expletum, largisque haustibus exsatiatum, ut pastor egisti ad mansionem sanctitatis tuae. *Tam magnificum ac sublime spirat prophetica haec oratio, quae rupes praevidet in deserto fissas, ut potus veluti ex abyssis subministretur*; & fluenta e petris evocata, atque amnium instar emissa, *in praesentissimum pignus atque argumentum Numinis, plus quam pastoria cura, electum ac redemtum populi sui gregem, afficientis, atque ab omni aestu, siti, & inopia prohibentis. Haud minus floris honorisque elucet ex splendida vocabuli nostri tralatione*, 2 *Chron.* 32. 22. Et servavit, *atque in amplam laxamque fortunam asseruit* Jehova Hiskiam, incolasque Hierosolymorum, e manu Senacheribi omniumque hostium, וינהלם מסביב atque undiquaque vindicatos, tanquam gregem suum bonarum rerum affluentia beavit, ac veluti ad fontes deduxit aquarum, quartum pleniore haustu, *in summa pace ac tranquillitate*, priorem illam sitim miseriamque exuerent eluerentque. *Magnam veri partem perspexerat hic* Coccejus; Videtur significari, *inquit*, Deum eos servasse ab hostibus, & aluisse ex omnibus partibus, ut commode vitam agerent. *Sed attingere non potuit illud in quo figurae acumen & suavitas sita est, quae metaphora transsumta a pastoribus*, aestus relevationem, sitisque in beata aquarum copia depulsionem *continet. Verbi usus abstrusior, & ex intimo artificio depromptus, liquidiore in luce collocetur. Absolute in quarta conjug. dicunt Arabes* . . . אנהל expletos potu camelos habuit pastor; & primo illo haustu a siti recreatos. *Cui subjungunt* . . . אעל altero jam haustu ad plenum satiatos habuit greges. *Utrumque adhibent vocabulum, ubi exquisitioris sermonis laudem aucupantur. At quum proprietatis non tam religiosa eos cura tenet* אנהל *defungi licet, ad indicandum* pastoris statum, cui contigit largiore potu gregem recreare sitientem. *Locutionis ergo nativa facies haec est.* Et undiquaque habuit eos potos, atque a siti recreatos; *ubi jam nemini mens tam laeva esse potest, qui non statim advertat, omne illud pulcherrimo emblemati esse involutum, quod liberiore paraphrasi modo evolvimus. Hi justi sunt radicis nostrae fines: non tamen tam alte termini haerent, ut eos migrare nefas sit; sed, ut fit, percrebrescant, & in latius sese fundentes usus, abusum traxit, at-*

 que

que a fiti potuque, *ad* famem, paftum. *&* alimoniam *fe explicuit. Infigni documento eft Gen.* 47. 17. וינחלם בלחם: *quod exercet interpretes, multumque fcrupuli facefſit iis, quibus non alia quam* ducendi agendive *cognita eft poteftas. Ingeniofe fatis* Coccejus, fecit eos vitam prorogare, & ducere, pane, *id eft,* fuftentavit eos : *acutius tamen quam verius, quum duplex illa vis tranfitiva nulla firmetur auctoritate, & ab indole radicis alienior fit.* Suftentandi *tamen verbum rite hic adhibitum eft, fed alio ex capite ac fonte fummiffum, ut* abunde eos pavit, explerosque habuit ac fatiatos pane *proclivi admodum ac facili ratione fit dictum, ob fimilitudinem quae inter* potum paftumque *intercedit, & affinitatem qua* fitis famisque defideria *conjuncta funt. Difficultatem omnem levat confimilis plane Arabum abufus, quo non tantum* potus *ille eft,* quem primum hauriunt cameli, *verum etiam* omnis cibus qui comeditur, *&* quicquid nutrit, explet, ac famem fedat, *auctore* Phiruzabadio. *Ex adverfo* השביע fatiare, *cujus proprietas eft in* fame explenda, *in* fiti *etiam* fedanda *ufurpatum reperio* Amofi Cap. 4. 8. *& laxius adhuc Job* 38. 28. in terra compluta, & coeleftibus aquis probe rigata. *Suntque ejus generis infinita omnibus in linguis paffim obvia. Sunt duo praeterea loca, in quibus aliquid de poteftate a nobis pofita remiffum videtur, &* commodus *tantum* lenisque *gregis* ductus *fe exerere, non adjuncta illa* fitis depulfae *notione. Et illud omnibus linguis folens eft ac familiare, atque originem a nobis editam ne hilum quidem infirmare poteft. Ubi tamen locorum iftorum mentem altius introfpicio, fingulari judicio ftudioque eam ipfam vim captatam effe, & tacitis cogitationibus infinuatam, deprehendo 2 Chron.* 28. 15. Sumferunt captivam illam multitudinem, eorumque nudos ex ipfa praeda veftiverunt : וילבשום ויאכלום וישקום ויסכום וינהלום בחמרים eosque indutos, calceatos, cibo potuque expletos, atque oleo delibutos deduxerunt afinis. *Nil pote melius ac felicius, quam feriem hanc claudere verbo* נהל, *quod eft,* prominare pecus pulcre potum, & a fiti, laffitudine, aeftu recreatum, *quod ipfum hic intendit, ob oculofque habuit Sacer Scriptor. Non abfimilis ratio verfatur Gen.* 33. 14. Tranfeat quaefo dominus meus ante fervum fuum; ואני אתנהלה לאטי pro pedatu pecoris ac puerorum. *Redditur* procedam lente,

le-

leniter me ducem praebebo, meoque commodo; *sensu pleno finisque numeris absoluto, ut nihil relictum esse videatur* siti levatae ac depulsae. *Eam tamen neutiquam amittendam atque insuper habendam esse censeo; praecesserat enim vs. superiori*, puelli teneri sunt, ovesque ac boves lactantes mihi incumbunt, quas si vel unum diem majore impetu propellerent *pecuarii tui*, universus grex moreretur. *Nempe periculum foret, ne* aestu, siti, lassitudine, aquationisque & idoneae quietis defectu *absumerentur: a quibus malis & incommodis ut gregem sibi suum prohibere & defendere liceat, fratrem interpellat Jacobus, pulchra & foecunda in mentem suam locatione usus*, viam arripiat Dominus ante me, ego interim pro incessu ac tenello illo pede mei agminis, pecus meum meosque parvulos אתנהלה לאטי meo commodo lotos potosque prominabo, eorum aestu, siti, defatigatione, idoneis aquationibus refota & depulsa. *Haec sunt quae ex uberrima atque florentissima radice, ad manus nostras devenerunt, & communem linguae Hebraeae cladem evaserunt; ex quibus interiore litterarum succo tincti, facile conjecturam capient, copiae illius atque opulentiae, qua larga haec & benigna scaturigo novis, usque & usque, orationis luminibus, ac figuris, redundare potuit.* „ Hactenus V. D.

§. II. Radix נהל consultis locis omnibus in quibus occurrit, & adhibitis quae diximus adminiculis, nobis dicet significatu primigenio *recte leniter ducere* relate ad animum & corpus; secundarium quid est *in ductu illo necessaria praebere*; Sed quod tum addendum est quia verbum hoc per se solum non significat, huc refer Gen. XLVII. 17. Ubi vox haec de opere divino gratioso passim adhibetur, quis existimet significatum primigenium illum esse quem postliminio ex Arabia reponit V. D. Significatus ille particularis scripturae locis omnibus aptari nequit. Verbum per se non significat quod ipse vult, sed per ea quae adduntur, quod docent loca omnia quae adducit ipse, vide Ps. XXIII. 2. pariter Jes. LIX. 10. confer Apoc. VII. Quaeso quid attinebat *aquas, fontes* &c. addere si verbum per se primigenio & proprio suo significatu dicat *aquatum ducere*? Quare ubi illud non additur Jes. XL. 11. Ps. XXXI. 4. Jes. LI. 18. verbum per se illud non significat quod V. D. illud significare jubet. An omnis ductus est ductus ad aquas? Cur igi-

 tur

tur aquae in his locis omissae locis superioribus additae fuerunt? Quod dicit ad Exod. xv. 13. rem per se si spectas verissimum est quia in aliis Scripturae locis diserte significatur, sed verbum illud heic non dicit hoc per se, sic enim non tantum per se vel primigenio suo significatu diceret aquatum ducere, vel & pro his divitiis metaphoricis pastum ducere; sed & modo prorsus miraculoso pastum & aquatum ducere. Neque vox per se idem dicit 2 Chron. xxxii. 32. Neque significatus ille applicari locis omnibus potest, vide 2 Chron. xxviii. 15. ubi *cibare potare* probe distinguitur ab eo quod significatur per verbum נהל An homines bene pastos potosque ad primos haustus ducis? Sed attende novum significatum quem necessitas V. D. imposuit hoc in loco radici suae dare. Relege superius ex illo ad h. l. citata. Itane haec sunt eadem? Neque felicius se expedit in loco Gen. 33. 14. Nihil hic intenditur nisi propulsionem fieri non debere majore impetu sive continuo secus aquas sive non; satis est patescere hinc quid in simplice verbi significatu contineatur quid non.

Ipse porro de נהללים Jes. vii. 19. Pag. 232. 233. *Ejusdem plane potestatis, atque emblematicae suavitatis fuisse conjicio vocabulum* נהללים *Esaiae 7. 19. multis vexatum hallucinationibus. Magni nominis interpretes* laudatas arbores *significari putant, a verbo* הלל. *Rabbini contra* arbores viliores & depressiores *notari contendunt. Non nemo ex eruditis* splendidos flores *maluit, quod* הלל splendere *valeat. Aliis a radice* נהל *placuit vertere* ductus virium; *ut minus commode, ita praeter indolem, quae* loca aquis irrigua *subjicit. Illud equidem, quamvis pro certo atque explorato venditare nolim, praehabuerim, atque ut* נעצוצים *sumo pro* sentecetis, multoque squalore horrentibus vepretis: *sic* נהללים *interpretor* loca rigua, laeta, aquis & fontibus perennia. *Ea autem figurate adhibita putem, pro* lautioribus laetioribusque fortunis, qua privatis *domuum ac familiarum*, qua publicis *urbium & civitatum. E contrario* horrida illa vepreta, *pro emblemate capio* humilioris squalidiorisque fortunae, *tam* privatae, *quam* publicae. „

Sed perperam supponit V. D. quod radix sua indole *loca aquis irrigua subjiciat.* Neque rigua neque irrigua loca subjicit significatus primigenius qui simpliciter est *ducere.* Unde simpli-

pliciſſima eſt interpretatio quae reddit *ductus*, & hic quia de locis agitur *ductus viarum*; & ſenſus eſt omnia ab hoſtibus obieſſum occupatum iri loca & locorum aditus, etiam viae ductus latentiores. Hac occaſione ſequentia habet V. D. de voce עטין pag. 233. 234. *Hoc pulcherrimo inſigni purpuram quoque ſuam praetexuit & diſtinxit Scriptor libri* Jobi *Cap.* 21. 24. *ubi impiorum florentes opulentaſque fortunas expingens, hunc ceteris admiſcet colorem :* עטינו מלאו חלב. *Nuſquam alibi lectum vocabulum* עטינים *fluctus ciet opinionum & conjecturarum.* Graeci & Latinus, Viſcera: Arab. & Syrus, latera: ubera *dedit* Chaldaeus. R. Salomon adipem *ſonare putavit* עטין, *quod* מעטן *Thalmudicis ſit* cupa trapeti, in quam oleum pingue exprimitur. *Nugae. Ex nonnullorum mente, qui* vala mulctralia *arripuiſſe leguntur in* Kimchi Lexico, *verſiones noſtras ea jam ſuo velut jure obſident. Meliora docuerant* R. Jonas & Aben-Eſra *qui Arabum auctoritate ediderant* loca in quibus cameli procumbunt ad aquas. *Nihil verius Firmavit jam ex* Camuſo Bochartus. . . . . . Cameli dicuntur עטן ubi poti & expleti in genua procumbunt. Et pag. 235. עטנים loca rigua, ubi poti procumbunt cameli. *figuram hic ſuſtinent* ampliſſimarum opum fortunarumque; *ut* omnium bonarum rerum ubertas, affluentia, & perennis copia, *colore* lactis *depingitur.* „*Utrumque ex Arabum deliciis depromtum eſt, quibus, ut alia hujus argumenti locique vocabula, ſic* . . . *etiam*, opulentiam *affert* & lautas lactaſque res, *unde ſolenne illud* . . . . . . *vel* opulentum *ſignat* & beatum, *vel* munificum & liberalem, *quum proprie ſonet* hominem cui amplum eſt עטן. „ Sed non video V. D. quod heic omnino deſideratur adferre elegantiam Arabicam quae *loca in quibus cameli procumbunt ad aquas* & *lac* conjungat. Et profecto eſſet haec mirabilis allegorica connexio rerum non bene junctarum; ſi vel fingis lactis flumina, quid illis cum locis ubi cameli procumbunt? Et ſi vel ille radicis noſtrae uſus ſit apud Arabes ut ſignificet loca ubi cameli poti procumbunt; non credo hunc eſſe ſignificatum primigenium, dum non conſtat ſignificare aliquid quod ad naturam Cameli ſpectat cur primo & proprio ſuo ſignificatu potius dicat loca in quibus Cameli poti procumbunt quam in genere loca ubi pecus quaecunque pota pro-

cum-

cumbit vel requiescit? Dum intelligi debet aliquid quod lacte repletum est, & liquet heic non intelligi ubera, atque constat עטן apud Chaldaeos esse *intulit, deposuit, imposuit*, quid, amo te, ad naturam rei simplicius & propius accedit quam mulctrale? *Mulctralia ejus sunt plena lacte.* Et sic quod jam observarunt alii contra Bochartum, non deerit inter duo versiculi membra justa analogia; etenim ex lactis usu & pinguedine medulla quoque ossium uberius quam aqua rigatur.

SECTIO IX.

De Voce איתן.

§. I.

QUod ad το איתן haec excerpo pag. 238. 239. *Fugit adhuc linguae studiosos vera stirps & radix, quae nec אית est, nec אתן, quae vulgo subjici video, quamvis nulla earum vi ac potestate edita: sed יתן, pro qua Arabes, more solenni ותן . . . pronunciant. Fefellit etiam formae & derivationis illa amplitudo & eminentia, quae per Aleph Servile in principio positum, superlativum affert gradum. Delituit denique nativa, & justis finibus circumscripta, proprietas; quam alii in* aspero, duro, horrido *fixerunt; alii in* forti, valido, robusto; *alii multiplicatis notionibus, nunc per* gravem & severum, *nunc per* potentem. *nunc aliter reddididerunt; assumta etiam alicubi substantiva notione* roboris, *vel quod* Coccejo *allubuit*, tumoris & fluxus aquarum. *postremum hoc proxime ad veritatem accessit, & satis feliciter conjectum est, יתן enim proprium locum tenet* in aquis perenni vena praeditis, *atque inde superlativa illa forma איתן ex origine sua semper & unice sonat*, maxime perennem, & inexhausta vena praeditum: *unde insignes fluxerunt metaphorae quas stabilita sede hac, nitori suo, multis in locis, restituemus. Audiatur primo* Camusi *auctor.* ואתן dicitur omne quod durat & permanet sua in sede: aqua praesertim jugiter fluens & perennis: ותין autem appellatur vena ad cor pertinens, qua abscissa emoriendum sit; unde in 4. conj. אותן, & in 1. conj. ותן valet, afficit in ותין, ictu letali; Eadem conjugatio, adhibitis infinitivis formis ותון & ותנה, usurpatur in aqua pe-

ren-

renni, & cujus non interrumpitur vena. In decima Conjug. de grege אסחותן usu venit pro pinguem & obesum esse. Pag. 243. 244. *Proprietas quidem a nobis prodita, in* perenni *&* perpetim fluenti, *liquidissime sese exerit tribus in locis. Amos.* 5. 24. Et evolvet sese aquarum instar judicium: & justitia כנחל איתן tanquam perennis, *&* uberi ac inexhausta vena decurrens fluvius. *Sic Psalm.* 74. 15. אתה הובשת נהרות איתן Tu exarescere fecisti flumina perennia. *Clarius adhuc Exod.* 14. 27. & protendente manum Mose, rediit mare לאיתנו. *Mirifica subest gravitas & venustas, qua exciderunt, qui* adjectivum *singulari hic arte & judicio positum, commutarunt in* substantivum, *ac per* robur *converterunt*; ad robur suum rediit mare. *Propius originem* Coccejus; Rediit ad fluxum *vel* rumorem suum. *Tu edere ne cuncteris.* Et rediit mare ad *τὸ* perenne suum. *Grande quid spirat structura haec. τὸ* perenne maris *est* nativus ille atque inabruptus aquarum impetus, quo continuo aestu fervent & reciprocantur maria. *Huc pertinet etiam notabilis admodum lex Deut.* 21. 4. *quae non una de causa, ut mox liquebit, singularem sibi vindicat curam. praescribit ea caedis incerto auctore patratae solemne piaculum, ut urbis illius, quae Cadaver proxime contingebat, Senatus,* vaccam injugem & operis rustici expertem deducant אל נחל איתן אשר לא יעבד בו ולא יזרע / eique vaccae collum praecidant בנחל / ac manus suas super piaculari illo sacro lavent בנחל. *Vocabulum* נחל vallem *complectitur &* torrentem *in valle decurrentem. Anceps proinde cura districtos tenet interpretes, aliis in* vallem, *aliis in* torrentem *sententiam inclinantibus.* Pag. 247. & 248. *Quid ergo?* נחל *nec* vallem *simpliciter hic valet, adjunctas enim aquas postulat* ℣s. 6. *totiusque sacri religiosa solennitas*; *nec* torrentem *vel* fluvium, *quod, postrema legis verba eum respuant*: *sed utrumque simul exprimit,* vallem *nempe* aquis irriguam, *per quam* hiberni *decurrant* torrentes, nivis montano flumine rapidi, *ut est apud Poetam, sed quae aestate* siccentur, *& saepe numero* arentur, conserantur, *&* segetem efferant. *Haec vocabuli est proprietas*; *abusus longius patere jussit, & ad* valles *etiam non* irriguas, *atque* torrentium ac fluviorum omne genus *accommodavit. Dilucere jam incipit,* נחל איתן *nec* vallem *esse* asperam, *nec* fluvium validum, *sed* irriguam perennibus aquis

val-

lem, *quae nunquam aestivis solibus adficcetur*, *nunquam* agricultura exerceatur, *nunquam* conseratur; אשר לא יעבד ולא יזרע *ut in aliis saepe* vallibus, *quarum* torrentes *aestas consumit & exhaurit*, *usu venire solet*.

§. II. Si loca recte inspicis omnia, significatus primigenius recte figitur in eo quod ipse ex Lexicographis adducit imo & ex Autore Camusi. Recte generaliter significat omne quod perdurat. Sed significatus primigenius non restringitur ad aquas sed extendit se ad quidvis quod perdurat; usurpatur equidem & de aquis Amos. v. 24. Ps. LXXIV. 15. Exod. XIV. 27. Sed & ad alia se extendit. Gen. XLIX. 24. ad arcum. Ubi certe recepta interpretatio simplex est. Etiam ad montes, mansionem &c. Hinc non necessario admittenda ejus interpretatio Deut. XXI. 4. Dicit *vallem* horridam, in statu inculto perdurantem quod sequentia declarant.

SECTIO X.

De radice חלה.

§. 1. Haec habet Vir celeb. Pag. 258. & 259. *Lexicographos si consulamus, minus certos & exploratos significandi fines assignari deprehendemus.* חלה*, docente Celeb.* Coccejo, *sonat* aegrotare, infirmari, viribus privari. *Alii adjungunt*, debilitari, cruciari. *Non amo istam copiam, quae me, dum ditat, pauperat.* Viribus privari, *seu* infirmari, *in quo potissimum pedem fixit Lexicographorum princeps, notio est laxior ac vaga, quae viginti & ultra tralatis verbis eleganter exprimi potest.* Attenuari, atteri, enervari, contundi, frangi *aliaque bene multa, sua quaeque properietate distincta, confunduntur tamen, & concurrunt, ad* infirmitatem *& virium* privationem *indicandam. Dicamne* חלה *proprie esse* enervari? *at deficiente in sacris proprietate, & primitiva, quam vestigamus, indole, temere id definiretur. Dicamne* atteri? *verissimum id est, atque ut quilibet statim persentiscit, congruentissimum, & tamen nimis audacter id adfirmaretur, si intra cancellos reliquiarum Biblicarum nos teneremus. Veteres interpretes si excutiamus, non plus praesidii ac luminis subministrabunt: vocem enim, ἀῤῥωστεῖν, ἀσθενεῖν & similia, quo usi sunt LXX, eodem plane incommodo laborant; atque hujus*

hujus etiam notionis vim vicemque vigenti aliâ verba, in metaphoram traducta, opportunissime implere possent.

§. II. Certe immerito vapulant cel. Coccejus aliique interpretes. *Infirmari* dicit esse *notionem laxiorem & vagam*, dicere debuerat universalem simplicem primigeniam, sub qua notione universali continentur singulares illae a V. D. memoratae *attenuari, atteri* &c. ceu totidem modi quibus quid infirmatur. Quem perperam defectum carpit in Coccejo & Lexicographis, verè defectus est regnans in omni V. D. hypothesi & methodo.

§. III. Sed audiamus quid V. D. huc adferat. Pag. 260. & 261. *Scripserunt promiscue Hebraei* חלה *ultima* He *quiescente, &* חלא *ultima* Aleph. *Argumento est* 2 Chron. 16. 12. ויחלא אסא / *&* Jes. 53. 10. החלי *pro* החליא : *nec non derivata* תחלואים / *&* חלאים / *&*, *quod male hinc divulsum fuit*, חלאתה / *penes* Ezechielem. *postremam scriptionem unice adoptarunt Arabes, sub* . . . *ultimo* Eliph *radicali & mobili, radicisque ingenium nativum, largo cum foenore, Matri lingue suae refundent. Audiatur itaque* Zjauharius. Dicitur חלאת ipsi חלאא / quum teris alicui lapidem super lapide, ramentis in manum colligendis, ut madida fuligine oculos tingas, stibioque illinas. *vocat nos ad ritum, quo* fuliginatos stibio orbes *oculorum fucat mulier.* Pag. 262. & 263. Est etiam חלאתה derasio pellis, cui deterunt & deradunt coriarii partes carni vicinas. Dicisque חלאת אלגלד decorticavi pellem; uti in proverbio, decorticavit pulcre comta cubitum suum; saepe enim comtulae mulierculârum nimium festinant, ac gestiunt, suumque sibi cubitum atterunt atque excoriant, *Ex quibus colligere est*, חלא trivit, *frequentars pro* . . , decorticavit, excoriavit; cutem rasit. *& praesertim in* coriariorum *arte locum invenire : subjungit mox* Zjauharius. Derivatum תחליא est quod culter corrumpit in pelle, quum decorticatur; atque inde dicis חלי אלאדים cultro corrupta fuit pellis, quum in ea existit תחליא. Pag. 263. *Affinis est usus, quem statim subtexit.* חלא etiam vocatur pustula post febrim in labio erumpens, diciturque חלית שפתי Labium meum pustulis & tuberculis affectum attritumve fuit. *Et hanc verbi* חלא *elegantiorum sedem diligenter observari velim,*

palam a terendo *assumtam.* Pag. 279. *Non nihil scrupuli relinquere posset* חלי / *ejusque collectivum* חליה / *quod* Vulgatus *alibi* monile, *alibi* margaritam *dedit: LXX.* ὁρμίσκος, καθόρμια. Coccejus *declarat* omne ornamentum aureum corpori appensum. *Plurale* חלאים *scribitur, pro* חליים *Cant.* 7. 2. *Veriverbium aperire nemo tentavit: neque sane ullis fidiculis ex notione vulgari radicis elici potest.* Pag. 280. *Nempe* trivit *prisca memoria fuit etiam* polivit; *vestigium notionis istius servat* . . . . חלית Chilja, *juxta* Golium, externa forma descriptioque viri. *Arabes declarant per* . . . . laevigata facies, politura, filum corporis. *Ut autem* . . . *fluxit a* . . . . laevigavit, atterendo expolivit, *sic* . . . . exterior species, *&* politura *rei* oculos afficiens, *a terendo non nimis audacter derivabitur. Tenemus jam* חלה trivit *pro* polivit. *Inde* חלי monile: ornamentum aureum multa politura insigne: mundus muliebris nitidus & politus.

§. IV. Quia a חלה vel חלא non tantum est חולי / מחלה / *morbus* תחלאים *morbi*; sed & חלי *ornamentum monile* & חלית *ornatus*; חליא *spuma*, ego existimem universalem & primigenium verbi significatum esse *vehementer affici* sive hoc ad animum sive ad corpus tuum aliudve corpus referas, *violentè agitari, validè tractari* quod plerumque noceat, inde *infirmari, viribus debilitari, atteri, aegrotare*; sed & saepe quod noxium, superfluum sordidum est *aufferat deterat, abstergat, eiiciat* sicque rem in melius restituat, unde detritis separatis scoriis sordibus taeccibus significare potest חלי & חליה detritum politum quid, & חליא agitatione forti ebulliens & ejectum quid sicque *spumam.* Quod ad locum Ezech. XXIV. 4. seqq. quem V. C. ex sua hypothesi dilucidat, commodè ex fixo a me significatu generaliore erit vel spuma vel aerugo quam olla despumet. Significatus ipsius arabicos non esse primigenios res ipsa loquitur.

SECTIO. XI.

De radice רגע.

§. I. Haec excerpimus Pag. 285. *Laboranti radici succurrat nunc Arabicum* . . . רעג / *per leviculam metathesin ab Hebraeis trans-*

transsumtum. Zjattharius, Radix in octava conj. valet tremulo motu agitari; de fulmine autem רעג אלברק in prima, & ארעג in quarta, quum continuata serie coruscat: Sic usus est El-Asjsiasj. Pag. 287. *Ecce jam tibi* רגע / tremulo motu coruscum, *&* vibrans. *Assensum non denegabunt, qui ex* Coccejo movere *hauserunt; quamvis id minus efficax, & male fidum, haesitanter teneant. Sic ingenue professus est in literis hisce, ut in omni doctrina, consummatissimus,* Camp. Vitringa, *in Comm. ad* Esaj. 51. 15. Vocabulo רגע commodissime hic tribui video significatum commovendi: ut idem fere valeat quod רגז & רגש / etsi ipsam hanc significationem validius assertam vellem. *Asserui; & quidem sic, ut pro* commotione, *radici huic adstruxerim* vibrandi *potentiam,* gravi tremore *semet exerentem, & simul* coruscum *complectentem.* Pag. 288. Vibrandi *proprietate hac nubeculam discutiam, quae hactenus splendidissimam* Esaiae *orationem fuscavit, Cap.* 51. 4. Lex a me prodibit, ומשפטי לאור עמים ארגיע. Pag. 289. Judicium meum in lumen gentium faciam vibrare, corusci instar jubaris emicare. *Vides Euangelii* radios *&* auroram; *ut saepe alibi. Sed fortius aliquid hic residet, & imaginem* Fulminis *ingerit* ארגיע / *cum cujus corusco lumine, potentia, & incredibili rapiditate, exortus procursusque Novae Legis comparatur.*

§. II. Quia verbo רגע in niphal en hiphil manifestissime subest notio τῦ quiescere & quietum reddere, uti & derivatis ab illis, necessario statuenda heic esset significationis ἐναντιότης si τὸ רגע ullo in loco simpliciter significaret *movit commovit*; sed hunc significatum non invenio; existimo primigenium esse *subito abrumpere aliquid* sic רגע *momentum* abruptum quid; unde & significat motum perturbantem ilicò sistere sicque coërcere sedare. Verte Jes. LI. 15. Jer. XXXI. 35. *qui sedat* compescit *mare,* motum ejus sistit, *si, quum, vel etiamsi aestuent fremant ejus fluctus.* Et si respicitur ad mare rubrum miraculose *scissum* ea scissione non commovebatur mare sed muri adinstar consistebat vide & Job. XXVI. 12. Veram verbi notionem esse quam dedimus porro manifestum est ex loco Jer. XLVII. 6. Arabicum vero illud *circumstrepere vibrare coruscare* quod Vir Celeb. locis scripturae S. applicat perquam quaesitum est & nihil coruscat in locis illis. *Judicium facere, vibrare & coruscare* Jes. LI. 4.

L1. 4. alienum est admodum, sic opus non fuisset addere *in lucem*, certe illud *facere vibrare* nihil dicit quod *in lucem* non dicat multo simplicius & clarius; sic quaesitè idem bis dicitur, & non coruscat promissio quae stabilem judicii sedem promittit per *to quiescere* faciam judicium, cui versioni cur non acquiescamus nulla est ratio. Notio autem fulminis ab hac promissione abludit. Neque radicem V. D. apud Arabes invenit nisi per literarum metathesin, quae si obtineat methodus, viam in arabiam nimis latam latiorem pandet.

SECTIO XII.

§. I.

De נבט In hiphil הביט Sic V. D. Pag. 316. *Arabum praesidium circumspectanti offerunt se verba* נבץ . . . . *&* יבץ . . . . *&* ימץ . . . . *per solennem mutationem* Teth *in* Z lade *ex Hebraeorum vetustis radicibus* נבט / יבט *&* ימט *propagata. Omnibus illis inest* vibrare, *&* tremulum micare, *in* fulmine, *in* oculo, in aliis *rebus* coruscum motum edentibus. Pag. 321. Phiruzabadius נבץ אלמאא micuit aqua, fluxit. Infinitivus est נבוץ. Et, micuit vena, infin. נבץ & נבצאן/ pro commota & agitata fuit. Et arcu suo micuit; projaculatus est eo, aut nervum cjus attraxit sic ut tinniret. אנבץ idem. Et נבץ אלברק micuit fulmen, est ex occulto resplenduit. Et, non est in eo חבץ ולא נבץ pro nusquam se movet micatue unde מנבץ cordis, est locus ille ubi pulsari vides cor. denique micans נאבץ/ ponitur pro irato. Pag. 323. & 324. *Nemo nunc, opinor, ambiget, quin* נבט *Hebraeorum, ut ad originem hanc, sic ad splendidum* oculo micandi *figuram sit revocandum. Teneamus itaque* נבט *&* יבט *in* Kal, *notione intransitiva*, micuit, *&* tremulum vibravit. *In* Hiphil הביט micare fecit oculum, *&* vibranti acie intendit. *Luminis haud poenitendum incrementum hinc percipient, quotquot verbi hujus vestigia remansere.*

§. II. Iterum V. D. significatum suum Arabicum in. He-

braeum solum infert per metathesim. Oportet verbi significatum primigenium esse generaliorem, qui plures diversosque admodum adspiciendi modos possit involvere. Ubi verbum de Deo usurpatur est vel adspectus *gratiae* ac *bonitatis* Ps. LXXXIV. 10. Jes. LXIV. 8. LXVI. 2. vel gratiosi auxilii benevolaeque curae & defensionis Ps. XIII. 4. LXXX. 15. Thren. v. 1. indignationis Ps. CIV. 32. approbationis Habac. I. 13. Quare in genere dicit *adspicere*. Vide *Stockii* Lexicon.

SECTIO XIII.

De radice נקף.

§. I.

PAg. 329. 330. 31. *Opem feret caput hoc radici* נקף *ejusque fluctuantem adhuc, longo temporis injuria imminutam potestatem, explebit, & in tuto collocabit. Rabbini* לשון כריתה ושבירה exscindendi & confringendi *vim verbo huic insitam esse pronunciarunt.* Coccejo *visum fuit* destringendi *notionem, indoli ejus adamussim respondere. Apud Cl.* Stockium *reperio*, excidit, excussit, decussit circumquaque: *Item* definivit, determinavit. *Apparet id secutum esse quemque, quod aliqua veri specie afficiebat, & locis potissimum congruere videbatur. Litem decernant Arabes, quibus . . . perfamiliare est. Ejus ingenium* Zjauharius *accurate & copiose exponit.* נקף valet caput diffringere cum cerebri comminutione: Unde 3. Conjug. נאקף cum infinitivis מנאקפה & נקאף est caput invicem comminuere & contundere, ut in solenni illo, Hodie pocula, cras capitis & cerebri comminutiones. Hodie vinum, cras negotium. Adhibeas etiam נקף quum colocynthidem findis ad semina eximenda, unde illud Amri l Kisi.

Tanquam si ego, quum collectis sarcinis discederent,
Inter nocturnas familiae fabulas contusor essem colocynthidis.

D.

Dicitur etiam אנקפתך אלמח diffringendam tibi dedi medullam, quum ossa tibi do ad medullam eximendam. *Adjicit* Phiruzabadius *haec duo*, pertudit ovum, &, jugulavit diluitve vinum; *quasi dicas*, caput vini infregit contuditve; *interque derivata notabile est* . . . נִקְאַף / *quod in* Camuso *explanatur*, Latro truculentus, *quasi dicas*, capitum contusor, *&* cerebri dissipator.

§. II. Iterum significatus particularis qui applicatio quaedam est significatus universalis qui indagandus est ex collatis & inspectis scripturae locis ubi occurrit: Per se magis dicere caput *diffringere* quam aliud quodvis, tam est alienum *quam caput vini diffringere.*

SECTIO XIV.

De radice ספה.

§. I.

Pag. 343. 344. *Judaeorum magistri significationes sub duas classes conjecerunt, quarum altera amplectitur* כל מה שפירושו כליה omne quod consumtionem interpretari licet, *altera* מה שפירושו תוספת quod per additionem exponitur. *Sic* R. Nathan *in* Concord. *Sic* Kimchius *in* Libro Radicum, *sic mente ac voce consona omnes. Hinc per Lexica & versiones nostras circumferuntur notiones*, perdere, disperdere, consumere, *nec non* adjungere, aggregare *&c. atque nonnullis visum fuit, radicem hanc iis esse annumerandam, quae opposita & contraria pollent potestate: ut quae ex origine valuerat* addere, *per antithesin devenerit in* dissipandi, *&* perdendi *significationem*, *Hoc Grammaticorum commento duci se haud passus* Coccejus, *fertem sic ordinare instituit, ut* ספה / *ex cognatione verbi* סוף / primo, *usu venire possit pro* consumi, deficere: *ex affinitate*, secundo, *verbi* אסף / *pro* auferre, consumere: *ob viciniam*, tertio, *verbi* יסף / *pro* addere, conjungere. Pag. 345. *Hisce nos explicabunt & evolvent Arabes, quibus* . . . *ut cognatum* . . . *&* . . . *primario est* radere, verrere. *Hinc prognatum est*, Radit terram ventus, quum pulverem spargit verritque; *teste*, Zjauhario: *ut &*, Rasit, pro rapidus fuit in

itu

itu aut volatu, *penes eundem.* Golius *hunc* Zjauharii *ordinem invertit, seriemque sic ordinavit.* . . . . 1. velox fuit eundo vel volando. 2. Abripuit, asportavit, dispersit pulverem ventus: *nihil quicquam suspicatus de* radendi *notione primitiva, unde utraque metaphora venuste propagata est.* Pag. 352. *Hoc jacto fundamento verbum* ספה *suis finibus reddamus. Id* radendi *potestate praeditum fuisse, extra controversiae aleam locat* Esaj. 7. 20. Die illo attondebit Dominus, בתער השכירה Novacula mercenaria, per transfluviales, per Regem Assyriae, Caput, & Pubem; וגם את הזקן תספה atque ipsa etiam Barba RADETUR.

§. II. Iterum modus aliquis pro universali significatu. Certe verbum per se non dicit novacula radere. Hinc in loco ab ipso allegato novacula additur. Igitur loca ubi novacula non additur, non recte sic vertuntur. V. C. Pag. 357. Gen. 19. 15, 17. פן תספה Ne RADARIS in Urbis hujus iniquitate: *vel, si placet,* poena. *Num.* 16. 26. פן תספו בכל חטאתם Ne RADAMINI in omnibus eorum peccatis. Significatus universalis est *auferre*, quod quia fit multis modis plures significatus secundarios & particulares admittit pro rei quae aufertur cujusque natura.

SECTIO. XV.

De radice כנע.

§. I.

OBlitus ferè fueram radicis כנע cujus verum significatum latere hactenus dixerat in introductione postquam verbo ישע & הושיע verum significatum ex Arabia reddidisse sibi visus fuerat. Sic ille pag. 21. & 22. *Non felicioribus esse licuit linguae cultoribus in radicis* כנע *virtute & indole evolvenda, quam in* Niphal *&* Hiphil *frequentatam, nemo est qui se non penitus penitusque perspexisse existimet, quod tamen secus se habere, si rem recte putare velimus, deprehendetur. Nihil hic acutulos illos ex Judaeorum schola moror, qui* כנע *declaraturi, ei inesse narrant* לשון כניעה*: quasi tu* deprimere *expositurus, continere illud dicas* depressionem. *Valeant illi homines, & sibi suam illam praeclaram linguae habeant*

cognitionem; nos quo usque nostrorum hac in voce acies pertinuerit, sub examen vocemus. Luce eos, si te specie duci finas, abundare dixeris; ita enim Buxtorfius *aliique melioris notae*, depressit, prostravit, abjectum, humilem reddidit *verbo* הכניע *addunt: at trepidare istuc est per sententias, non certo aliquid judicio constituere & definire. Quid enim? an non alia longe vis est* deprimendi, *quam* prosternendi, *si originem spectes? quid* abjici? *quid* humilem reddi? *haeccine ut ad unum se usum porrigere posse certum est, ita una etiam ab stirpe propagari sanus quis dixerit? quid si nulla harum vocum, vocis Hebraicae naturam contingat? hoc certe* Coccejo *videbatur, qui* כנע *sonare docet*, flecti, cedere: *sed & hujus placita alius rescindit, cui* incurvare *potius ridet; quibus ego, si ita luxuriare libet, & quod in solum veniret securi sequi, facile palmam praeripiam: non enim puto*, affligere *vel* profligare, *&* conquassare, *&* percellere, *&* evertere, *&* pessundare *& quae non? necesse habere, ut illi superiorum vocum significandi potestate & nervo cedant, aut minus esse accommodata, ad usum radicis Hebraicae adumbrandum.*


§. II. Difficultatem adfert sed non tollit quod hactenus in eo non fit. Sed video quod in Comm. in Job. p. 1144. כנע ex Arabismo ipsi sit, *contractis ex ariditate digitis manibusve torpuit* inde in hiphil *facere contuet contractis manibus esse*, sicque *deprimere incurvare humiliare.* Sed quis credat particulare illud *contractus esse manibus*, esse verbi primigenium ad corpus animumque spectans? Universalis notio est ea *depressionis*, secundariae quas ipse ex Interpretibus adduxit sunt ejus modi singulares.

DIS-

DISSERTATIONIS

PARS ALTERA

INQUIRENS IN VIRI CL. DEFECTUS HODIERNOS LINGUAE HEBRAEAE EOSQUE RESARCIENDOS.



Efectuum classes adsignat V. Cl. in praemissa synopsi & pag. 7. §. XI. vide & §. XIV - XVI. §. XIX. De Linguae Hebraeae defectibus, sintne reales an mere ideales, sicque de eorum classibus si quas habent rectius pronunciabimus post lustratos & a Cl. Viro resarcitos illos defectus.

SECTIO I.

Radix נבה *civitate hebraea perperam donata reiicitur.*

HAEc habet de restuenda radice נבה Pag. 14. §. XXII. *Inter radices restituendas porro offert sese* נבה *ultima* He *quiescente, quae ex omnibus Lexicis exulans, clarissimum vestigium sui reliquit* 2 Reg. 3. 24. Et venerant *Moabitae* ad castra Israelis: surrexerunt itaque Israelitae, & Moabitas straverunt fusos fugatosque; ויכו in iis, idque Moabitas sternendo. Pag. 16. 17. 18. *Legitime hinc infero ac concludo ad emendationem hujus contextus non tuto manum admoveri, quum plusquam verisimile sit, extitisse, vivente ac vigente re Hebraica, verbum radicale* נבה *ultima* He *quiescente; qui enim habuere in hoc ordine litterarum* נבא / נבע / נבל / נבט / נבח *etiam reliqua ejusdem tenoris habere potuisse intelliguntur, licet nusquam forte in Bibliis appareant, vestigiumve hic aut illic impresserint. De nostro quidem* נבה / נכה *si quid video,* du-

dubitari non potest, quando evidentissima prae manibus est forma, ex futuro Hiphil inde derivata. Sed ignoratur in hodierno nostro ambitu, quo linguam Hebraeam circumscripsere Lexicographi, tum radix illa, tum significandi ejus potestas! Quid tum postea? An propterea obelo configi debet, atque inculcetur simul, defectu necessarii luminis promi nondum posse, quid Hebraeis olim valuerit נבה *; sed esse cur speretur, fugitivam significationem posse in lucem retrahi, si dialectorum scrinia rite excutiantur. Quam id non ex vano adfirmem, illustri documento erit hoc ipsum thema, apud Arabes ea potestate conservatum, qua nulla opportunior, pro serie & filo orationis, excogitari posset. Videlicet* . . . ! *ultima* Vav *&* Je, *id est* נכה *cum* He *quiescente, secundum dialectum Hebraeam, propriam sedem obtinet in* gladio retuso ictibus. Ita porrò, §. xxvi pag. 20. 21. *Hocce jam* retusum & hebetatum *in gladio, quod themati* נבה *inest, locum antea salebrosum unice expedire & figura opportunissima augere, nemo non agnoscit.* Et surrexerunt Israelitae, ac Moabitas straverunt in fugam datos : ויכו בה והכות את מואב & retusos in illa *strage* reddiderunt gladios, idque Moabitas caedendo. בה *malim* in ea *actione. Potest etiam capi pro* בם in iis ; *quia gentes* singulariter *&* faeminine *efferuntur. Sed prius venustius, credo, ac rotundius. Offendere autem neminem debet, quod* חרב gladius *hinc absit, nam & res ipsa id satis dictabat, &* formula bellica *hic exhibita illam nunc vocem, ut supervacuam, respuebat. Scilicet dixisse videntur Hebraei* הכה והבה / *non sine alliterationis pulcro lusu,* Caecidit & retusum reddidit; *nempe* gladium *suum, quum vellent* horrendam stragem *describere; quam formulam huic descriptioni propterea appositissime intexuit Sacer Scriptor,* ויכו את מואב ויכו בה והכות את מואב /. *quae universa structura, in primi ac postremi membri collocatione, ex intima Orientalis facundiae artificio est depromta, ac nihil otiosi languidive trahit quia caedes interneciva longe lateque omnem in partem continuata, ad* retusionem *usque* ferri, *ista venusta repetitione inculcatur.* „Sed quid opus est novo illo verbo? quidni statuitur apocope *τȣ* א sicut 1 Reg. xii. 12. Ruth. iii. 15. 1 Reg. xxi. 29. Mich. i. 15. cur, quia verbum per se id non significat, fingenda est illa ellipsis *Gladii*, & ad hanc illius *celeusmatis*? Et quidni simplicissime illud בה refertur, non ad quid quod non exstat, sed

ad

ad quid quod mox sequitur, nempe ad ipsam *Moabitida* in quam venerunt, cujusque urbes vastarunt. Etiam parum conveniunt gladii retusi ejusmodi divinae vindictae quae animos gladiosque acuit ictusque retusos aversatur.

SECTIO II.

De radice פשק.

ITa Vir Cl. ad radicem פשק pag. 27. 28. *Convertor tandem ad thema* פשק/ *fluctuans adhuc, instabilisque tum sedis, tum significationis, ut par. XX. vidimus. Istae radicales . . . frequentantur ab Arabibus in* pectendo, *&* ... *plane sonant ac . . .* pexuit capillos, *nisi quod . . .* פשק *latiorem sumat usum, atque non in* crinibus *modo* pectendis, *sed etiam in* lana carminanda, *similibusve, teratur. Hinc apud* Giggejum . . . pecten, *&* . . . decidua crinium, cum pectuntur; decidua lanae, cum carminatur. *Item* . . . particula pexi Gossypii. *Ex hoc primario fonte* pectendi *metaphorarum larga copia fluxit, quas cursim illustrasse non abs re fuerit, ad linguae amplitudinem simul & constantiam perspiciendam; praesertim quum dictionaria* Golii *ac* Giggeji *iterum minus peritos conturbare possent. Apud* Golium *in prima classe significationum legas,* . . . celeriter hasta fodit, verberavit, consuit, scripsit: *&*, deproperavit ictum. *His subnectitur deinde, tamquam in secunda quadam classe,* pexuit. *Atqui superiora illa omnia* secundaria *sunt, & per diversas figuras a* pectendo *deflexa.* „ Certe significatus aliquis generalior requiritur qui scripturae locis omnibus aptari possit. Et si secundum Arabes tam multis subjectis applicetur, *crinibus, lanae, uberibus, corpori,* nullus illorum significatuum singularium est primigenius. Hinc tamen jam explicat locum Gen. XV. 2. pag. 35. Filius pectinationis domus *est* ille qui domum universam administrat, procurat, colit, polit, *atque ut ita dicam* suo sub pectine comtam, nitidamque servat. *Hac figura* pectere *seu* pectinare *suum ornarunt Arabes, nam a* . . . משט, *idem fere quod* . . . פשק, *formula extat in* Giggejo . . .

 ma-

manus ejus opus egregie praeſtitit, *proprie* pexuit, diligenter & nitide curavit. *Inde* . . . . comtrix, quae ſponſas pectit, ornatrix, *latius etiam porrigitur, pro* conciliatrice, procuratrice, adminiſtratrice *omnis negotii, ad illud rite expediendum.* „Quidni ſimplicius eſt cum bene multis Lexicographis a שקק *diſcurrit, diſcurſavit*, reddere, *filius diſcurſationis domus meae*, id eſt oeconomus meus, omnium rerum mearum domeſticarum procurator, rei familiari praefectus, qui in curis & rebus domeſticis ſtrenue occupatus, omnes domus Angelos quaſi perreptat.

SECTIO III.

De radice גלע.

ITur ad claſſem ſecundam. Occurrit vox גלע pag. 46. 47. *Eſt in* Proverbiis Salomonis *thema* גלע, *nuſquam alibi in ſacris obvium. Id tribus dictis ſententioſis inſertum, ut haud dubie plenum eſt acuminis, ac requiſiti ſalis, ita ingenia interpretum exercuit; ad genuinam ejus potentiam enucleandam. Loca ſunt*, Prov. 17. 14. פוטר מים ראשית מדון ולפני התגלע הריב נטוש *Iterum* Cap. 18. 1. לתאוה יבקש נפרד בכל תושיה יתגלע *Denique* Cap. 20. 3. כבוד לאיש שבת מריב וכל אויל יתגלע *Miri ſunt verſionum fluctus: magna opinionum divergia. In priore ſcite LXX προηγεῖται δὲ τῆς ἐνδείας ϛάσις καὶ μάχη. quod caſſa nuce non emerim. In media, ἐν παντὶ δὲ καιρῷ ἐπονείδιϛος ἔϛαι; ubi nucleo amiſſo, relinquunt pignori putamina. Tertio tandem pedatu aliquid tolerabile edunt; πᾶς δὲ ἄφρων τοιούτοις συμπλέκεται.* „Certe LXX uno ſaltem in loco vel tertio illo pedatu verum ſignificatum conſervarunt. Et ex ipſa rei natura determinari poteſt, in ſuppetias etiam veniente Kimchio. Pag. 48. *Apud* Kimchium *in* Libr. Rad. *reperio* התגלע *declaratum per* התערב permiſcere ſe. *ſimiliter* R. Nathan *in* Concord. גלע פירושו עירוב exponitur per mixtionem. Ipſe tamen ex Arabia verum ſignificatum revocat pag. 51. *In* Camuſo *penes* Giggejum *eſt* . . . . . אצרי הכלב irritavit canem. . . . . . ירע הכלב הציד canis inſiluit venatui. A praeda haud receſſit. *in* Dagellata *forma*, Illum

lum praedae instare fecit. Illum assuevit ad venandum. Illum irritavit. pag. 52. & 73. *Aptissime sedente ista imagine, colligemus, & pro explorato trademus,* התגלע *esse* Caninum in morem ringi, atque irritari. pag. 73. *Ampliorem & dilucidiorem commentarium nemo desiderabit ad dicta Salomonis penitissime perspicienda.* Prov. 17. 14. principium litis est ut quum quis aquam laxat. ולפני התגלע הריב נטוש Ergo antequam ad restrictos dentes utrimque veniatur, litem omitte. *Iterum Cap.* 20. 3. Gloria est viro, manere sine rixa: omnis autem stultus restrictos nudat dentes כל אויל יתגלע. *Denique Cap.* 18. 10. pro libidine quaerit, *disputat,* is qui separat: *qui sibi solus videtur sapere:* & in omnem sapientiam nudatos stringit dentes. ובכל תושיה יתגלע. „Certè *caninum* illud non est primigenium praesertim si Cap. XVIII. ẏs. 1. in bonam partem est sumendum. Sunt qui ita accipiunt, ut damnetur singularitatis studium fastuosum & stolidum, nempe in malam partem si verba accipis, quando vertuntur: *ob desiderium suum quaeret separatus: in omni sapientia miscebit se:* Ita Gejerus & veteres metaphrases omnes, quando taxatur ambitiosum illud singularitatis studium, quo ex communi reliquorum turba ingenium fastuosum se eximere cupiens, pro lubidine prava, varia conquirit dissensionum argumenta, inque omni scibili ac sapientia versatum esse se vult videri, omnique adeo se sapientiae immiscet. Non video tamen rationem apodicticam: contra videtur omnino *τὸ immiscere se omni solidae sapientiae*, in bonam partem esse accipiendum: notio enim τὸ immiscere se alicui rei, suggerit τὸ in rei illius communionem venire: quare cur in vitio ponatur *τὸ immiscere se solidae sapientiae*, non video. Si vel vox Hebraea de implicatione in lites alibi sumitur, contrarium non probat, significatus primigenius & generalis simpliciter est immiscere; sicut *se litibus non necessariis immiscere* stultum & noxium est, ita laudabile est se immiscere implicare in solidam sapientiam. Et illud immiscere videtur heic respicere τὸ separare, quemadmodum separat se a pravo vel inutili consortio, & ad tempus ab omni consortio ut sibi deoque vivat, sic solidae sapientiae se adjungit intimè, se illi immiscet, & sic quod desiderabile est, quaerit. Igitur verba hujus versus in bonam partem accepta continent oppositum instituti

ſtitutum hominis prudentis ſe ſeparantis ab inutili conſortio; imo quandoque a conſortio omni, ſecum habitantis, oppoſitum inquam inſtituto ſtulti non habitantis ſecum, ſed ubique ſtultitiam ſuam propalantis vs. 2.

SECTIO IV.

De radice מחץ.

VApulant Interpretes quod non rectè reddiderunt radicem מחץ Pag. 54. & 55. 56. *Aliud ſpecimen thematis fluctuantis adhuc, & ancoram deſiderantis, ſiſtit* מחץ. *In verſione LXX virali decem diverſa vocabula ei reſpondent, vel quod ſui tantum officii autumarent, ſenſum expreſſiſſe, proprietate radicis ſepoſita, quae ſane non ſemper in pereginam linguam transfundi poteſt: vel quod jam tum illa interior notitia indolis ac proprietatis ſub* מחץ *multum obſcurata fuiſſet. Adhibent ergo verba* Στρωννύω. Βάπτω. Θλίβω. Παίω. Θλάω. Συνθλάω. Πατάσσω. Θραύω. Κατατοξεύω Βάλλω. *Pro derivato ſegolato* מחץ *poſito* ὀδύνη. Eſaj. 30. 26. *Haec omnia ut ſe improprie ac figurate utendi praebent in unum eundemque ſenſum; ita quoque ſuum quiddam poſſident, nativum, proprium, quod ſibi ſolis vindicant. Quid ergo jam ſtricte & preſſim* מחץ *noſtrum repraeſentare dicemus? Eſtne* Θλίβειν? *Eſtne* Θλᾶν? *Eſtne* Στρωννύειν? *Eſtne* Βάπτειν? *Atque ita per univerſum catalogum. Quis, quaeſo, mortalium hanc dubitationem, miſſa veluti ſorte, decernet? An non facile etiam fieri poteſt, ut nulla harum Idearum genuinam ſtirpis Hebraeae indolem attingat? Idem judicium eſto de* Vulgati *illis ectypis,* percutere, transforare, vulnerare, confringere, intingere, conculcare; *quae ut* Archetypum *ſuum utcumque adumbrant, ita ſatis inde luminis redundare, ad naturam & primigeniam vim verbi* מחץ *juſtis finibus terminandam, quilibet prudens mecum negabit. Similis eſt ratio cum reliquis Veteribus,* Caldaeo, Syro, *aliis, qui ſane non id habebant propoſitum, ut* Origines Hebraicas *nobis panderent, & proprietatibus cujuſque vocabuli ſcrupuloſe inſiſterent. cur ergo id ab iis ſaepe repetitur, quod ipſi nec intendere debuerunt, nec efficere potuiſſent, ſi vel maxime intendiſſent,*

di-

diversae linguae genio atque ingenio praepediente? Hoc quum ad omnes in universum fontes vetustarum versionum pertineat, apparet, non e limpido satis & defaecato hausisse, qui inde Dictionaria instruxere, Rabbinos *e* Paraphrasibus, Christianos *ex* Graecis *fere ac* Latino. *Utique Vulgati Vestigia pressit Cl.* Buxt., *quum* מחץ *exponit*, percussit, fregit, vulneravit. *Item* intinxit, immersit. „ מחץ certe in genere significat, ut recte STOCKIUS, *percutere ita ut integritas rei quae percutitur, laedatur, sive frangendo sive vulnerando, sive penetrando & transfodiendo id contingat sive alia quadam ratione id fiat.* Ergo Interpretes recte expresserunt totidem percutiendi sicque laedendi modos; at V. Cl. his non acquiescens quod debuerat alio se confert pag. 57. *Ne autem longum faciam, & quicquid Lectori meo taedium creare posset, amputem, paucis conclusisse satis habebo, excussis omnibus textibus, ubi* מחץ *positum comparet, elucere* graviorem quandam vim feriendi, cum cruentatione percussi conjunctam. „ Sed hoc per se non significat verbum, sed hoc saltem aliquando comitatur *το percutere*, qui significatus est primigenius, designat quandoque quasvis Dei castigationes sive in bonis sive in corpore, quae piis etiam a Deo infliguntur Job. v. 18. Quare quaerendus significatus univarsalior qui omnibus Scripturae locis conveniat.

SECTIO V.

De radice נגר.

SOllicitus est V. C. de vera notione radicis נגר nobis reddenda ex Arabia. Non ipsi satisfaciunt Versiones neque Lexicographi. Etiam non Coccejus in Lexico qui dat *manare diffluere effundere* &c. Sed ego non video, quid hic sit difficultatis. Inspectis & probè perpensis locis omnibus ubi occurrit, mox liquidò fluit significatus primigenius universalis ex eoque secundarii. Recte STOCKIUS: In genere fluendi vel manandi significationem habet, quacunque ratione fluxus rei fiat. Hinc metaphoricè dispersionem & extensionem rei dicit. Ita de manu Ps. LXXVII. 3. Sed quid nobis V. D. hic promit ex Ara-

bis? pag. 64. *Arabes eam scribunt, & pronunciant,* . . . . Negara; *proprie*, Bulliendo efferbuit *Olla*, nimioque bullitu aquam superfudit. *Sic ex* Camuso adduxit Giggejus . . . Redundavit ebulliendo *olla*, vehementer ferbuit. *Inde figurate in eodem* Oceano *linguae*; vehementissime in illum ira efferbuit, ita ut totum corpus bullire & exaestuare videretur. *In* 5. *Conj.* . . *idem porro* vehementer bulliens prae ira. . . . . Mulier Zelotypa . . . . vulnus multo sanguine manans, *ac veluti* bulliens. *In* 4. Conj. . . . . Sanguis fluxit cum lacte ovium: Lac ovium rubicundum & sanguineum ebullire faciens ex uberibus. . . . . copiose ebullivit aqua. *Denique* . . . . . Ovum vitiatum & corruptum fuit: *quasi dicas* efferbuit & ebullivit. *vel* materiam putridam ebullire fecit. „Si de tam multis praedicetur, ergo non de olla primario; Cur heic uti & alibi praecise hoc primigenium? Cur non sanguis, ovis, ovum &c. primas tenent? Hanc tamen novam lucem quae nulla est foeneratur scripturae locis? Significatus noster universalis rectè particulariter influit in loca omnia pro cujusque loci natura.

SECTIO VI.

De radice מסר.

ITa V. D. Pag. 74. *Extat duobus in locis apud* Mosen מסר *in* Kal. Num. 31: 16. Quid foeminas in vita conservastis? Ecce illae fuerunt filiis Israelis, consilio Bileami, למסר מעל ביהוה /. in negotio Phehoris, ut extiterit gravis illa plaga in coetu Jehovae. *Iterum in* Niph. *ejusdem Cap. vs.* 5. *coll. vs.* 3. Accingi jubete e vobis Viros ad expeditionem militarem; qui sint adversus Midianitas ad vindictam Jehovae infligendam Midiani — וימסרו ex millibus Israelis, mille pro tribu :: duodecim millia strenuissimorum in expeditionem militarem. *Nusquam alibi comparet thema, quod insignem quandam emphasin possidere innuunt omnes circumstantiae: derivatum modo* מסרת *secundum quosdam occurrit adhuc semel* Esech. 20: 38. והבאתי אתכם במסרם

בבסרת הכרית; *quamvis alii id pro* מאסרת vinculum, *positum velint, diversoque e fonte arcessant.* Ipse pag. 76. 77. *Abstrusior illa indoles adfulgere mihi coepit, jucundisque sese radiis insinuare, ubi* Giggeji *thesauros accuratius excussi. Is ita incipit.* . . . . Ramus viridis & mollis antequam colorem induat & germinet. . . . . . . Arbor ejusmodi ramis praedita fuit. *Idem.* . . . superficies. cutis. . . . . quam pulcra est terrae superficies in herba. . . . . Hujusmodi ramum produxit. . . . . . . Viror frondium apparuit. Opulentiae vestigia in viro apparuerunt. . . . . . . Vestes induerunt . . . . . pro gente sua luctatus est. . . . Inflatus *fuit: TVRGIDVS EFFECTVS est.* . . . . Terra germinavit. . . . . . Arbor folia & ramos emisit. . . . . Mulier egregiis membris. . . . Apostematis genus. . . . Jucunditas, hilaritas ob concubitum. Pag. 80. *Ad tertiam propero figuram, qua* militaris alacritas, & animus in praelia promtus, ac quasi turgens, *exprimitur. Id adrisit quoque Graecis, sub suo* ὀργᾷν, *quod inter alia exponitur* belli libidine prurire, *vel* in pugnam gestire; *ut in illo* Thucyd. *L.* 4. ὅτι το πρῶτον Λακεδαιμονίων ὀργῶντων ἔμελλον πειρᾶσθαι. In praelia turgentes experiri. *vel* Martem gestientes. Pag. 84. *Venereum illud, quod praeterea in vers. illo se exerit, quartam constituit metaphoram, qua . . . infin. secundae conjug. exponitur* Lubentia & alacritas ad coitum. *Proprie valet* vehementius turgere. Pag. 84. *Exemplum primum ex* Kal *erat* Num. 31. 16. Illae Midianitides fuerunt consilio Bileami, למסר מעל ביהוה in negotio Pehoris. *Notum est turpissimum facinus. Rogo jam ecquid gravius aut honestius in tali re excogitari possit, quam formula* מסר מעל Turgere in praevaricationem, *atque* libidinosam defectionem, *&* violationem *castissimi cum Deo foederis? constructio simplex & ordinaria dedisset* Turgere in praevaricationem *&* scelus turpissimum. *Sed figuratius extulit* Moses, *maluitque directe* Turgere turpitudinem scelestam, *ut eo acrius feriret: quod genus locutionum magnificum, & singulari gratia atque emphasi pollens, pluribus illustrari mereretur.* Pag. 85. *Alterum ex* Niphal, *quod est* . . . *in Sept. conjug. ad tertiam metaphorarum classem referendum est,*

 Num.

Num. 31: 5, Et turgidi facti sunt, ex millibus Israelitarum; duodecim mille viri, ad bellum accincti. וימסרו. Animo vigoris bellici, *pro causa Dei*, pleno, tumuerunt & turgescere inceperunt, *in arma ire gestientes, & edita per scortatores strage, vindictam violati foederis sumere. Non vereor, ne nimis argutus videar, si dixero, dedita opera* Mosen *illud* נמסר *&* Bellicum turgescere *huc intulisse, in ultionem* Venerei *illius* turgescere, *quod mox erat positurus.* „ Sed quae ratio cur hic sit significatus primus ? Ex eo tamen Scripturae loca interpretatur. Verum enim vero quis credat S. Scripturam ita loqui & uno eodemque in capite idem verbum tam dispare significatu induere ? Locum posteriorem in suo nexu si spectas certa est *traditionis* notio. Conf. ŷs. 3, 4. 5. 6. Et quidni ŷs. 16. simplicissime vertis *ad dandum delictum, praevaricationem in, contra Jehovam*?

SECTIO VII.

De radice צרה.

HAEc habet pag. 87. 88. 89. *Radix* צרה *apud* Coccej. *dupliciter exponitur. Primo* intentionem habere, quaerere ad noxam, & צריה industria, data opera. *Secundo in* Niph. נצרה vastari. *Alii ponunt in prima sede* insidiari, venari, *ob affinitatem cum* צור. *In altera autem* vastari, *ex* צרא Chaldeorum *notione mutuo assumta. Iterum thema* שבח *in suo* Pihel *partim* laudavit *declarari solet, partim* sedavit, compescuit. שמם desolari, vastari; *item* admirari, stupere, *parilis concursus sub* שאה vastari cum strepitu & fragore. *Dein* obstupescere; *Tertio denique* collidi & conteri. *Themati* חלף *quatuor minimum dissonantes potestates subjiciuntur. Prima* Transivit, permeavit. *Secunda* mutavit, alteravit. *Tertia*, instauravit, renovavit. *Quarta*, succidit, exscidit. *Similiter* ערב *a quatuor, quinque, sex diversis notionibus occupatur.* Miscere, dulcescere, spondere, oppignerare, negotiari, advesperascere: *ne derivata nunc percenseam, inter quae* ערב corvus. ערבה solitudo. ערבים salices, ערוב canina musca *secundum* Bochartum, *quae non parum a se invicem dissident. Sub* חלל *non* mi-

minor regnat discrepantia, quippe ubi tripudiare; confodi ac perforari; incipere *& alia significata confunduntur. Plura cumulare nihil attinet, quum linguae Hebraeae studiosis quotidiana experientia notissimum sit genus hocce, quippe quod profectum simul & dulcedinem in litteris hisce excolendis vel maxime praepedit: & in medio saepe curriculo sic fatigat, ut spes omnis eluctandi, & salebras hasce exsuperandi abjiciatur. Nodos hosce Rabbini ne attingunt quidem plerumque, nedum ut eos resolvant. Id ego quidem non tantum facile ipsis condono, sed & gratiam appono. Si enim nostri, humanitate & Literis probe tincti, multa hic turbarunt, quid non turbassent, qui Critices, & Graecae Latinaeque Eruditionis omnino expertes agebant? Hi jam nodi, atque hae salebrae, quibus omnes undique se teneri sentiunt, nunquam, si quid video, expediri poterunt, nisi assumatur praesentissimum illud, quod Arabia fert, auxilium, in qua antiquissima proprietas atque indoles complurimarum radicum felicissime conservata est, quam si semel modo adspicere contigerit, omnis mox difficultas evanescit: & quod ne Lynceus quidem alias penetrasset, suo se lumine sponte ingerit.* „ Haec omnia id saltem inferunt, requiri significatum aliquem generaliorem sub quem particulares illi quamvis tam distincti cogi possint. Sed an ille erit metaphoricus? Neutiquam sed simplex, & si vel illum detegere non liceret, satis est ex claris locis particulares illos significatus recte teneri. Quare multum fallitur Vir optimus; hos nodos, atque has salebras (nullos ego nodos vel salebras video neque vidisset V. D. absque illa luce Arabia si fuisset) expediri non posse sine auxilio quod ex Arabia veniat. Sanior Philosophia ancillata Locorum Scripturae meditationi collationi, & longo usu probata auxilia assumens plus praestat quam omnis Arabia. Sed eamus per singula. Radici צרח ex Arabismo subjicit notionem *rubiginis.* Sic ille. Pag. 89. *Id inter Arabes ultima* Vav *&* Je . . . *ut & ultima* Eliph, *teritur in* rubigine ferri, *aut* aeris. *In* Camuso . . . . . ferrum rubiginem contraxit, עדר; . . . . . . ferrum rubigine infectum; . . . . . . Rubigo ferri. . . . . . . caterva rubiginosis armis praedita. . . . gladius rubiginosus. . . . . Rubugineus color. Ferrugo. . . . . . Rubigineo colore praeditus. Ferruginosus. . . . . . . Equus ferrugineo fuit colore. *Apud* Zjau-

Zjaubarium *quoque* . . . . rubigine ferri infecta manus; יד צדי ; *& in figura*, ... צאער צדי probro & criminationi obnoxius, *ut* Golius *exhibet*, *vel*, *ut* Giggejus *ex* Camuso *dedit*, culpatus & ignominosus. *Proprie*, vilis & aeruginosus, *vitiis* aeruginis *emblemate designatus.* AEruginosum animum *Latini partim pro* maligno, *partim pro* avaro & sordido *dixere.* „ Sed quis fidem faciat *rubiginem* esse notionem primam? ex ea tamen explicitum it Scripturae loca pag. 93. 94. *Nil pote nervosius & expressius* Num. 35. 30. Quod si בשנאה odio eum impulerit, aut lapidem in eum jecerit בצריה mala rubigine; morietur. *Iterum vs.* 22. לא באיבה sine ulla inimicitia, & בלא צדיה sine ulla aerugine. *In eodem negotio* Exod. 21: 13. Qui percutit aliquem, morte mulctabitur. ואשר לא צרה At qui aerugine non imbutus fatali casu fecerit, ei ego destinabo asylum. *Similiter* 1 Sam. 24: 12. ואת צרה את נפשי לקחתה Tu autem aerugine imbutus es erga animam meam, ad eam capiendam. *Quin imo exemplum illud in* Daniele *cap.* 3. 14. *unde* industriam, deditam operam *eliciuerunt Viri Docti*, *huc pertinet.* הצדא An aerugine, O Viri, Deos meos non adoratis? „ Certe ex locis illis discere debuerat V. D. notionem rubiginis non esse primigeniam, nisi linguam fingamus cujus significatus omnes primi sint emblematici, simplices & proprii secundarii. Loca si inspicis omnia. צדה est *studio quaesivit* & quia in malam partem sumitur, *studio quaesivit ad noxam*, ut recte Coccejus sic est *insidiari*, *venari*, & pessimo proposito & studio ad noxam quasitae urbes sunt *urbes vastatae.* צדיה est *studium pravum, industria subdola*, *data opera nocendi.* Si vel hujus emblema sit aerugo, illa detergenda est significatui primigenio.

SECTIO VIII.

De radice שבח.

AD radicem שבח ita V. D. Pag. 97. & 98. *In Arabiam si quis mecum vela dare non refugiat, Filiae opulentiam Matris inopiae recreandae insigniter conducere deprehendes. Nam cum* lau-

laudandi *&* sedandi *potestate, multo plures adhuc notiones ibi invenimus, quae ad primam originem nos perducere valeant. Nempe* . . . Sin, *in quod Hebraeum* Schin *saepe ex dialecto transit, ut exempla parag.* XCIII. *exhibita docent, complectitur propriam & principem potestatem* permulcendi, *&* leni manu tactuve contrectandi. *Speciatim obtinet in* lana, *aut* Gossipio, quod carminatum colo obvolvitur. *Id vocant* . . . תשבית; *unde* . . . , *apud* Golium *declaratur*, decerpsit aliquid de Gossipio, lana, pilis camelinis, dum carminarentur, colove obvolverentur. *Vides illud* leni manu contrectare & permulcere, *ad* materiam mollem *sordibus repurgandam, &* lanificio accommodandam. . . . משבית *etiam ex* Camus *proponitur a* Giggejo *sub notione* Gossipium extendendi ut super illud medicamentum expandatur. *Habes iterum* materiam mollem leni manu permulcere. Pag. 111. 112. *Ex hisce omnibus jam sole meridiano clarius relucet tum majestas, tum gravitas & constantia sermonis Hebraei, in themate* שבח / *quod a* permulcendo *usum suum secundarium diffundit, partim ad* blandam sedationem. Laudationis *&* concelebrationis *pulcherrimam hanc imaginem praeferunt sequentia loca.* Ps. 117. 1. הללו את יהוה שבחוהו. Celebrate Jehovam, & plausu publico permulcete quasi; *exclamantes solenne illud* Sobhan Ps. 63: 4. שפתי ישבחונך Labia mea plausu te commulcebunt; omnique honore verborum vehent atque extollent Ps. 147: 12. Jerusalem שבחי את יהוה הללי אלהיך O Tzion; publicis plausibus permulce Jehovam, concelebra Deum tuum. Ps. 106: 47. להודות לשם קדשך להשתבח בתהלתך Ad concelebrandum nomen tuum sanctum; ad commulcendum nosmet ipsos in tua laudatione; *hoc est*, ad nosmet ipsos beatos & gloriosos praedicandos dum te celebramus, *ut* Coccejus *recte declaravit. Posset quidem paulo aliter adhuc illud* השתבח בתהלה *exponi*, resonante plausu & clamore publico, *Sobban* dilaudare, *sine usu illo reciproco, sed prius praetulerim. Addatur* 1 Chron. 16: 35. Eccl. 4: 1. *&* 8: 15. *Alteram figuram* blandae sedationis *exerit*. Ps. 65: 8. משבית שאון ימים permulcens fragorem marium. *Et* Ps. 89: 10. Tu imperas elationi maris: quum tollit fluctus suos, אתה תשבחם Tu permulces eos. *Consonat* Virg. AEn. 1: 65.

Et

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Iterum Prov. 29: 11. Omnem Spiritum suum exire sinit e- lumbis, *id est*, irae frena laxat: at sapiens retro remulcet cum ישבחנה. „ Significatus quos in Scripturis habet contrarii videntur & sic sub unam notionem communem non cogendi, hinc quemadmodum *το* ברך significat & benedicere & maledicere non secus ac apud Latinos sacrare & imprecari sic *το* שבח dicit & *laudare celebrare* & *επιτιμαν increpare*, confer loca in N. T. increpare ventos, febrim, mare &c.

Certe frustra laborant qui significationum *εναντιοτητας* amoliuntur. Sunt illae nimis manifestae. Sic חטא peccandi & expiandi קדשה scorti & sanctae תאב desiderandi & abominandi in piel; ita forte & *το* ברא creandi, in piel succidendi exscindendi. ברך benedicendi & maledicendi שרש radicandi & eradicandi שקל lapidandi & lapides auferendi שור devastationis & mammae notionem habent. Quidni hanc Classem augeas verbo שבח. Quae ipse habet abludunt.

SECTIO IX.

De radicibus חלף ערב חלל.

Vidimus superius quas moverit difficultates circa radices חלל/ערב/חלף. Mirum quod heic nihil opis attulerit ex Arabia. Sed opus non est, nihil laboramus adjuti receptis auxiliis & sano ratiocinio, quod utinam magis atque magis in Lexicis regnet per omnem paginam lucem sparsurum prae omni Arabia! Plures etiam sunt significatus diversi quam Vir Doctiss. enumeravit, sed omnes cogendi sub suum *γεννητικον*. חלף dicit *mutationem rei vel in pejus vel in melius*, vel *mutationem loci*. Sub communi hac notione secundariae illae omnes amice conspirant.

Omnibus illis *τȣ* ערב significatibus inest universalis illa notio *τȣ miscere commiscere*, & si vel in omnibus non satis expli-

plendescens certe in plerisque. *Negotiari* dicit quia in negotiationibus & commerciis saepius commextiones fieri solent. *Spondere, fidejubere fidem interponere, in fidem recipere* non solum propter mixturam quae fit in mercimoniis & negotiationibus, sed etiam quia fidejussione & sponsione personae ita inter se miscentur & conjunguntur ut altera alteri tali sponsione obstringatur, & sic quadantenus in ejus se substituens locum cum eo commisceatur. *Oppignorare* significat quia in oppignoratione fit unius cum altero mixtio & commutatio. *Dulce, suave gratum esse*; quia cum diversarum qualitatum res miscentur ejusmodi mixtio & temperatura saepe suavitatem & dulcedinem inducit. *Vesperascere* quia vesperascente caelo fit mixtura lucis & caliginis. עֲרָב *Arabia*, vel a mixtis populis, vel a commixtione arenae, cujus summa in Arabia copia est. עָרֹב *Colluvies* mixtura insectorum vel variorum animalium. *Bocharto* linquimus suam κυνομυιαν seu Caninam muscam. Quae notio *mixturae τω* עוֹרֵב *corvo* subsit si vel tam apertum non sit, sive sic dicatur a nigredine quae tenebrarum color est, vel aliam ob rationem quod participet aliquid de hoc illo &c. hoc unum significatus primigenii fontem non turbat. In עֲרָב *deserto* omnia sunt mixta. Idem dum dicit *locum campestrem, planum*, forte habet significatum oppositum. עֲרָבוֹת *Campestria, planities.* Jer. v. 6. Item *nubes*, vel *caeli*, ob analogiam quae intercedit inter campestres terrae locos, & inter amplissimam caelorum planitiem, quam Deus pro lubitu quasi permeat. Vide de his *Stockium.*

Notio τȣ חלל universalis ex consideratis particularibus omnibus se nullo negotio insinuat, eam recte indicat idem *Stockius*, nempe generatim notare *penetrationem* & κενωσιν seu *evacuationem*. Speciatim *perforare confodere exanimare*, quia perforando confodiendo & exanimando aliquid penetratur & vacuum fieri vel reddi solet. *Profanare*, quia quae profanantur suo modo penetrantur & sua dignitate, aestimio, veneratione ac usu primo vel proprio quasi vacua fiunt. *Saltare tripudiare*, quia saltantes ac tripudiantes musica quasi penetrantur & aguntur ac elevatione pedum locum super quo steterunt vanum faciunt. *Fistulare*

tibiis canere, tum quia tibiae flatu & sono inde edito aura, aures animique hominum penetrantur, tum quia tibiae perforatae & cavae sunt. *Incipere*, quia qui rem incipit obstacula penetrat eamque aggreditur. Ita *Stockius*. Sed vide, an non significatus *penetrare* sic maneat, quod qui rem incipit se in rem penetrat. חלילה *absit* proprie significat rem maxime profanam tam Deum & quasi omnia divina confodientem quam piam quamque mentem penetrantem & afficientem. חלה *placenta* seu massa bene penetrata. Fistulosa ut putatur & intrinsecus cava. חלות *fenestra* quod est penetratio parietis vel quod per eam lux diei penetrat & elabitur. Heic nullas ex Arabia adfert suppetias. Saltem ad radicem שבח quod supra vidimus. Sed in scripturae locis *to compescere* non dicit *lenem mitigationem* sed *validam*; neque Virgilianum illud *mulcere dedit* his locis recte applicatur, ne jam dicam comparationem illam styli S. & profani saepe numero perperam institui.

SECTIO X.

De radicibus קלם עלם עצב מרה.

PAg. 117. 118. *Ut his levi velitatiuncula praemissis, cornua nunc commoveam disputationis, & exemplis in aciem descendam, ex trecentis thematibus tria adduxisse satis habebo.* קלם / עלם / מרה. *prius* מרה, *post infelices conatus* Forsteri, *qui ex affinitate cum* מור *elicuerat vim* mutandi; *itemque* Avenarii, *qui ex cognatione cum* מרר *exsculpserat notionem* amarescendi, *consedit tandem magno consensu Lexicographorum nostrorum in significatione* Rebellandi. Pag. 120. *Ex glossematis hisce Arabicis evidenter apparet*, מרה *in Origine sua valuisse* stringit, perstrinxit, praestrinxit; *atque inde ductu proclivi emanasse*, stringendo pressit. *Item* stringente scutica percussit. *Item* obstitit, *&* disputando contendit, *ut* Golius *in* 3. *conj.* . . . *declarat*. Pag. 137. *Arabum* . . . stringere *decem circiter significationibus auctum comparet*. Mulgere. Inflicta scutica in cursum agere. Flagello perstringere. Motitare pedes & praestringere. Inficiari debitum. Contendere dil-

disputando. Obstrigillare contumaciter & resistere *in omni re.* In pluviam dissolvere nubem. In lacrimas oculum. *Denique* bella tractare & praelia. „ Patet significatum simplicem esse *obsistere*, quod fit variis modis, unde primogenius non est quem vult V. Cl. Quia tamen & significatus secundarius est *stringere* &c. hinc מוֹרה *novacula* uti V. Cl. habet.

Ita de עצב Pag. 142. *Quae hactenus disputavi ad* מרה / *consimilem curam impertire monent affinis venae ac originis thematis* עצב / *cui subjici solent notiones* tristitiae, doloris, moeroris, poenitudinis. *Has esse secundarias, quamvis Lexica fileant fere, dubitari nequit.* Forsterus & Avenarius *id agnoverunt; natalesque, per solennem suam alliterationem, arcessiverunt ex* בצע sauciavit, vulneravit, *quod qui* contristet & dolore afficiat aliquem, *ejus* animum sauciet. *Acute enimvero, sed parum solide. Tutius multo, quod Arabes subministrant sub iisdem plane radicalibus . . .* עצב / firmiter vinxit, arctiusve strinxit. Pag. 143. *Haec primariam vim in* stringendo *sitam evincunt. Inde sylva quaedam metaphorarum excrevit, quas nullo ordine, nullo lumine Critico tum* Phiruzabadius, *tum* Ziauharius *effuderunt. Posterior ille ad hunc modum procedit.* עצבה sing. דז עצב & אעאצב tendines articulorum. Dicis caro עצב / quum magnis tendinibus & nervis praedita est. in conj. אנעצב vehemens fuit. Et מעצוב / cui caro vehementius est compacta. עצב porro est complicatio & convolutio vehementior. dicitur etiam vir מעצוּב circumcaesura corporis, & puella מעצוּבה / idem quod מגדולה quum eleganti sunt statura. מעצוב autem Dialecto Hudeilitica est famelicus, & . . . cujus ilia fame adstringuntur. Abu Obaid adfert עצבתה שנין strinxerunt illum anni, calamitates, pro opes ejus consumserunt. Aliter dicis עצב ראשה בעצבה in 2. conj. cum infin. תעצים / strinxit & circumvinxit caput suum Cidari. Alicujus עצבה etiam vocantur Filii, & propinqui paterni, quod eum veluti circumvinciant & circumdent. Cameli quoque dicuntur aquam circumvincire, quum eam cingunt; & circumvincire multitudo aliquem, quum avide spectat & imminet; & circumvinciri saliva circum os, quum ibi arescit & concrescit. „ Bene est quod hic tandem in Arabibus suis metaphoricis *nullum ordinem, nullum lumen criticum* agnoscat. Pergit Pag. 147.

 148.

148. 149. *Sic non male consultum spero themati* עצב / *cum suis sibi derivatis, ad id, quod hactenus enucleari satis non potuit. Origine delitescente, eruendum. Et primo quidem a* constringendo *&* arctius religando *emanasse liquet significationem* tristitiae ac doloris *animum* arctantis *&* constringentis; *prout e contrario* laxandi, relaxandi, solvendique *vocabula* laetitiam *consignant. Pulchre ergo* Esaj. 63: 10, מרו ועצבו Strinxerunt, quin *intimo dolore* constrinxerunt Spiritum ejus sanctum. *Similiter* Ps. 78: 40. ימרו ויעציבו. *Eleganter etiam* Esaj. 54: 6. Mulier עצובת רוח contricta spiritu. *Nec minus venuste Gen.* 6: 6. ויתעצב אל לבו & dolore constrictus fuit ad cor suum. *Ex quibus speciminibus reliqua facile expedientur, quae ad* doloris constringentis, *&* intime arctantis *vim sese referunt, in* עצב / עצבון / עצבת / מעצבה / *ex* Kal, Pihel, *&* Hiphil *propagatis formis substantivis, quoque conspicuam. Peculiarem porro potestatem exerit verbum nostrum in* Pihel Ps. 56: 6. רברי יעצבו *LXX.* τὰς λόγους μȣ ἐβδελύσσοντο. Vulgat. *item*, verba mea execrabantur. *Non intellexerunt locutionem grandi figura insignitam; ad quam nec Recentiorum acies penetrare potuit. Utique nihil est* Pagnini *illud*, propter verba mea me dolore afficient. *Nihil illud* Junii, Rebus meis dolorem afferunt. *Aliquid est, & quidem concinnum satis, quod* Belgae *exhibent*, verba mea detorquent; *nisi quod minus concinne in notis remittant ad* Job. 10: 8. *ubi* fingere *&* formare *exponi solet. Secutus tamen est in Lex.* Coccejus, Job. 10. 8. ידיך עצבוני *vertens*, Manus tuae elaborarunt me, *& inde* Ps. 56: 6. verba mea laboriose fingunt & torquent in sensum alienum. *Sed alia est metaphora* Jobi, *alia* Psaltis. *Posterior haec ducta est a* עצב . . . nervus, *speciatim*, funis quo constringitur femur cameli, ut lac copiosius reddat. *Inde verbum . . . singulari usu valet*, Religavit & constrinxit camelum in femore, ut copiosius lac reddat; *ut est apud* Golium. „ Sic Ille. Sed quia & *efficere* notat, notio universalis inferet *operationem difficili cum cura, molestia, laboriose cum dolore quid fingere.* Hinc de Deo ἀνθρωποπαθῶς usurpatur. Vel in genere *laboriose quid facere*, quod apud homines saepe numero cum difficultate molestia & dolore conjunctum est; עָצָב significat *dolorem* & *idolum*, hoc vel quia dolorem adfert vel quia laboriose cum molestia anxiaque cura fingitur. Quam in eo fa-

brie-

bricando desudent fabri & illud cultor deveneretur anxie vide Jes. XLIV. 12-18. Quod ad loca Prov. x. 10. Job. x. illum consule pag. 150. 151. *Est etiam inter dicta acuta Salomonis, quod hinc novam lucem foenerari suspicor.* Prov. x. 10. קרץ עין יתן עצבת *Non est otium, quae docti interpretes hic conantur, exequi. Habe modo nunc conjecturam meam*, Oculis adnictans *adulando*, apponit funem ad ubera difficiliora emulgenda. *Ut sensus sit, divitum* arrisores, *esse simul* arrosores; *&* munerum *callidos* emunctores, *quae* admoto עצבת fune constringente exprimunt, atque emulgent. *Elegantissimarum imaginum, tum hujus, tum superioris illius, crebriora occurrerent vestigia, si copiosior ad nos veteris Hebraeae Linguae supellex devenisset. Dispiciamus porro, quid in sinu gerat illud* Jobi 10. 8. ידיך עצבוני. *Male Recentiores multi*, Manus tuae dolore me adficiunt. *Rectius plerique, post veteres*, effinxerunt, formarunt me. *Assumsit* Coccejus, Elaborarunt me, *quasi dicas* laboriose, *& cum dolore*, finxerunt. *Fallitur. Non a* dolore *fluxit haec notio, sed a* ligamine *&* nervo, *ut pluribus adstruxi* in Specimine Observat. Arab. *post* Libellum *quo ad* Jobum *praelusi*; *unde vertendum esse constat* nervis & tendinibus artificiose colligarunt me. „ Hactenus. Sed vox generaliorem habet significatum, non dicit hoc per se, hinc illud addi debuisset. Quemadmodum versibus 10. 11. תתיכני per se non significat *fudisti* & *constasti me sicut lac*, quare illud *sicut lac* additur, & sicut תקפיאני per se non significat *coagulari me fecisti sicut caseum* quare illud *sicut caseum* additur, sicut תלבישני per se non significat *ossibus & nervis me communivisti* quare *ossa* & *nervi adduntur*, sic ℣s. 8. verbum nostrum saltem dicit *cum studio & cura formare & elaborare.* Singulare illud si diceret quod vult V. Cl. sine ullo additamento cur hoc repetitum fuisset ℣s. 11.

De עלם sic pag. 154. & 155. *Atque haec quidem de* עצב & מרה *hactenus. Succedat nunc thema, multo tritissimum quoque*, עלם, *quod pa. CXXX. promisi. Ex ejus* Kal *nihil superest praeter formam particip. pass.* עלומים Ps. 90. 8. *in* Niphal נעלם, *apud* Coccejum *est* ignotum; occultum esse, ignorari. λανθάνειν. *In* Hiphil. העלים ignorare facere, abscondere, dissimulare, *In* Hithp. התעלם Abscondere se, negligere. *Aliter* Job. 6. 16. super-

 stet-

sternere se, *ad occultandum. Apud* Buxtorfium נעלם *declaratur* latitavit. abditus, absconditus fuit, *& sic passim apud alios; nec profecto male, quum indubitata sit potestas; quae tamen tam multis vocabulis circumscripta verius quam definita, haud dubie secundaria censeri debet, primaria & antiquissima stirpis indole, una cum conjugatione* Kal, *oblivioni data, neque sine lumine dialectorum unquam revocanda.* Pag. 158. 159. *Sed hic nos destituere videntur* Arabes, *quin imo turbare potius, quam adjutare. Quid enim cum* abscondendi *certissima notione, commune habet haec significationum series apud* Giggejum *e* Camuso *prostans?* Conj. 1. . . Rem scivit, novit, expertus est. 2. . . . . . illum docuit scientiam. 4. . . . illum rei conscium fecit. 5. . . edoctus fuit *&c. &c. Item* . . Rem firmam reddidit. *Iterumque in* 4 Conj. . . . . . fullo vesti signa apposuit . . . Vestis cui nota apposita . . עלמה scissio in labro superiori, . . . Labio superiori fisso fuit vir . . . . *&* . . . *vir, mulier*, scisso superiori labro. . . Nota. nota inusta. signum. argumentum. character. judicium. asteriscus. vexillum. . . . . . aliquid in via erectum, ut iter indicet. . . . . . Mons excelsus. . . . Dominus gentis *&c. &c. &c. postremo, ut supervacua amputem*, Conj. 10. . . . fluxit aqua. *Haec profecto cuncta ne minimam quidem communitatem habere videntur cum Hebraeorum* נעלם / העלים / התעלם; *totoque coelo, quod dicitur, tam diversa avire, ut e fulgore fumum dare tandem, atque commotas spes subito destituisse censeri debeam. Sed expectetur paululum. En tibi lucem ex hoc fumo. En* proprietatem *thematis* עלם, *tamquam in abdito quodam cubili pervestigatam, certisque notis ac vestigiis deprehensam.* Signo impresso notavit, *secundum vim illam quae in* . . *tam luculenter sese prodit*, nota. nota inusta. character. indicium. *&c. &c.* Pag. 160. *Usitatissima est methapora illa, in* abscondendo *sita, quae enim* condimus *ea fere* signamus, *vel* sigillo impresso claudimus. Hinc jam explicat V. D. scripturae loca pag. 161 162. Prov. 28. 27. Qui dat pauperi, nullus egebit: ומעלים עיניו maledictionibus opplebitur. *Vulgo* Abscondens oculos suos. *Quanto venustius?* Obsignans oculos suos. qui sic oculos *a paupere* abscondit, quasi eos sub sigillo condidisset atque occuluisset; sic ut ne rimu-

rimula quidem commiserationi pateat. Pag. 167. 2 Reg. 10. 3. 2 Chron. 9. 2. Exposuit Reginae Sabaeorum Salomon quicquid verborum protulerat: לא היה דבר נעלם מן המלך nullum omnino verbum regi fuit absconditum, quod non exposuerit ei. *Ecquid hunc in sensum jam displicebit* Obsignatum nihil? *Id utique tum fortius, tum venustius.* „Sed ubi *το* simplex *occultare* in *obsignare* convertit, etiam in simplice narratione historica, estne in eo major elegantia? omne *obsignare* est etiam *occultare* quid; sed non vice versa omne *occultare* est etiam *obsignare.* Sed primo, nulla ratio cur *το* simplex *occultare* commutetur cum *obsignare.* Simplicissimus significatus in Kal legitur Ps. 90. ✝s. 10. nempe *latere*, peccata dicuntur *latentia.* In Pihel &c. *occultare.* Sub hanc notionem universalem loca omnia in quibus legitur amice concurrunt. Significatus igitur primigenius generalior est. *Obsignatio* saltem est *aliquis occultandi modus.* Quomodo Adolescentem ab hac voce deducat vide Pag. 166. Amm. Marcell. 18. 7. *&* 22. 8. *dixit* Advenis aquis fluvium adolescere, *quamvis militaris hominis stilus in* adolescendi *verbo saepiuscule modum excedat. Tale quid & Arabes in suo* התעלם *recepisse, a* עלם adolescens *nova formata significatione, liquet utique ex illo* Glossemate Phiruzabadii . . . fluxit aqua. *Proprie* adolevit *&* excrevit, *si bene calculos pono, nisi quod suspicer majorem adhuc vim inesse, ut sit proprie* cum impetu juvenili ac vegeto exuberavit. Ἡβᾶν „ Sed quidni longe simplicius, cujus vivendi tempus adhuc obscurum ἄδηλον est, qui in publico nondum versatur. עלמה virgo recte dicitur ab occultando, neque opus est quaesita alia metaphora, quam prudens ex V. D. non repeto. •

Succedat קלס Pag. 180 & 181. *Illustrandum nunc porro suscipio thema* קלס *par. CXXX propositum, ut ex eo quoque eluceat, aliud esse, externorum usum & adspectum alicujus verbi locorum collatione collegisse, aliud, internorem vim ac indolem exucleasse. Exhibent Dictionaria passim*, irridere, ludificari, subsannare; *alii maluerunt* spernere, despicatui habere, vilipendere extenuando. *LXX. præteruere, quibus valet* ἐμπαίζειν. χλευάζειν. ἐντρυφᾶν. *Alia interpretamenta nunc mitto, & verbo tantum dicam exempla Bibliorum tendere ad* ludificationem contumeliosam; *quod ut sole clarius cernitur,*

nitur, *ita obscurum est*, *& manet hactenus*, *unde istam ideam derivarint Hebraei*, *id est*, *ex qua* propria *&* primaria *notione hunc usum* secundarium *conformarint*; Coccejus. *Observarat ille a Rabbinis quibusdam duplicem significationem tribui huic radici*, *ut in aliis locis sit* פירושו בזיון interpretatio contemnendi, *in aliis* פירושו שבח interpretatio laudandi, celebrandi, *in quem sensum traxerunt* Esech. 16. 31. *&* Hab. 1. 10. *Hoc fundamento jam tradit princeps ille Lexicographus* קלס *in* Pihel *esse* ironice celebrare *&* magnifacere, *hoc est*, irridere; *adeoque* Coccejo *arbitro proprietas thematis antiquitus posita fuit in* celebratione *&* magnificatione, *indeque* ludificatio *per ironiam sese propagavit*. *In his nihil est*; *quod magnopere placere queat*: *& turbarunt Rabbini*, *quum ex* Caldaismo *advocarunt significationem* celebrandi *ad* Esech. 16. 31. *&* Hab. 1. 10. *commodius explicandum*. *Manet ergo in obscuro*, *unde* contumeliosissima ludificatio *sub* קלס *emerserit*, *neque id video solidius promtiusque expediri posse*, *quam ex Arabum* . . . vomit, convomuit, *ejusdem fere notionis cum* . . קוא, *nisi quod posterius hoc &* natura, *&* usu *sit gravius*. Pag. 187. & 188. Esech. 16. 31. *unde nunc redordior enucleare paucula sane loca Biblica*, *in quibus thema* קלס *remansit*. *Perstringitur ibi* Meretricia Ecclesia, *quod quum reliquae* meretrices mercedem capiant, ipsa *contra amatores* larga mercede invitet, *in eumque sensum ponitur* לא היית כזונה לקלס אתנן Non extitisti ut meretrix faciendo vomere mercedem.. *Nil pote gravius aptiusque*. *Meretrices*, *insatiabiles emunctrices*, *cogunt amatores identidem vomere* argentum. Pag. 188 *Ab origine* vomendi *porro sponte etiam dimanat* contumeliosissima illusio, *quam reliqua exempla Biblica suggerunt*; *quasi dicas* conspuere. *atque* convomere *&* vomitu foedare *aliquem*. *In* Hitpahel *ista sese vis exerit* Hab. 1. 10. והוא במלכים יתקלס in reges ipse devomit. „ Sed jam videt V. D. quam quaesitas merces ex arabia advehat. Mirificus est ille *vomitus argenteus*. Iterum a notione primigenia aberrat. *Conspuere convomere* saltem modus aliquis est *illudendi subsannandi contemnendi*, etiam *spuere* & *vomere* & *conspuere* distinguenda sunt, non omne *spuere* est *vomere*. Maneat igitur ejus significatus apud Caldaeos & Syros *laudavit* & *celebravit*, & significatus oppositus *illusit* vel *Ironice laudavit*.

SEC-

SECTIO XI.

De radicibus צריק/חכם/גדל.

SEcundum V. erud. Arabiſmus non tantum Lucem infundit dubiis & perplexis, ſed quod mireris illis etiam quae majus lumen requirere vix in mentem cuiquam venire poſſit, ſic ut & hic notabilem defectum deprehendat. Hoc evincent tria themata. גדל Pag. 191. *Ad hoc in ipſis illis verbis, quae prae manibus ſunt, pervincendum, ordior à* גדל, *Arabice* . . . *quod declaratur per* . . . incrementum roburque cepit *adoleſcens, granum in ſpica: ut eſt apud* Golium. *Sic habes* grandeſcere, magnum fieri, adoleſcere, *aliaſque ideas* magnitudinis, *quas Dictionaria noſtra τῷ* גדל *recte & rite attribuunt. Iſtud autem* ſecundarium *ac derivatum. Ex quo fonte? Ex* firmiter torquendo & plectendo funiculo *quod tanquam* princeps *atque* primigenium *radicis exotatur à Criticis Arabum.* Pag. 195. *Tenendum autem, iſtud* valide intorquere, *quod τῷ* . . . *ſubeſt, alias quoque metaphoras admittere, interque eas* Dageſſatam conj. . . . *eſſe* humi ſtravit *adverſarium:* tertiam . . . diſceptavit, altercatus, digladiatus eſt *cum alio.* Sextam . . . *item* inter ſe digladiari. *Iterumque* Septimam . . . Stratus fuit humi. Hinc jam locum vertit Jobi Pag. 198. *Hiſce praemunitis, non alienum, nec audax nimis videbitur, quod* Jobi 7: 17. *verba* מה אנוש כי תגדלנו *convertere ſuſtineam*, Quid eſt Mortalis, *O Deus fortis*, quod Tu Te implices cum eo? adverſus eum deſcendas in arenam, tanquam luctator, & gravis adverſarius, cum eo manus conſerens, digladianſque? „ Oportet notionem primigeniam quae & de entibus ſpiritualibus, Deo praeſertim, & de corporeis, & illorum & horum affectionibus adhibetur eſſe generaliorem, eſtque haec recepta illa *magnum eſſe.* Certe primarius ſignificatus non eſt ille quem V. Cl. ex Arabia advexit, qui illum ſubjectis tam diſparatis adaptes? Locus Jobi ſimpliciter dicit quod ipſum reputet pro magno velut adverſa-

rio. Ipsius significatus non satisfacit locis omnibus, neque derivatis V. C. מגדל turris &c.

חכם Pag. 201. *Alterum nostrum exemplum erat* חכם sapiens fuit. *Non est abhorrens, Latinos* sapientiae *secundarium notionem duxisse ab eo quod* sapio, *id est* gratum praebet saporem; *nam sapientia habet* salem, *&* sapidissima *est omnibus*; *ut* stultitia *tanquam* insulsum *quid &* insipidum *respuitur*. Pag. 201. & 202. *Genuinam Orientis ideam servarunt nobis Arabes; qui cum* sapientia, prudentia, scientia, arte omni, *sub suo* חכם . . *frequentant* firmitatem πυκινῶς ἡρμοσμένην, aptissime nexam, compactam, solidam, durabilem. *Hinc apud* Golium *in* conj. 1. *habes* . . firmiter solideque fecit aliquid. *In* 4. . . firmavit munivitque *rem*. *In* 10. . . Firmus, bene firmatus fuit. *Apud* Giggejum *ex* Camuso *plenius adhuc & distinctius* . . . אחכמה, Firmum reddidit illud. Valide adstrinxit nexuit. *Et* ... Firmitas. Cum aliquid valide nexum est, & adstrictum. Cum quid durat & firmum est. Hinc jam locum Jobi interpretatur. pag. 205. *Nemo nunc, credo, dubitabit, quin* חכמה *planissime sit* πυκνότης, *&* חכם לב Φρὴν πυκινή. *&* חכמי לב πυκινοὶ τὰς φρένας, *absoluteque porro* חכמים πυκινοί. *Ut autem non sine gravi incommodo ignoraretur proprietas istius Graeci vocabuli in* densa *&* firma compactione &c. Pag. 205. *Perinsignis, sed abstrusior est sententia* Jobi 4: 21. *qua humani generis* vanitate *ipsa* levior vanitas *exprimitur*. הלא נסע יתרם בם ימותו ולא בחכמה. Pag. 206. Profecto Nihil, & quidem Convulsum, *est* Nervus eorum in ipsis: dissolvuntur neque sunt in ulla solida compactione. Sic & alia loca explicat. „ Sed cur significatus simplex corporeum quid dicet dum κατ' ἐξοχὴν de Deo praedicatur? & cur non habeat significatum qui nunc restringatur ad entia spiritualia rationalia, & analogice ad animata aloga? Non moramur latinum *sapiens* a *sapiendo* quamvis hoc adhuc differat a *compactione*, & sapere non saltem corporeum quid dicit. Cur Verbum nullibi occurrit illo significatu proprio in scripturis, & ullibi saltem de corpore bene compacto praedicatur τὸ חכם? Vix dubito quin admiratio quem incesserit si ejusmodi locum ostenderit. Maneat igitur recepta & sapiens notio.

צדק Pag. 211. *Enneceanunm restat sub hac classe thema* צדק justus,

Justus, verus fuit. *Hujus principem ac nativam vim quilibet percipiet, & lubens credo, volensque etiam recipiet, ex idea* Rigoris inflexibilis *quam Arabes una cum* justitia *ac* veracitate *sub bisce radicalibus frequentant. Significatio ista apud* Golium *sese exerit tantum in derivato* . . . Dura, *aliis* aequabilis *hastu: nisi quod & . . .* vehementia, soliditas, *huc pertineat, quasi dicas* rigorem, & rectum rigidumque tenorem. *Quid autem sibi velit illud interpretamentum* Golianum *ex ipsius* Zjauharii *verbis perspicietur.* אלצרק in hastis, aliisque, sunt rigidae; Alii dicunt, rectae & aequabiles: dicitur quoque vir צרק in occurrendo, & in contuendo. *Ultimas illas glossas, non declaratas a* Zjauhario, *quia omnibus usu domestico & quotidiano tritae erant scilicet, sine interpretatione etiam posuit* Golius. *Tu vertas*, Vir Rigidus in occurrendo, & in contuendo. Pag. 214. *Percommode autem hic cadit, Latinorum quoque* Rigor & Rigidus, *duplicem istum adspectum recipere, & nunc* durum, *nunc* rectum, *nunc* utrumque *simul exprimere.* Rigorem auri, ferri, lapidum, frigoris, *nemo ignorat, in* summa duritie. Hinc explicat loca Scripturae pag. 217. 218. *Istud magnum opus domiti* Rigidi Tyranni, *qui Mortis potentiam gerebat, cecinerat* Esajas *Cap.* 49. 24. An capietur a potente captura? & an שבי צדיק liberabitur? *Vertitur* Captiva turba justi, & *speciosi conquiruntur colores, cur Diabolus* justi *titulo hic insignatur. Eos autem colores facile missos fecissent graves & solidi interpretes, si* Rigidi *Originem in voce* צדיק *perspectam habuissent: neque enim dubitari potest, quin ut Latini, sic Hebraei,* Rigidum *ancipiti usu donarint, & nonnunquam in* nimio *illo usurparint, quod* duritiem inflexibilem, inexorabilem, *ac* penitus implacabilem *adfert; quo sensu positum fuisse ab* Esaja, *tum reliqua monstrat series, tum vocabulum* עריץ Violentus, terribilis *pro nostro* צדיק *substitutum vs. sequenti. Praeclare ergo Vener.* Vitringa *vi sententiae ductus* צדיק severum & ferocem *hic interpretatus est, quamvis a* Jure *minus feliciter expediat, id quod ex* Rigore *dimanaverat.* Pag. 222. 224. *Primigenia porro vis* Rigidi *scrupulum omnem eximet, qui* Eccles. 7: 16. *vexat interpretes.* אל תהי צדיק הרבה Ne sis justus multum *reddi solet. Id ita enunciatum habet quid duri, & peperit cavillationes. Mollis erit sententia, nihil anjae prurientibus ingeniis relinquens, si proprietate retenta*

ta exprimamus, Ne sis rigidus multum. *Cave in* Rigido *&* inflexibili *nimium illud*, *quod in odiosissimum vitium degenerat.* *Consimilis est ratio in altero dicto ibidem*, ואל התחכם יותר & ne nimis te συνιυὸν compactum praebeas. *Habet* συνιότης חכמה *suos fines*, *quos ultra si intendatur*, compactae mentis firmitudo *degenerabit in* stuporem insensilem, *qui* compactum *deceat* Lapidem *magis quam Hominem. Aliud τὸ συνιυὸν*, *aliud τὸ πεπηγος*. ,, Sed idem heic habe quod de חכם. Mirum igitur quod simplice & primario significatu nunquam צדקה justitia praedicetur de auro ferro &c. Hoc pacto verae notiones simplices obscurantur & sua latitudine privantur. Rigor rigiditas est justitiae qualitas quaedam. Ex illis hypothesibus sapientia justitia proprie dicitur de rebus corporeis, improprie de Deo, hominibus &c. quod absonum. Et quod ad notionem τȣ צדק & inde τȣ הצדיק. eam tenere veram primam propriam & non confundere cum secundaria & accessoria aliqua magni res est momenti in gravissimo dogmate de Justificatione. Jes. XLIX. Eccles. VII. meditationem requirunt.

Quia constantissima est vocis צדיק significatio, & titulus ille צדיק Diabolo non convenit, qui hoc in loco saltem illi tribuatur (quamvis non nesciam quam ejus dare conentur interpretationem commodam) per potentem & tyrannum equidem intelligo Diabolum, sed per *justum* Legem, *τον νομον* maledicentem condemnantemque peccatorem idque justissime dum ipsa est justa Rom. VII. Huic Diabolus pro lictore & executore est. Sunt autem irregeniti sub Lege, sub *καταρα*. Estque gradatio. Quis eripiet potenti spolium, idque dum captivi sunt in potestate. Legis justissime condemnantis & Diabolo praedam illam addicentis? Verba in Ecclesiaste non sunt ipsius Salomonis *resipiscentis*, sed Salomonis ante *carnaliter* aberrantis quae ipse jam refutat, Vide meum Commentarium subnexum *Sapientiae hujus Mundi* &c.

Tandem V. D. pag. 241. *Manum de hac tabula tollenti*, *atque ad alia festinanti*, *succurrit insigne adhuc lumen*, *quo augeri posset* Psalm. 16: 16. *ex usu illo figurato* Nali, *qui* eminentiam, praecipuam dignitatem: *quin &* intactum florem honoremque *alicujus* Personae *non tantum*, *sed &* Rei *adfert*. Funiculi ceciderunt mihi in amoenis, אף נחלת שפרה עלי *vulgo*. Etiam Haeredi-

aditas speciosa est mihi. *Nihil videtur desiderari posse uberius: & tamen uberius quid efflorescet, si substituatur.* Nasus Haereditatis lectissimae speciosus est mihi, *vel potius* super me. *Id quidem nostris auribus insuetum, atque absonum: sed Orientali genio congruentissimum. Recogita modo illam Glossam* . . . . . . Nasus omnis Rei dicitur id quod praecipuum est. *Adde speciatim* . . . . . Nasus terrae, *pro* pars terrae lectissima, aprica, & prae aliis sole gaudens. Pag. 242. 243. *Nonnihil etiam scrupuli movet* אף *usu Biblico* masculinum *semper, ac proinde* foeminino שפרה *non respondens, nisi assumatur illa ratio construendi, qua verbum sese refert ad proxime praecedens, etiamsi ad remotius directe pertinebat, quod in* קשת גברים חתים *similibusque observarunt linguae periti. Ergo contentus conjecturam hunc in medium contulisse, judicium Lectori relinquo: meumque sustinebo, donec liquidius aliquid de verbo* שפר *adfulserit. Ecce tamen ipsissimum huncce flosculum sermonis, jam non ex obscuro lucentem, sed diserte sese exerentem* 1 Sam. 1: 5. Hannae dabat מנה אחת אפים portionem unam dupla facie praeditam, *vertit* Cocc. *in* Lex. *hoc est, cujus* dupla *erat* dignitas. *Sic nostri* spectabilem. Honorarium *dedit* Boch. *H.* 1: 578. R. Salom. *maluit* portionem dignam quae hilari facie reciperetur. *Apud* Stockium *reperio* vultu tristi, *quod extra oleas.* ., Judicet Lector. Quam quaesita est illa expositio ad Ps. xvi. Quidni retinetur recepta versio *Etiam*? Ubi in loco Samuelis portionem *spectabilem* dicit אפים non significat *nasum*, sed *vultum, faciem.*

Hactenus igitur Linguae Hebraeae Biblicae defectus hodiernos ostendimus nullos, unde opus non est in suas illos Classes digeramus. Fateor, non omnes voces quas Hebraea Lingua olim habuit in Scriptura comparent; sed continentur illae voces & dictiones quae sufficiunt ad divinissimum ejus argumentum, dogmaticum, morale, historicum, typicum, propheticum, allegoricum, notitiae nostrae insinuandum planissimè distinctissimè copiosissime, vividissime. Quo igitur pauciores sunt voces & dictiones, quae tamen abundantissimè sufficiunt, eo facilius illas sibi familiares reddit Linguae Biblicae studiosus, in quo agnoscimus non Linguae pauperiem sed Dei Benignita-

 tem

tem & Sapientiam. Neque video, si jam superessent radices & derivata illarum quas & quae Lingua Hebraea olim habuit omnes & omnia, quid Lucis adferrent uberioris Linguae Biblicae, quae Lingua per se est plena, in eoque singularis quod omnis ejus constructio sit divina eundem habens Auctorem Spiritum S. Illud largior, si vox & constructio quae saltem legitur semel, legeretur saepius, & si quarum derivata supersunt superessent & radices, in illis locis significatum propriissimum facilius posse constitui. Sed confido των αφαξ λεγομενων significatum, si non ubique propriissimum, eum saltem qui loci sensum non turbet realiter figi posse ex nexu, scopo &c. mediantibus illis quae Deus superesse voluit adminiculis. Et quod ad derivata quarum radix jam desideretur, si vere desideretur, radix qualis fuerit, quidque significarit Judicio logico adsequimur. Credo etiam voces plures biliteras & triliteras quae perperam habentur pro derivatis esse primiginias, & perperam illarum radices quae ipsas in luce vel majore luce ponant desiderari.

Sed ais tandem, si vocum significatus primigenius universalis ea qua volo methodo sit vestigandus & figendus, neque ex Arabismo qua Vir D. voluit via repetendus, unde igitur eaedem illae voces Hebraeae significatus illos magnam partem figuratos adeptae sunt apud Arabes? Quis dicat modum & rationem omnem? Possunt labente tempore voces aliquae per usum ita restringi ad subjecta quaedam singularia, ut singularis ille & secundarius earum significatus jam videatur esse ipsarum primigenius qui tamen alius est & universalior. Notus est specialissimus τε גאל & גאל significatus sub Lege Mosaica, & tamen vox ejusque significatus primigenius universalior jam extitit ante latam de Legali Goele Legem vid. Job. XIX. 25. Graecorum illae dictiones omnes quae adhibentur de Ludis circis certaminibus, illisque usu sic evaserunt propriae ut ille significatus quem tunc acceperunt videatur primus & proprius, cum sit singularis & secundarius, etenim voces omnes a Carceribus ad metas jam diu extiterunt ante institutos Ludos &c. suumque primigenium & universaliorem significatum habuerunt. Rebus autem noviter inventis

sig-

significandis voces adhibuerunt quae appositissimae videbantur, quarumque sic significatus primigenius & universalis degeneravit usu in secundarium illum. Idem accidere potuit Arabismo, praesertim si accedit Arabum genius in figurata dictione luxurians, per quem ex Vocibus a primigenio significatu deflexis ad metaphoricum nascitur tandem Lingua maximam partem metaphorica ejusque promptuaria Lexica. Denique Lexicographi illi Arabes non dicunt & simul probant illos suos significatus figuratos esse primigenios, sed indicant usus receptos; & quis ab ejusmodi philosophis expectet erutas primas & simplices rerum notiones, in quibus vel ipse Vir Doctissimus alibi agnoscit *ordinem nullum, nullum Lumen criticum*, addat *nullum metaphysicum*. Sed an igitur nullus est Arabismi usus in Lingua Biblica? Certe idem qui Syriasmi Chaldaismi &c. Si quaeris, quae Dialectorum in hoc usu principatum teneat, non est opis meae istam Litem componere. Hoc teneo, ea, quam V. D. inflexit, via frustra primigenios vocum Hebraearum significatus quaeri apud Arabes. Attamen non diffiteor ex secundariis & figuratis quos illi promunt, in his illis justo ratiocinio ad primigenios & simplices significatus quem posse adscendere; aliter vero si instituis, ex tralatis Arabum significationibus nativae vocum notioni tenebras offundis. Caeterum quanti res sit momenti a secundariis significationibus adscendere ad significatum abstractum universalem qui significatus universalis purus est nihil imperfecti involvens, quod secundarius aliquando implicat, ego ostendi relatè ad augustissima Religionis nostrae Mysteria Tractat. Vindiciae Locorum in Evangelio secundum Johannem. Lege & non sine cura perpende quae habeo de Scripturae dictionibus in Mysterio Patris & Filii *generare & generari, dare vitam habere in se, filia ostendere* &c. Pag. 8. pag. 16. pag. 23. Exhib o tantum pag. 16. 17. ;, Quando de Entibus toto genere diversis eadem praedicantur, sic ut necessario in Ente finito perfectionem limitatam dicere debeant, in infinito Ente illimitatam, tunc, seposito paullisper utroque Ente, videndum est, quae simplex & generalior notio supersit; illa tunc, ubi praedicatur de hoc illo Ente, pro natura rei vel inferet limitatam perfectionem vel

non

non inferet, manebit tamen vero notio generalis. Si dicas generalia non dari in rerum natura, sed dari tantum particularia, ipsam notionem abstractam implicare imperfectionem; nego illud, si generalia fundantur in particularibus, notio generalis non involvit imperfectionem, si in omnibus Entibus singularibus non involvit; quando ergo in praecipuo Ente non involvit imperfectionem, ergo notio generalis non involvit imperfectionem. Notio autem generalis talis dici potest vel relate ad omne Ens, finitum & infinitum; vel relate ad omnia Entia finita. Relatè ad omnia Entia finita involvit perfectionem limitatam, relate autem ad omne Ens non involvit perfectionem limitatam, quia datur Ens aliquod singulare, nempe Ens infinitum, quod non involvit imperfectionem. Quando ergo dicis, ipsam notionem abstractam, velut *το generare* & *generatio* (de quo deinceps dicemus plura) involvere perfectionem limitatam vel imperfectionem, luderis, tunc modo habes ideam generalis notionis, non relate ad omne Ens, sed relate ad Entia finita generantia, & heic ideam generationis humanae. Inspiciamus jam phrasin illam, *dare vitam habere in se.* Illud heic moneo primum, phrasin hanc discerpendam non esse & tunc contra divisim spectatam arguendum, sed totam in complexu suo considerandam esse; quare non seorsim *το dare vitam* sed *το dare vitam habere in se quemadmodum habet in se ille qui dat.* Si velis attendere simplicem notionem *τȣ dare*, quod alibi de creaturis, heic de divinis hypostasibus usurpatur, sequenda erit lex aequa illa quam fiximus, nempe paulisper seposito utroque Ente, attendendam esse notionem generaliorem, quae superfit, quae notio tunc adplicita Enti finito involvet perfectionem limitatam, non notio qua notio, sed pro natura subjecti, de quo praedicatur, applicita autem Enti infinito dicet perfectionem illimitatam, non notio qua notio, sed pro natura subjecti, de quo praedicatur. Seposito ergo paulisper utroque Ente finito & infinito, abstracta notio *τȣ dare* simpliciter dicet: *facere, ut quis quid habeat*; ubi jam praedicatur de Entibus finitis involvit, imperfectionem, quare? Quia tunc qui dat, cui datur, & saepius quod datur, essentialiter differunt; contrarium in Ente infinito contrarium infert.

CON.

CONSIDERATIONES

AD VIRI CLARISSIMI

NOVAM VERSIONEM

LIBRI JOBI.

QUia Vir cl. cum Aliis Nomen divinum אלהים ad Cap. 1. 1. interpretatur *Numen colendum* ex radice quae olim *coluit* ſignificarit, apud Arabes ſervata, damus Tibi breviſſimè noſtras de nomine *Elohim* meditationes, quas Diſſertationis pag. 12. promiſeramus: Sunt qui a verbo, quod adhuc in Arabiſmo ſervatum ſit quod *colere adorare* dicat, derivant, dicatque adeo *σεβασμα*, *θεον σεβασμιον*. Sunt qui ab Hebraeo אלה quod ſignificat *jurare*, *adjurare*, *execrari*, ſicque exhibeat Deum non modo per quem ſolum ſit jurandum, ſed qui, poſt ruptum foedus operum, foedus Gratiae juratus ſanciat, peccatorem adjuret in foedus illud ſecum veniat, & nolentem execretur. *Aben Eſra* vocem אלהים habet pro primitiva & vult proprie judices ſignificare, hinc per metaphoram transferri ad Deum & Angelos. Quod refellit *Abarbanel*, qui vult praecipue & propriè ſignificare *Auctorem effectoremque rerum omnipotentem*. Hoc propius accedit ad verum. Sed nos procedamus apodictice. Verus vocis ſignificatus figendus eſt ex iis ſcripturae S. locis ubi aliquid de Deo praedicatur cum ſpecialiore ad Illum ceu אלהים reſpectu; taliſque figendus eſt ſignificatus qui ſimul Deo, &, ſignificatu tamen exiliore, Angelis & Populi Dei Principibus (etenim & Illi in ſcript. אלהים audiunt) conveniat. Primum quo Deus in Scriptura venit Nomen eſt *Elohim*. Gen. 1. relate ad omnia Creationis opera vocatur Elohim. Quin

illud

illud Nomen singularissimum ad Creationem rerum ex nihilo respectum habeat, hinc non dubitamus. Ratio est cur Spiritus S. hoc non alio nomine creantem Deum constanter vicibus 31. insigniat. Et ubi Cap. II. & III. Nomen Jehova ei tribuitur saepius, constanter adjungitur Nomen Elohim. Dicit ergo Elohim (occurrit & in singulari, quae vox cur primitiva non sit nulla est ratio) *Deum Creatorem*, & vi Creationis totius *Universi Dominum & Rectorem*, sicque judicem, atque Creaturae Rationalis summum Bonum. Quando autem per peccatum certo respectu Creatura facta fuit ἄθεος (confer ad Eph. II. 12.) dicit relatè ad Oeconomiam Gratiae illum qui jure Creationis Creaturae Deus est sed per peccatum Creaturae evaserat certo respectu ejus *non-Deus*, non summum bonum, per Redemptionem rursus ejus esse Deum, Dominum, Rectorem, judicem, Summum Bonum; hinc in Prooemio Decalogi Jehova אלהיך. Hinc intelliges qui Angeli & Populi Dei Principes, etiam suo modo Rectores אלהים dicantur. De Forma ejus plurali dicimus alibi.

Cap. III. 7. Ecce nox ista sit dura silice vastior: ne proveniat tinniens cantus in ea. Pag. 56. a. *Primum hic gradum exhibet* יהי גלמוד / sit solitaria *plurimi*, *vel* desolata; *alii vasta*, *vel sterilis*; *alii aliud*, *quod videbatur maxime quadrare. Non multum quidem haec omnia abludunt*; *attamen proprietatem Linguae*, *& vim figurae neutiquam satis exprimunt.* Ibid. *Indubitata est tum origo*, *tum potestas*, *quam Dialectus Arabica subministrat*, *ubi haec ipsa forma* . . . גלמוד / cum plurali fracto גלאמיד *nec non alteram sing.* . . . גַלְמַד *in faem.* . . . גַלְמֻדָה / & גַלְמֻדֶת / *frequentantur pro saxo durissimo*, *sive majore ut rupes*, *sive minore*, *ut silex*, *omnisque lapis ingens.* Pag. 57. a. *Et hisce jam elucescit gravitas dignitasque figuratae dictionis Esaj.* 43: 21. *Quis mihi hos genuit quum sim orba*, גלמודה *silicis instar dura*, *congelata*, *sterilis. Eadem metaphora nota Arabibus*, *quum* . . . *applicant ad annosiores camelos*, *gregesve effoetos. Eandem aptissime sedere in contextu nostro*, *non est quod moneam*: *etenim Nox haec damnanda fuisse*, *atque in perpetuum esse dicitur durae & vastae sterilitati*, *ut silicis instar congelata esse videatur. Sub hac jam generali imagine complecti possum*, *quicquid ab interpretibus allatum*, *ac praesertim*

va-

vastissimam illam desolationem, quam intendit Schmid, ut cuncta non tantum in summa solitudine & caligine taceant, sed & mortua quasi jaceant. Infra recurret cap. 15: 34. Coetus Hypocritae גלמוד *evadet dura silex, quod ibi explicabitur. Et cap. 30: 3. Inopia & inedia* גלמוד *ad durae silicis conditionem redactus.* „ Non placet. Primigenius significatus est *solitarium esse.* Jes. XLIX. 21. convertitur cum לבדי. Aberrat V. D. a figura; non concipitur *effoeta* sed *non maritata*, vel cui vir non cohabitat, solitaria, & in h. l. dicit quid oppositum Cantico. Subjecta si attendis de quibus praedicatur non uno in loco, oportet omnino significatum primum esse universalem.

℣s. 8. *Nominatim designant eam imprecatores diei, promtissimi quique, Excitatricem Leviathanis.* Quam ego adoptavi versio longe simplicior est, eam vide & quae commentatus sum Capitibus XL. & XLI. de Leviathane.

℣s. 17. Ibi irrequieto motu jactati, cessant concuti: & ibi recumbunt fessi virium. Pag. 72. a. *Omnino sequendos censeam Ab. Esram & Rambanem, qui* רשעים *hic acceperunt pro* מתנועעים *jactatis, irrequietis, continuo motu metuque agitatis, non morali, sed physico usu. Haec nempe est Origo thematis* רשע*, quod proprie valuit turbido motu jactari, cui opponitur* שקט *sidere. Utrumque habebimus infra cap. 34: 29.* והוא ישקיט ומי ירשיע *Et ille pacabit, sidere faciet, & quis exagitabit, ac turbidum reddet? Similiter 1 Sam. 14: 47. Bella gessit Saulus cum omnibus inimicis suis &c. &c.* ובכל אשר יפנה ירשיע *& quocunque se converteret, terrorem injiciebat. Ex hoc fonte ductam esse secundariam significationem improbitatis, quae aestu turbido cupiditatum irrequietarum jactatur, dudum monuere Viri Docti; eoque allusum Esaj. 57: 20.* Pag. 72. b. *Etiamsi ergo nusquam alibi* רשע *hanc turbulenti & miseris agitati notionem exereret, tutum satis foret eam huic vindicare contextui, scopo & serie alia omnia excludentibus. Sed & infra cap. 24: 6.* רשע *recurret consimili donandum potestate, ut in loco reddetur. Haud absimile quid notari potest in vocabulo* צדיק*, quod sexcentis in locis justum sonans, semel Rigidi antiquam suam vim retinuit apud Esajam, cap. 49: 24. ubi* צדיק *&* עריץ *alternantur. Cocus in Lib. de Defect. una cum Radice* צדק *enucleatus.* „ Admitterem *irrequieto motu jactatos.* Sed רשעים nullibi ha-

 bet

bent illum significatum sed semper significatum oppositum τῷ צדיק, hoc vero *rigidum* nullo dicit in loco de quo dictum ad ipsius *Defectus* &c. Pariter de l. Jes. XLIX. 24.

ỳs. 18. *Simul vincti eliquata abundant tranquillitate: non audiunt vocem exactoris.* „ Quaesita admodum est illa *eliquata tranquillitas.* Primigenia notio τῷ שאנן est id quod timori mali oppositum est Prov. 1. 13.

ỳs. 26. Nusquam est defaecatus sum; nusqum est resido: & nusquam est quietus recumbo: incursante concussione. Pag. 83. b. *Particula* לא *substantive sumta, pro οἴχεται, abiit, evanuit, Nihil est. Nusquam est. Istam vim mox cap. 4: 6. & 22. pressius confirmabo.* Pag. 83. b. *Primum* שלו *antiquam formam hic retinens per* Vaw Mobile, *infert defaecationem eliquatam rerum pinguium, ut in Origin. Hebr. Lib. 2. Cap. 3. deductum.* „ Mea versio est simplicior quia non intelligitur hic irrequies praesens, sed irrequietudo illa praesaga. Errat dum significatum primigenium τῷ שלו existimat, inferre *defaecatam eliquationem rerum pinguium* sicque metaphoricum esse. Hoc modo nomen servatoris שילה ad *eliquationem* velut nomen *Jesu* ad *ampliationem* per Arabismum suum trahet nativo decore detracto. Verbi notio primigenia est ea *tranquillitatis* sive *verae* sive *fallacis.* Hinc forte in Niphal *erravit* in Hiphil *errare fecit.*

Ad Cap. IV. V. D. alibi observabimus.

Cap. V. ỳs. 5. Quippe cujus messem famelicus depascebat; & vel e spinis rapiebat eam: absorpsitque Everriculum opulentiam eorum. Pag. 135. b. *Intricatum adhuc* [illegible] *membrum. Nodus potissimum nectitur per* צַמִּים *rarissimi usus, quod extra Cap. 18: 9. hujus Libri, nusquam reperire est. Radix* צמם *etiam abest ex reliquiis Biblicis Linguae, in quibus unicum* צַמָּה *superest, ter, quaterve, per comam ab interpretibus expressum. Inde plurimi comatum fecerunt in gemino Jobi textu; per quem intelligi volunt praedonem horridum, hispidum, ipso vultu & crine promisso immanem. Confert Cl. Cocc. ex Ps. 68: 22. Verticem pilosum aut Comatum. Doct. Merc. isti Etymo Rabbinico haud subscribens, praedonem mallet ita dictum ab exigenda pecunia viatorum. Supponit* צמם *idem notasse atque* צמא *sitivit, unde & alii siticulosum hic exsculpsere,*

qui

qui cum רעב *famelico conjunctus eat. Istam speciem oculos posse praestringere haud negem; sed quum Cap.* 18. 9. *aliud exigat, mirum specie duci se passos Viros Doctissimos.* Pag. 137. a. *Ad veram vim* τοῦ צַמִּים *eruendam, sciendum est secundum principia Critica omnium Linguarum, unde Coma dicta sit* צמה, *& quid* צמם *olim significarit. Cocceius haesitanter, An convenit, inquid, Caldaicum* צמצם *constringere? Rectissime; nisi quod pressius adhuc ex Dialecto Araoum succurrat . .* ממם, *plexuit comam; & . . . capillus plexus. Hanc Originem adstruxi in Observat. Philol. ad Esaj.* 47: 3. *ubi ostensum* צמה *esse proprie Comam plexam, tortamque.* Pag. 137. a. *Liquido proinde adfirmare est,* צמם Hebraeis *significasse, plectendo implicare & intorquere, unde* צמה *πλόκαμος, vel πλέγμα, vel πλεκτάνη, quae vocabula in Cincinnis Crinibusque nodatis, aut intortis, nemo ignorat.* „ Quia צמה significat *comam, crinem* Cantic. IV. 1. 3. VI. 7. Jes. XLVII. 2. facile sine ope Arabismi intelligimus Hebraeam aliquam radicem exstitisse צמם *hirsutum comatum esse.* Hinc צמים *pilosi horridi* &c.

℣s. 6. 7. ℣s. 6. Nam non exibit e pulvere vanitas: & e tellure non efflorescet improbitas. ℣s. 7. Quia homine ad improbitatem nato, obstinato; adsunt tela corusca, quae alte volitant. Pag. 139. b. *Cla. Cocc. haec cohaerere putat cum Vs.* 2. *Justum est ut stultos occidat aegritudo, quia murmurant contra Deum, cum deberent murmurare adversus se ipsos. Miseria enim non e terra suscitatur; sed est poena peccati: ita ut* און *ματαιότης inducat homini* עמל *laborem, dolorem, morbos, mortem, suam e culpa.* Pag. 139. b. *Animosius quid & celsius exigit concitatus ille Eliphazi impetus, qui postquam in praegressis pinxisset stultum, tempestate divinitus immissa excisum, adinstar Arboris cum radicibus suis revulsae, & extra sedem, ubi floruerat, dejectae, ac traditae in praedam & direptionem; isti imagini convenientissime nunc subnectit, Nam non emicabit e pulvere vanitas: & non efflorescet e terra improbitas.* און *&* עמל *hic sunt Homines vani & improbi, ut Cap.* 11: 11. *nisi quod figuratius Abstracta pro concretis ponantur. Licet quoque vanitatem, & improbitatem vestire prosopopoeia sacris profanisque literis receptissima; quod adhuc sublimius quid adferret. Illa vitia emicant, & efflores-*

 cunt

tunt e terra, quum in orbe terrarum caput exerunt, atque altissimis quasi radicibus nixa, longe lateque se diffundunt, virtutemque praeumbrant, gravant, opprimunt, extinguunt. Jam vero negat Eliphanus id permissurum Deum; improbisque omnibus, atque adeo improbitati ipsi, denunciat extinctionem atque interitionem certissimam, ut sola virtus, veritas, Religio, in terris emicent, atque efflorescant. Pag. 141. a. *Magnifice clauditur haec pericope; atque improbitati adversus Deum obstinatae, ostenduntur Fulmina, certo certius feritura; malumque semen de terris deletura. Hunc sensum grandem, & filo unice respondentem, vis connexionis mihi suggessit; atque deinceps collatio similium locorum confirmavit.* Pag. 142. a. *Detur sane* רשף *significare prunam; an inde consequitur* בני רשף Filios prunae *heic loci denotare scintillas? Quidni potius fulmina, vel fulgetra per* רשפים *expressa Ps.* 78: 48. *& Ps.* 76: 4. רשפי קשת fulmina arcus *nemo spreverit, pro telis fulmineis, sive fulminis instar evibratis*, „Non equidem abludit,a nexu V. D. interpretatio. Sed neque nostra quae mali originem non nisi in ipso ponit hypocrita, quod admodum facit ad scopum Eliphasi. Nostra versio magis cum *genio* linguae convenit, imo quidni unice. Ubi jungitur מן cum יצא naturaliter significare debet & in sacris significat *rei ortum*. Quantum vero de naturali corruptione tenuerit Eliphasus, an eam derivaverit ab imputato aliquo reatu & peccato originis, quod verosimile non est, an potius a creaturae rationalis facultatibus ad bonum vel malum indifferenter liberis, & pravo imitandi alios studio, jam non dicimus. Quod ad phrasin *nascuntur* eam confer cum alio loco in hoc libro dicetque se ipsum ad pravitatem & pravitatis poenam, ex illa scintillae instar prosilientem, excitare. Certe nihil obstat cur בני רשף non sint scintillae.

℣s. 26. Intrabis in decrepita senectute ad tumulum: prout consurgit acervus frugum in suo tempore. Pag. 162. a. *Fontes* Arabum *apertum. ex Camuso. Radix* כלח, *cum inf.* כלוח *&* כלאח, *dammata prim. rad. est strinxit dentes cum austeritate vultus. Idem in* 5. תכלח, *&* אכלח *in* 4. *Dicitur etiam, O quam turpis ei strictio dentium, de ore & quicquid circumsitum est. Formae Chulachh & Chilahh notant sterilem annum. Chaulachh* כֻּלַח *denotat*

turpi

turpi ore praeditum. in 5. תכלח *etiam est suaviter risit, (sive renidenti)* & תכלח אלברק *est indesinenter refulsit Fulmen. Denique tempus* כולח *vocatur aurum adversumque. Ex hisce evidentissima potestas distringendi dentes, sive in bonum, ut sit renidere, quod eleganter ad fulmen traductum quoque: sive in malum, ut sit austero vultu ringere; sive medio usu, ut sit quovis modo rictum diducere, & distringere nudatis dentibus. Insigni metaph. inde Annus* . . . *dentes stringens, est adversus & sterilis; unde Clar. Hotting. hic* כלח *sterilitatem, tempus adversum & sterile eliciebat. A renidendo Cl. Castel. assumpserat hilaritatem. A restricto ore, & renudatis, cum caperato vultu, dentibus, alii, decrepitam senectutem. Horum usuum exempla ad Cap. 30. promam, ut tanto melius dijudicari queat, eorumne aliquis, & quisnam praecipue, isti contextui conveniat. Heic loci Decrepitam Senectutem reliquis praefero quidem, sed tamen in ea acquiescere vix possum, nisi simul assumatur potestas Hyemis, & frigoris hyemalis, quam* כלח *aeque ac senium induere posse videtur. Nempe* . . כולח *est Epitheton quod Hyemi ac Frigori aptat sublimior Arabum stylus, quasi dicas restricto dente, & rugoso ac caperato vultu, infestum tempus.* „ Quid cogit statuere *τῷ* כלח significatum primigenium esse *dentes distringere* sive bonum sive malum. Credo hunc significatum admodum secundarium esse. Vel ipsa vox est primigenia, vel primigenia est radix aliqua nunc inusitata *esse vultu corrugato*, inde *senium*. Sed simplicius est vice versa *a senio* dici *corrugationem* quia senes sunt vultu corrugato. Quid illud *dentes distringere* vel in bonum vel in malum, *renidere* singulare habet quod seni sit proprium?

Cap. VI. 3. Nam sane marium praeponderat sabulo: propterea verba mea aestuantia sunt. Pag. 167. b. *In Animadvers. Philol. ad Obad. Vs. 16. submonere coeperam, incertam esse vim absorbendi, non aliunde sane ortam, quam ex affinitate nostri* לוע *cum* בלע deglutivit. *Idem Arabibus est* . . . *sed* . . Med. Vaw *apud eosdem sonat accendi, & quidem interiore aestu, coque aduri.* Pag. 168. a. *Teneo Thema* לוע*, quod declaro aestu interiore aduri; atque illuc primo nunc revocare malim Prov.* 23: 2. שמת סכין בלעך Impones cultrum in Gulam tuam; si aviditate sis praeditus. לוע *signatissime ibi Ardorem edendi exprimit.* Pag. 168. a. *Secundo apud Obad. Vs. 16. nil plenius, nil aptius, hoc sensu,*

sensu, Bibent, & לעו ardore & aestu calicis venenati intus adurentur. In tertio loco Prov. 20: 25. ילע קדש hanc concipio gravem sententiam, Laqueus est homini, ut exaestuet Sanctam; hoc est, tanquam Sanctum quid Deo voveat, aestuante ardore cordis impulsus. Denique contextui nostro hinc alia & nobilis figura surgit, Verba mea aestu interiore adusta sunt. Sic vocat Jobus verba illa quae cap. 3. profuderat, sane quam calidissima, quin imo aestuantia, atque adeo interiore illo aestu cordis, quo coquebatur, veluti inflammata, & adusta. „ Non tantum propter affinitatem τȣ בלע, sed quia simplicem hunc significatum liquido colligimus ex locis ab ipso V. D. allatis in quibus certe significatus primigenius est *deglutire absorbere.* Quae V. D. de aestuante siti habet sunt antecedentia τȣ לוע. Potest quis esse aestuante aviditate edendi & bibendi, & tamen non deglutire. Quae habet ad Obad. ℣s. 16 jam abeunt a fixo ab ipso significatu. Aliud est aduri aestu calicis venenati jam hausti, aliud aestuare aviditate edendi & bibendi.

℣s. 6. Num comedetur sputans jejunumve, nullo sale praeditum? an est sapor in saliva somnolentiae? Pag. 171. b. *Circa תפל nutat & friget, quicquid est interpretationum. Aliis enim est cibus coctus sine sale; aliis omne insulsum; aliis, ne tautologia scilicet existeret, insipidum. Cl. Coccejo est non paratum ut oportet. Ex Arabia quid productum a Cl. Hotting. de quo ad Cap. 1: 22. judicium tuli. Cl. Hinkelm. in praef. Alcor. offert legumina gustu carentia, probante Doct. Cromaj. Cuncta haec languent in sede, ubi requiritur aliquid putidum, nauseamque creans ex Vs. seq. Fraudi fuit iis, qui ex serie ipsa significationes elicere solent, adjectio illa* בלי מלח sine sale, *quae jam membrum per se constituit insulsum, fatuumve quid designans. Ex notione quam Cap. 1. 22. adstruxi, salivans assumo, sive jejunum quid instar salivae, aut sputi.* Pag. 171. b. *Languidius concipi solet posterius Colon, in quo* ריר חלמות *plerisque valet Albumen vitelli. Ansam dedit* חלמון vitellus, *ut putatur, in Dialecto Chaldaeo-Rabbinica; cujus albumen commode hic expressum videbatur voce* ריר salivae, *quia lentum est, & quasi salivosum. Mirum versionem istam plurimos tulisse calculos, quum eo apparatu non respondeat Stomacho Jobi, nec acrimoniae qua exarserat ad acerbissimas censuras. Abhorret etiam a Vs. seq. ubi fastidium pingitur, & nau-*

nausea. Alia ejusdem incommoda non persequor, quae Schmidius vitaturus auxit; חלמות extendens ad ovum cum albumine & vitello, ut ריר sit lenta utriusque viscositas. Sic absurda redditur similitudo; nam quod Vir Doctus dicat aeque fore vitellum sine sapore esse, quam albumen, nisi fallatur, quid veri habet? & si haberet, quis ei istud nisi fallatur hic inferendum concedat? Non tam superbo palato erat Jobus, ut Ovum sine sale fastidiret. Pag. 172. b. *Ἀναλογῶς a* חלם Somniator, *nascitur* חלמות Somnolentia; *unde* ריר חלמות Saliva somnolentiae, *graviter figurare potest jejunam futilitatem verborum somniantis quasi.* Pag. 172. *Cernis duo verba* תפל & ריר *sibi respondere; & ut prius signat salivae expulsionem, ita posterius ejusdem manationem spontaneam. Habes hanc vim* 1 *Sam.* 21: 4. *de Davide salivam fluere sinente, ut simularet fatuum. Hoc Psalm.* 34: 1. *vocatur* שנות טעמו *mutare saporem suum. Nempe* טעם *sapor, speciatim suavior, & appetitum movens, qui Arabice* ... *transfertur ad ingenium, judicandi solertiam, omnemque sanam & sapidam sententiam. Istum usum improprium hinc non abesse posse, satis liquet. Proprietatem quoque sic retinere possis simul, ut* ריר חלמות *ad literam sit saliva somnolentiae, quae vel infanti, vel, si mavis, seni, sponte fluit. In ea non est* טעם *sapor appetitum ciens, sed contra nauseam movet. Secundo figurate* ריר חלמות *saliva somnolentiae, commode pingit jejunum sermonem somniantis veluti, sive prae torpore ingenii sive prae senio, sive alia de causa. In tali sermone nullus iterum* טעם *sapor; sed omnia insubida, insipida, & stomachum moventia. Hunc sensum ex ancipiti, gravi aculeo pungentem, reliqua orationis vehementia commendat.* „ Fateor locum esse difficilem, quia vox non amplius occurrit. Sed quid opus est ire in Arabiam? Contineamus nos intra hebraismum biblicum. Literam si in priore membro premimus, intelligitur certe aliquid quod comeditur, sed non absque sale comeditur. Atvero *sputans* quodvis & *salivam* illam *somnolentiae* nunquam comedimus vel cum vel sine sale. Ex Jer. XXIII. 13. apertum est significari *insulsitatem*, *ἀτοπίαν*. Vel si mavelis *absurditatem*. Quare omnino videtur olim fuisse verbum תפל *absurdum esse*; vel si mavelis *contortum, distortum perversum esse*; & quid si illud verbum legatur 2 Sam. XXII. 27. תתפל. Legi-

M ... tur

tur equidem Pf. XVIII. 27. תתפתל. Sed ת characteristico extrufo & per dages compenfato, opus non eft dicere factam infuper tranfpofitionem radicalium פ & ת, fiquidem eft verbum ejufdem fignificatus תפל fic ut utroque loco idem dicatur fed verbo non uno, una litera variante. Et ne per verbum תפל 2 Sam. XXII. ℣s. 27. Deo quid abfurdi tribuamus, fignificet תפל, quemadmodum פתל, in niphal non tantum *contortus diftortus fuit* fed & *luctatus fuit*, & in hitpahel non tantum *contortum* fed & *luctatorem fe praebuit.* ריר in genere fignificat *fluere* vide Lev. XV. 3. inde ריר *Saliva* 2 Sam. XXI. 13. Quid fi jam totam dictionem metaphoricè accipiamus: *an inconditum abfurdum fermonem fine fale eft qui comedat?* Vide confimilem phrafin *verba comedere* apud Jerem. XV. 16. *Et an fapor in effluvio fomnolentiae*, in fermone qui fluit ex ore fomnolenti, vel in fermone fomniantis; fic convenit cum τοις LXX, & cum nexu. Lubentuis quidem חלמות verto fomnium quam fomnolentiam. ריר eft proprie quid quod ex ore fluit, & fi quid fluit in barbam ut 2 Sam. XXI. 13. eft certe *faliva* vel *fputum.* Sed hic eft fermo non pluris faciendus nec plus fapidus quam fputum.

℣s. 26. An ad cavillanda verba rationes inibitis? quum dicta defperati ad refpirium fint. Pag. 189. *Significationem iftam in forma* fegolata רֶוַח *contineri notum, unde* facm. רְוָחָתִי Thren. 3: 56. Spiramentum meum, *eft* vociferatio oppreffi laxamentum quaerentis. *Sub* רוח *eandem obtinuiffe poteftatem vix dubium, quum hoc ex illo fit contractum.* רוּחַ הַיּוֹם *concinnius* fpiramentum, refpiramentum Diei *vertas, quam* ventum Diei, Gen. 3: 8. *Signatur* vefpera, *quae* Arabibus *hac ipfa anfa* . . . *dicta, ut verbum* . . . vefpertino tempore rediit, fecitve aliquid. *Nempe* ad vefperam dies quafi refpirat, *ac* refpirari *finit, ab aeftu.* „ Fateor רְוָחָה effe *laxamentum refpirationem* Exod. VIII. 15. Tren. III. 56. Sed eum effe fignificatum τα רוח non conftat, potius exiftimem רוחה effe effectum τα רוח ubi in bonum fumitur. Caeteroquin fi per fe eam fpectes interpretatio non abludit. Cum nexu tamen magis convenit mea aliorumque interpretatio.

Cap. VII.

Cap. VII. vs. 6. Dies mei levissime mihi de tela fugiunt; & consumuntur exspirante trama expectationis. Pag. 200. b. *Bonus est sensus, quem reddes uberiorem, si imaginem* texturae *directe applices ad* vitam *cuique* divinitus assignatam, *cujus tum* dies, *tum* eventus, *ut* fila, *hanc* telam contexunt, absolvuntque. Pag. 200. b. Esaj. 38: 12. Ritu textoris vitam meam convolvor: a tenui trama, מדלה rescat me &c. *Hunc locum cum nostro non male contulerunt* Aben Esra *&* Jarchius, *ad ejusque lucem aliquid forte commodius adhuc detego*; Dies mei levissime decurrunt de textura, & consummantur exspirante trama. *Sic perpetua erit* Allegoria: קלו מני Leves mihi sunt de tela, *pro* citissime *vel* desecantur, *vel quod malim* decurrunt mihi, *neminem offendet*, *qui* sensus, *quos vocant*, praegnantes *haud ignoret*. תקוה Expectatio, *etiam* filum *notat vel* tramam, *unde* Tigur. Vers. *perquam concinne* Trama deficiente finiuntur. *Placitum &* Grotio, Codurco, *aliis*, *sed non* Schmidio *neganti* se meminisse usquam in scriptura comparationem cum tela, aut textura, institui ratione terminationis ex defectu; sed velocem finem potius indicari per abruptionem fili facilem & subitaneam: *ut* Jes. 38: 12. *Miram profecto crisin! quasi* filum *&* tela vitae *non aeque dici posset* finiri, expirare, deficere, *quam* abrumpi, *si series illuc feratur.* Hiskias, *apud* Prophetam, tramam *suam* abrumpi; *pro suo scopo* speciatim *conqueritur*: *at Noster* generatim *respicit nunc* praeproperam vitae fugientis celeritatem, *cujus* trama *quam ocyssime* deficit, *&* expirat, *absque ulla* spe, *aut* expectatione *ejusdem* prorogandae, vel &, *hisce in terris*, *praesentique seculo*, renovandae. *Fateor* expirante expectatione *eundem sensum fundere*, *quin vix excludi posse ab hoc contextu. Idem tamen contendo ne tramae quidem vim*, Allegoria *illuc vocante*, *posse seponi. Conjungamus ergo quae hic pulcherrime in eandem mentem conspirant*, *& vertamus*, Expirante trama *atque* expectatione. „Recta mihi videtur *Smidii* observatio, quia non respicitur ad vitam desituram, sed tam velociter desituram. Posterius ex interpretatione V. D. nihil amplius diceret. Deinde תקוה quod solum uno in loco Jos. 11. 18. & 21. eo significatu venit non dicit *Filum* qualecunque, sed vi originationis (uti recte *Stockius*) primigenie dicit *motum & translationem ad certum terminum*, specialius au-

tem *congregare se ad certum locum*; *funiculum* qui motu & congregatione filorum confieri solet, estque sic non *filum* sed *funiculus*. Deinde obscurat haec versio veram Jobi mentem, quae est in hac vita Spiritualem & corporalem status sui restitutionem, talem qualem nos saepius indicavimus, sperandam non esse.

Cap. VIII. 6. Si purus & rectus tu; enim vero mox aemulabitur super te: & pacatam reddet mansionem amoenam justitiae tuae. Pag. 217. a. *Nova conditione instatur*, Jobusque *iterum* hypocriseos *taxatur*, *quum additur*, si purus rectusque Tu; sane nunc aemulabitur super te, *&c.* *Atqui non faciebat hoc Deus*, *justus judex universi*: *ergo* Jobi cor, *hactenus quidem*, *nec* purum, *nec* rectum *coram Deo*: *Sensit sub isto* אתה Tu, *generalem iterum veritatem*, *quam tum demum* Jobus *sibi applicare posset*, *ubi* cor *suum* a fermento *veteri* repurgasset. „ Non est haec nova instantia ad Jobum hypocriseos arguendum, sed promissum resipiscentiae quam suaserat Jobo vs. 5. annexum. Non sic arguit: si tu sincerus esses mox te eriperet his malis; sed in has durissimas afflictiones te non immersisset. Pariter huc collineant versus sequentes.

Vs. 13. Sic sunt itinera omnium obliviscentium Dei: & expectatio Loripedis, Hypocritae, peribit. Pag. 223. b. חנף *proprie* Loripes, *vel* Loripedans, *ut demonstratum in* Clavi Dan. p. 231. *ex primaeva potestate* Radicum . . . Inposito pede claudicavit. *Ea transfertur ad* Hypocrisin, *quae est* Loripedatio, *&* Claudicatio, *ex notissimo illo adagio* 1. Reg. 18: 21. Claudicantes super duobus adfectibus. „ *Claudicare* non exprimit id quod verum hypocritae formale est, sed quod ipsi cum aliis est commune. Veram originationem & notionem Hebraeam Tract. Homo Vetus & Novus. Pag. 76. & 77. trado, ubi expensa Coccejii & Vitringae sententia eaque discussa sic pergo pag. 77.
„ Quando autem loca a viro D. aliisque allegata satis probant
„ quod verbum in hiphil החניף significet fecit ut quid pollu-
„ tum sit, inde facile est inferre quod verbum חנף significet
„ pollutum esse; at vero quia חנף hypocritam significat, in-
„ de infero quod significet pollutum esse vitio aliquo interio-
„ re, velato vel obnupto. Et sane distinguendum τὸ חניף
„ pollutum esse; & עשות חנף exercere hypocrisin. Jes. xxxii.
„ 6.

,, 6. Sic terra חנפה notabit terram pollutam vitio interiore,
,, non quod ſanguine rubicundo colorem & faciem exteriorem
,, mutet; ſed quod ſanguinem bibat eumque tegat, ſic vitio
,, polluta, & interea mentiatur ſanctitatem, quam cerimonia-
,, lem caeteroquin habebat palaeſtina. Ergo locus Num.
,, xxxv. 33. id dicit quod ipſi innocuo ſanguine fundendo id
,, efficiant, ut terra polluatur vitio interiore, ſanguinem illum
,, intra ſe receptans, tegens & ſanctitatem interea mentita. Sic
,, qui innocuum ſanguinem fundunt faciunt terram hypocriſe-
,, os ream, & ſic το החניף eſt facere ut quid hypocriſi polluatur.
,, Quare חנף eſt vitio interiore pollutus quod facie exteriore
,, tegit, Hypocrita eſt qui alienam mentitur Perſonam vel
,, ſciens volenſque; ſive neſciens a ſe ipſo deceptus homo, de-
,, cipiens alios vel aliena ſpecie fallens. Sic qui ſibi ipſi videtur
,, vir doctus & probus, ab utroque revera ſejunctus, prae ſe
,, fert virum doctum & probum, & ſic quamvis neſciens alie-
,, nam perſonam mentitur. Ita Scriptura S. hypocritas vocat
,, non modo qui ſcientes volenteſque fallunt, ſed omnes qui
,, vitio interiore polluti, deſtituti vero vitae ſpiritualis princi-
,, pio, in cultu exteriore meliorem faciem oſtentant. Sic qui
,, cultum interiorem vereque ſpiritualem neque norunt neque
,, ſectantur & interea in externis cerimoniis, praeceptis etiam
,, hominum, ſanctitatem ponunt, hypocritae audiunt Marc.
,, vii. 6. Matth. xv. 7. Jeſ. x. 6. xxxii. 14. Sic vidimus ipſam
,, terram, rem inanimatam, hypocritam eſſe, ſed quae non *claudicat.*

℣s. 18. Maternum ſolum abſorbebit ipſum e loco ſuo: & abnegabit eum, dicens, haud vidi te. Pag. 229. a. *Verbulo ſubnectam*, Bildadum *videri ſatis artificioſe & callide* Vetuſtum *illud* Proverbium גמא בלא בצה Juncus ſine humore *ante oculos retinuiſſe; atque ad illud exemplare praepinxiſſe* Arborem, Vitem, ſine limoneo terreno; non in קרן בן שמן colle filio olei, *ſed in* גל acervo, *&* בית אבנים ſolo petroſo luxuriantem *quidem il-lam, ſed tamen* ventis, ſiccitatibus, reliquaque intemperie coeli *mox* abſorbendam, & cum ramis ſimul ac radicibus extirpandam. Pag. 130. a. *Scrupulum tamen relinquit* differentia generis, *quum verba huic vocabulo addita* maſculine *proferantur. Eum forte ſic levare eſſet, quod* אם *per ſe anceps ſit* forma, *quae* Matrem *ſig-*

nans faemineum sexum *sequatur*, *sed pro* materno solo *posita* masculine *enuncietur*, *vel ad discrimen*, *vel quod subeat locum & vicem alterius* masculini, . . . משכן, *cum quo* . *alternari vidimus. Haec non ultra conjecturam Valere velim. Nec tamen vel ini*, *vel in* quum *acquieverim*; *sed cum* asseveratione *potius sumserim τὸ* אם, *si vere particula sit*, *in hanc mentem*, Profecto absorbebit eum e loco suo, & abnegabit eum, *dicens* non vidi te. *Hunc usum voculae* אם *infra ad* Cap. 14: 1. *plenius adstruam. Habes periodum sat teretem*, *praesertim si connexionem* Schmidii *amplectamur*, *ut* בית אבנים Solum lapidosum *dicatur* absorbere improbum *illum* alumnum, *cui* humorem *&* nutrimentum sufficere *negat*, *quin imo* cujus radices respuit *quasi ac* repellit, malam stirpem male *tandem* perdens, *ac* funditus evertens. „ Sed quid opus illis quaesitis, illa generis enallage, & matria facienda ex patria? Quaeso quid hic ad rem facit sive arbor heic descripta, impii fortunati emblema, sit consita in solo patrio, vel secundum virum D. materno, an vero in alio quovis. Attenditur modo quid in solo, fundo, suo luxuriose germinans.

Cap. IX. vs. 7. Qui imperat Soli, ut non exoriatur: & stellas obsignat. Pag. 238. a. *An ergo assentiendum iis*, *qui ad* triduanas Ægyptiorum tenebras *allusum volunt*? *Id* precarium *non tantum*, *&* frigidum, *sed etiam* temporibus contrarium. Sed cur? vide quae nos habemus ad vs. 13. pag. 170. quae cum triduanis illis tenebris pulchre conspirant.

vs. 9. Qui fecit nocturnum circitorem; sidus torpidum; sidusque calidum; & penetralia austri. Pag. 240. a. Nocturnus circitor *mirifice quadrat in* Jobo; *vel &*, Nocturna circatio poli. *Utrumque propono*, *quia* עש *potest esse* part. praes. περιπολεῖν, *qui alias* περίπολος excubitor: *potest quoque esse* subst. πόλος, Polus, circatio nocturna poli, cum sideribus suis, *quae &* עיש *dicta. Ulterius progredi haud tutum*; *neque finire sustineo* Duasne Arctos *complectatur haec vox.*

Arctos Oceani metuentes aequore tingui.

An speciatim Ἅμαξαν, Plaustrum, Ursam Majorem, *quae &* Helice ἀπὸ τοῦ ἑλίσσειν, *quod plerisque placitum*; *an potius* Cynosuram,

ram, Phoenicibus *notiorem*, *quae est* Ursa Minor, *quo* Cocc. *inclinat*: *an denique omnia* Sidera ἀειφανῆ, ὅσα ὁ ἀρκτικὸς ἀποτέμνεται κύκλος, *quae recensentur a* Schol. Homer. Iliad. 18: 489. *Quid si universum* Polum Sidereum, *sive* Hemisphaerium boreale, *oppositum* Penetralibus Austri חדרי תימן, *hoc vocabulo comprehensum statuamus? De eo adhuc aliquid ad* Cap. 38. σὺν θεῷ *prometur. In nostro contextu quid huic conjecturae subserviat, excussis nominibus* Chesyl, *&* Chyma, *dilucescet.* „ Quae porro habet ad hunc versum legi possunt, omnia hactenus relinquuntur incerta.

vs. 30. Si abluero memet aquis nivalibus; & enitidavero in ipsa puritate manus meas. Pag. 260. a. *Ei*, *in hoc acerrimo certamine*, *unice ante oculos obversabatur* causae suae bonitas; vitaeque totius innocentia, qua se praestiterat Rectum, perfectum, Dei reverenten, & recedentem a malo. *Hanc* virtutem limpidam, seculoque clariorem, *designat Emblemate* aquarum nivalium; quibus abluere *&* abstergere posset *omnes* sordes sibi *per praesentem calamitatem* injectas, *&* appactas; *nempe* sceleris *aut* hypocriseos *non jam* suspiciones, *sed* criminationes, *sed* convictiones, *ut Amici tendebant. Ergo*, si abluero memet aquis nivalibus, *tantundem valet ac*, si provocaro ad vitam ante actam cum religiosissimo studio omnis virtutis, omnisque vitii odio sincerissimo; ut me integrum, sceleris purum, & ab hypocrisi intactum, probem. *Factum id*, *sub finem harum collisionum*, *non minus magnifice*, *quam animose*, *per totum* cap. 31. *in quod oculos conjecisse juvabit*, *ad viri* intaminatam, *in quantum mortalitas admittit*, puritatem, *ac* munditiem, *emirandam.* „ Sed an non intelligit omnis virtutis, sinceritatis, principium unicum justitiam imputatam? an haec non semper ut indivulse connexa intelligit?

Cap. X. vs. 1. *Dirupta crepat anima mea in coagmentationibus mei*; *liberae evagationi permittam super me querelam meam*: *loquar in amarulentia animae meae.* „ Quaesita illa est ex Arabismo notio. Cur respuit notionem Hebraeam receptam τοῦ קוט *fastidire*, *fastidio*, *taedio affici.* An notionem illam Arabicam subjectis omnibus in sacra scriptura applices ipsi, etiam Deo Ps.

xcv. 10. apage; quam recte dicitur *cum taedio affectus tuli*; tam illud incongrue.

vs. 6. Quoniam investigas *quid* ad iniquitatem meam : & conquiris ad peccatum meum. Pag. 267. b. *Sed vide an aptius sedeat*, conquiris ad peccatum meum, *&c. Invidorum videlicet est*, criminationes *&* Calumnias *undique* conquirere, *ad innocentiam ac virtutem labe adspergendam, vel & in judiciis opprimendam. Constructio per* ל, *admodum signata, hanc expositionem adjuvare videtur.* „ Quid opus est Jobo tam cruda tribuere. Sunt haec a mente Jobi aliena. Non in eo situm est verum formale excessus Jobaei in suis querelis. De quo nos in Prolegomen.

vs. 15. Si improbus essem, vae mihi fore; & justus si essem, non attollerem caput meum; satur ignominiae & spectator adflictionis meae. Pag. 278. b. *Mihi citra salebras* שְׂבַע & רְאֵה. satiatus *&* videns, *i. e.* experiens, *sunt* participia Benoni, *per* Regimen *sic conformata. Habet tamen nescio quid incommodi*, videns adflictionis meae, *pro* experiens; *post* שבע satur; *unde suspicio mihi oborta radices* רוה inebriatus fuit, *cujus* part. רָוֶה Ebrius, Vaw *in* Aleph *trajectis, hic exaratum sit* רְאֵה, *ex lege constructionis* רְאֵה, Ebrius adflictionis meae. *Unum sedem suo jure intrant verba* saturari *&* inebriari; *& quidem hac ipsa sub* Figura, Thren. 3: 15. Saturavit me amaritudinibus, & inebriavit me absinthio. „ Fateor sensus non est incommodus. Sed sic literae mutatio sine necessitate fit. Quidni שבע est infinitivus Prov. xx. 13. & certe Coccei aliorumque versio est magis emphatica.

vs. 16. Eum itaque qui celsus ibit ut Leo venaris me: & repetito impetu mirabilia in me patras. Pag. 279. b. *Notum proverbium*, Justus ut Leo animosus est. *Indicat ergo Noster, postquam* Justum se esse *dixisset*, se olim capite erecto animoso incessisse, ad instar Leonis, *sed* nunc venabulis *Dei* confixum, prostratum, adflictum, jacere. *Appositissimum in hac sede illud* גאה, *quod* Caput, cervices, animos, erectos *&* excellos *designat* in bonum *aequae, ac* in malum: *unde nunc per* Superbiam, *nunc per* Celsitudinem *&* gloriam *convertitur* „ Nihil certe habet incommodi mea aliorumque interpretatio. Nexus illud

hid *tanquam leo* rectius ad Deum refert qui heic repraesentatur ut tremendus adversarius. Justum esse animosum instar leonis notissimum est, at cellum ire ut leonem peregrinum prorsus. An etiam non sit coacta illa constructio Hebraea & accentus distinctivus vetet illud *sicut leo* connecti cum verbo ויגאה judicent alii.

Cap. XI. vs. 4. Etenim dixisti, nitidus est flos seminis mei, & purus exsto in oculis tuis. Pag. 287. b. *Non possum quin venustius quid recludam, ex speciali usu verbi* . . . cepit, accepit, *inter* Arabas, *sito in* conceptione *&* foecundatione palmarum, quarum arborum femellae nullum fructum ad maturitatem producere possunt, nisi flore mascularum conspergantur. „ Si illa opinio sit fabulosa saltem inserta ergo ex illa hypothesi lingua Hebraea ficta formataque est ad exprimendam nugacem & fabulosam Arabum opinionem. לֶקַח est constanter *doctrina.*

℣s. 11. *Ipse enim novit sodales nequitiae; & videt vanitatem, & quod nihili est intelligit.* „ Supponit V. D. *το* לא substantive sumi. Sed si vel adjectivum sit: an etiam substantivum quod potius אפס & אל, & si vel substantive venit, an unquam venit ut subjectum an vero semper ut praedicatum? Ad haec V. D. non attendit. Ego hactenus locum offendi nullum ubi veniat substantive, certe ubi veniat subjective. Emphatica magis est versio & cum scopo loquentis conveniens *an non paenis animadvertet in id quod ipsi perspectum est?*

℣s. 18. Et securus eris, quod solida sit expectatio: & molli ad fodiendum terra gaudens secure recubabis. Pag. 299. b. *Mea quoque vineta caedens refingo quod olim tentabam ex* . . . protexit, praesidio cinxit; *unde* passive *volebam* protegeris. *Facile interim agnoscitur, a* fodiendo *ist..m vim manasse, &* . . . חפר עליה, *quatenus exponitur in* Cam. . . . . in protectionem suscepit, *&* securum praestitit aliquem, *nihil aliud esse quam*, fodit circa eum, fossa *quasi* ducta circummunivit. *Debuissem potius inde offerre*, fossa ducta circummunies tuam familiam, universamque *adeo* clientelam, futurus *aliorum* Protector. „ Recte & ego cum ipso meum *protegere* missum facio, & quemadmodum ipse accipio. Sed non opus est hoc ex Arabismo discere; docet hoc verbi Hebraei significatus & rei na-

 tura

tura; חפר est *fodere*, sicut fossae circa urbium maenia, vel fossae ducuntur ad cohibendos greges.

Cap. XII. vs. 4. Ludibrium socio suo existo; qui vocat Deum; atque eidem respondeat *vocatus*; Ludibrium existit justus integer. Pag. 305. a. Deridebatur *videlicet Noster* ab Amicis, *non quod esset* pius Cultor Dei, (*ea enim fuisset* profanorum hominum *improba* ludificatio, *ex contemtu religionis profecta*,) *sed quod* sibi insignem pietatem arrogaret, *atque* se purum *&* innocentem esse *contenderet*, *vel* sub ipsis *Dei* oculis *atque examine*; *cupiens* cum Deo in congressum venire, *ab Ipsoque audire*, *quo tandem crimine hasce plagas commeritus fuisset*. *Hoc si ex Verbis hisce eruere queam*, *directius scopum me feriisse judicabo*. *Eruetur autem*, *si* usus illos judiciales *Verborum* ענה *&* קרא, *quos ad* Cap. 5: 1. *indicavi*, *&* *huc admoveamus*: Vocans Deum, Eidemque respondere paratus. *Hoc est*; Qui tam praeclarae conscientiae testimonium in pectore meo gero, ut & Actorem me profitear, & Responsorem, ad utrumque paratum, si Deus mecum in colloquium descendere haud dedignetur. „ Merentur equidem haec expendi, sed tamen simplicius est, sine subintellecto aliquo, sueto significatu accipere τὸ קרא & ענה pro eo qui Deum religiose solitus est invocare ab eoque benignum responsum referre. Quae habet de Jobi amicis Jobum non deridentibus quod esset pius cultor Dei, decidenda sunt per veros Jobi ejusque amicorum de Deo & religione sensus.

℣s. 5. *Calamitati vilitas adest apud splendidam prosperitatem securi: percussio flagellans vacillantibus pede.* „ Simplex videtur V. D. versio & meretur expendi.

℣s. 6. Tranquillitate limpida gaudent sua vastatoribus tentoria; & res securissimae sunt irritantibus Deum; cuique, qui adducit Numen in manu sua. Pag. 308. b. Is qui Deum gerit in manu sua, Manumque sibi suam constituit Numen. הביא *pro* gerere *eleganter*: *vel* secum adducere, inferre, introducere, inferre, introducere, *ut quocumque* venit, gressusve ferat, *hoc* Numen *habeat sibi* praesentissimum. *Si* אלהו Numen suum *&* *hic fuisset expressum*, *grandis sinsus aleae esset exemtus: nunc ansa nonnulla dubitationi relicta: quam dirimunt oculatio-*

res.

res. „ Mea versio est simplicior & magis facit ad scopum loquentis. Vide me ad h. l.

Cap. XIII. 10. Omnino coarguet vos, etiamsi sub velo specioso personam acceperitis. Pag. 327. b. *Suspicor* collusionem, *vel* conspirationem clandestinam *designari. Videbantur sane tres censores in* Jobi *condemnationem consensisse, ac conspirasse. Id pulcre formula* בסתר in latibulo; in secreto, *exprimi potuit. Sic manebit vis vulgatior τοῦ* אם, Redarguet vos in publico, si latenter, & ex conspiratione, ex factione, personam acceptaveritis. *Si quis malit cum* Schmidio, etiamsi, *offero* סתר *pro* velo, velamento, praetextu specioso, *ex* Origine *verbi*, *quae* velationem *adfert*. Omnino redarguet vos, etsi sub specioso velamento personam accipiatis. *Nempe* praetextu zeli pro causa Dei. *Utrumque habet ansam sic satis commodam, quae me ancipitem distinet, remque aliorum arbitrio permittere jubet.* „ Certe merentur haec expendi, vide tamen Cap. XXXI. 27. Pf. CI. 5. Pf. LI. 8. an forte *in re occulta, in mysterio*, viis Dei cum suis mysteriosis in quibus vos ex nulla certa scientia, sed ex praejudicio vestro pronunciatis.

ỳs. 12. Sententiae vestrae memorabiles sunt simillimae cineris: profecto dorsa vestra sunt dorsa luti. Pag. 330. a. *Praefero* Dorsa, *ut stylo* Arabiae *maxime consona*. Haririus. Conf. 9. ut corroboretur Dorsum ejus in litigando. *i. e.* ut habeat validum praesidium & robur. *Malim quoque* Dorsa luti, *quam* testae, *vel.* testacea. ל Emphaticum *signantius putem*, *quam* Dativi. *Sic tandem* Dorsa luti *erunt*, *non tam quae* facile infringas, *quam quae* sponte diffluant *&* corruant. „ *Dorsa luti* tamen ex Arabibus non citat. Quae quaeso elegantia in dorso luti in hoc negotio. Quid cogit heic alium dare significatum quam Cap. XV. 26.

ỳs. 14. Super quocumque tandem eventu tollam carnem meam in dentibus meis; & animam meam ponam in volis meis. Pag. 331. b. *Adagium* Arabibus *protritum*. Caro super ligno lanionis, *pro* iis qui expositi sunt periculis, plagis, mortibus, carnificinae omni. *Hinc ansa sumta ad* audaciam projectissimam *figurandam, qua quis dicitur* suam ipsius carnem, dentibus *velut* sublatam, *periculis, plagis, mortibus*, offerre. Ibid. *Hunc sensum*

nemo

nemo non invenisset, si על מה super quid, *rite intellectum fuisset. Id nunc valet*, super quicquid fuerit: *i. e.* nulla ratione habita gravissimorum periculorum. Non obstante vel praesentissimo ac dirissimo exitu. *Ita* מה *vidimus* Vs. praec. *quod eadem amplitudine haud dubie retentum fuisset a Doctiss. interp. si in promtu habuissent τὸ* על *pro* non obstante, nulla ratione habita. *Hunc usum adstructum dedi* Cap. 10: 7. *ut jam celsum sane sensum* Jobo *reddere ausim*, super quocunque eventu, & tum corporis, tum animae malo, mihi ulterius adhuc forte infligendo, verba cum Deo facere decrevi, atque sub oculis ipsius meam innocentiam demonstrabo. „ Adsurgerem V. D. sed dictio *carnem suam suis tollere* vel *auferre dentibus*, illud significare nequit, vel aliud dicere quam in suummet corpus saevire, se ipsum dilaniare, & hoc convenit cum nexu, vide versum sequentem, nunc silere & exspirare, sibi mortem concitare prorsus idem est. confer quod ad *ψυχήν* Eccl. IX. 5. Judic. XII. 3. 1 Sam. XIX. 5. Quasi diceret, pati ut hypocrisios crimen mihi ad hoc silenti adspergatur ad ignominiam divinae gratiae in me collatae est mihi ipsi praesentissimam mortem concitare. Occidi equidem nunc debeo, sed non ego sed *Deus me occidat*, & *non sperem* in hac vita me restitutum iri, tamen mortuus *coramque eo comparens integritatem meam ipsi probabo, eritque ipse mihi saluti* quia *hypocrita* non sum qui *coram ipso non comparebit* tanquam Deo gratioso & comparentem absoluturo.

vs. 22. Tum voca, & ego respondebo: aut ego loquar, & Tu refuta me. Pag. 336. b. *Actoris personam suscipit Noster; Deum rogans quaenam ergo sint* Crimina *illa, ob quae tam atrocem in modum plectatur*, *&* Exemplum *constituatur* Publicum *justitiae & severitatis Divinae. Huc spectat ille* Catalogus Delictorum, *quem sibi, tanquam in* Libello, consignari, *&* insinuari *petit. Non sine* commotione *&* ironia *quadam ponitur τὸ* כמה Quotnam? *quasi diceret: Enimvero* ingens *debet esse* Catalogus *ille, qui tot tantasque plagas in caput meum e coelo devocavit, quum tamen* nullius gravioris criminis mihi conscius *sim. Sane* talia Delicta *esse intelligenda, quae cum* gratia *&* sincera *in Deum* pietate *consistere nequeant quod tamen magis ex vi orationis quam proprietate verborum colligendum. Addo* talia *etiam hic intendi, quae* poenam judicialem *ve*

Ex-

Exemplarem *mereantur*; *in* qualia *nonnunquam inciderunt pientissimi Numinis cultores.* ,, Satis recte in hoc loco haec sese habent; secus ac in Capite antecedente vs. 4. & pariter cum meis legi velim.

Cap. XIV. 6. Remove ergo aciem oculi ab illo, & remissionis quid habeat; ut saltem sicut mercenarius acquiescat diei suo. Pag. 349. b. *Liquida hinc sententia.* Vibrantem de super eo aciem averte, *nec ultra prius illud rigidissimum statutum severus ei censor & judex instes*; & relaxationem habeat; *non in totum quidem*; *sed eo* saltem usque ut tanquam mercenarius acquiescat suo diei. *Hoc est*: ut saltem non graviorem agat diem vitae, quam Mercenarius, cui inter continuos labores aliquid respirationis a Dominis conceditur. ,, Nihil repugnarem. Sed ille τὸ חדל significatus *cessare a molestia sicque relaxationem habere*, *respirare*, non probatur. Notat tale cessare quod defectum involvit, estque ipsissimum verbum quod vitam cessantem exprimit Ps. xxxix. vs. 5. Quare meae aliorumque versioni inhaereo. Mox ℣ seq. eundem habet significatum. Quis credat unum idemque verbum fere uno halitu prolatum tam disparata dicere.

℣s. 12. 13. 14. 15. vs. 12. *Sic vir cubat, nec resurget: donec non fuerint coeli, non expergiscentur, neque resuscitabuntur e somno suo.* ℣s. 13. *Quis det in inferno occulas me! abscondas me donec subsidat nasus tuus! ponas terminum mihi, & mei recorderis!* vs. 14. *Quum mortuus fuerit vir, an revivifcet? omnibus diebus militiae meae lemus expectabo, donec veniat innovatio mei.* ℣s. 15. *Compelles, & ego respondebo Tibi: operi manuum tuarum austero vultu immines.* ,, Quae ad hos versus commentatur abeunt a vera hypothesi, si placet illum meque ad illos versus lege.

℣s. 16. Nam nunc gressus meos dinumeras: quod nullius est momenti, memori mente servas mihi pro peccato. Pag. 360. a. Nihilum servas, *vel* observas, pro peccato meo. *Cum stomacho haec prolata cogites.* לא Nihilum, *illa* substantiva vi, *quam saepiuscule indicavi*, *τὸ μηδὲν.* *Cave arguteris.* Nihilum *vocare potuit Noster*, *Adfectu rapiente*, *quod* parvum; *quod* nullius momenti; *quod* in rationem criminis, *ad tantam utique poenam*, *non debuisset* induci. *Ita loqui solent Litigantes*, culpam, *si quae forte haereat*, extenuaturi. *Malim tamen* Nihilum *adhuc fortinus*,

us, quod non apparet, quod ignotum *plane* illi, cui quid imputatur. *Ita* loqui, *ita* agere *potuit*, *dixerim ferme*, *debuit*, *qui* Cap. 13: 23. *popoſcerat*, peccatum meum notum fac mihi. *Alia in hunc ſenſum indidem repetantur.* Illud *nunc* ſervare *arguit*, *vel* obſervare & captare *Deum*. *Utrumque reſpondet*; *ſed prius praevalet*; *ut ſit*, ſervas *irato animo*, cuſtodis penes te, in ſinuque recondis; *ad vindictam ſeveriſſimam.* „ Nimis duriter loquentem facit Jobum, & perperam heic rurſus *το* לא ſubſtantive & ſubjective accipit; ita nunquam venit, neque Jeſ. LV. 1. בלא כסף.

Cap. XV. ℣s. 18. 19. vs. 18. Quod ſapientes denunciarunt *jam:* & non celarunt a patribus eorum *acceptum.* vs. 19. Quibus ſolis tradita fuit terra: & non graſſatus eſt alienus per medium eorum. Pag. 377. b. *Cl.* Cler. *retulit ad* Joktanidas Arabiae Felicis ſeſſores; quos memoraverit Eliphaſus, ad oſtendendum ſe non peregrinam doctrinam prolaturum, ſed quae primis Arabiae conditoribus debebatur, & forte etiam Semo, a quo oriundi erant. Gen. 10. *Ingenioſa eſt Conjectura*, *cui phraſes mire favent.* „ Quos ego per ſapientes illos quos intenderit Eliphaſus intelligam jam dixi ſuperius in Dedicatione. Id ſaltem moneo verba vs. 18. quae V. D. cum aliis bene multis vertit & non *celarunt a patribus eorum* acceptum, pro genio linguae Hebraeae verti debere imperſonaliter quod *Patres ipſorum celatum non eſt* vel quod Patres ipſorum celati non ſunt, quod abſconditum non eſt a patribus ipſorum, vide eandem dictionem 1 Sam. III. 17. Crepat igitur Eſavitarum ſapientiam quam Deus Eſavum ab eoque proxime prognatos celatos noluerit.

℣s. 22. Non ſecurus eſt *uſpiam* effugere mihi e tenebris; quippe qui imminetur *ex ſpecula* ad gladium. Pag. 379. b. Nunquam ſecurus, nunquam ſui compos, omnia tuta timet, & ubique exitium ſibi imminens tremiſcit; metu ſuo id ipſum anticipans. Pag. 380. a. צפה *eſt* ſpeculari, e ſpecula captare, *atque ita* alicui ex alto imminere. Pag. 380. a. *In quo nihil ſcrupuli cuiquam relinquetur*, *ſi recurramus ad Veterem Linguam*, *quae a* צָפָה / *pro* צָפָה / *in* part pract. *dat* צָפוּי Tſaphouw;

pro

pro quo mox sponte enunciari coeptum צָפוּ Tsaphou *per quietem ultimae, quae jam in scriptione quoque necessaria fuit omittenda.* „ Si non placet Coccei illud *praestolatur gladium* id est eum exspectans & suspicans semper est, qualem significatum τυ Paul in verbis intransitivis activum vide Jud. VIII. 11. Jes. XXVI. 3. Ps. CIII. 4. verte simplicius cum Syro *exploratus est.*

vs. 24. Externabunt eum angustia & coarctatio; valide oppriment eum, adinstar regis; destinatus est ad turbulentissimas fortunas. Pag. 382. a. *Habes apud Cl.* Golium, Impurus, obscurus, turbidusque fuit *liquor*, *color*. Incommodis & adversae fortunis casibus conturbata fuit vita. *Originem* metaph. *percipias ex* Ispahan. *in* Vita Salad. Conturbata fuit ipsi per turbulenta & fatalia casuum aquatio ejus: *i. e.* fortuna *ejus* limpida ἐθολώθη. Hist. Tam. p. 2. Et involvit limpidissimam ejus vitam lutulenta conturbatio. θολὸς. θόλωσις. *Ajo ergo* כידור *ex origine sua suare* θολὸν, *sive* statum θολερὸν turbulentum. „ Vide an haec cum accentuatione conveniant, & quidni כידור confers cum Jes. XXII. 18. Cap. XXIX. 13.

vs. 31. Ne securus sit in ipso culmine fortunae, qui *ea* inebriatus insanit: nam vanitas est: aderit fluctuans ejus vicissitudo. Pag. 389. b. *Observo itaque*, *Thema* . . . שוה aequare, *eleganter adhiberi in* sole culmen Caeli tenente. *Sic* Hist. Tam. 409. . . . . Sol in aequatione sua; *i. e.* in meridie. *Huc spectat illud apud Cl.* Gol. *sub* 8. . . . Contendit adscenditque *ad coelum*: *proprie* aequavit se, *vel* aequatus fuit sol. *Hoc ad* Fortunas *transferri solenne est.* Pag. 390. b. *Posses etiam grandiore structura.* Ne credat שו fortunae εὐσταθοῦντι; non est שוא ἀστάθμητόν τι, erit, aderit, ejus σάλος, *&* ἀλλαγή; quippe quae Euripo mobilior. *Vide quae ad* Cap. 20: 18. *sequentur.* נתעה *in* Praeter. *sumendum*, *suppleto* אשר, Qui dulci fortuna ebrius, insanit, in Deumque protervus est. *Vim geminam haurias ex* Esaj. 28: 7. *&* 32: 6. *Confer* Hos. 4: 12. *ubi etiam* Ebrietas spiritualis *attendenda*, ad omnem insaniam impellens. „ Vide an haec iterum sint contra accentuationem. Certe si שו & שוא idem priori loco dicat *impietatem*, posteriori ejus *poenam* quae bona facit evanescere, sic erit א per apocopen rejectum quod fit saepius.

vs. 35. Concipere molestiam, & parere vanitatem: & venter eorum parat fraudem. Pag. 393. b. *Ergo non in* caussis, *sed in* poenis *ipsis finiendam*; *vel saltem cum* Criminibus *annexa iis* supplicia *exprimenda*, *ut huic vehementi procellae ordo*, *justusque constet orbis*. *Ad eum rotundandum respici velim* Vs. 20. *ubi tanquam* Basis *praemittitur*, improbum sua sibi mala parturire, *atque* irae thesauros accumulare, *dum* scelera concipit, in seque admittit materiem exitii. *Haec ipsa imago pro* Coronide *resumitur*, *atque per* Infinitiva, *En tibi*, concipere aerumnam! & parere Vanitatem! Ventre ipsorum fraudem parante: *decentissime denuo inculcatur*. „ Vide an connecti possit cum antecedente versu; ignis edit τὸ concipere, parere, & venter eorum qui parat fraudem ut quod conceperunt parere, i. e. effectum dare possint.

Caput. XVI. 5. Praevalere possem vobis ore meo: ita ut comploratio labiorum meorum cohiberetur. Pag. 396. a. *Sensus est*, Nil facilius esse, & proclivius, quam acrem agere Censorem; atque Commiserationem, *sive* officium labiorum condolentium, miseris subtrahere. „ Mihi adhuc placet interrogative priora accipere, & si ניד non *agitationem* sed *condolentiam* vertere velis (utrumque significat vi originationis a נוד) etiam redde *& an cohiberetur condolentia labiorum meorum*?

vs. 8. Quodque me quadrupedem constrinxeris, in testem existit: & stat contra me aperta mihi falsitas; in faciem testimonium contra me fert Pag. 398. b. *Nempe* כחשי Mendacium meum, *posuit Noster* passive, quo circumvenior, quo illaqueor, quo jus mihi meum palam eripitur, *&* liquidissima veritas *causae meae ab Amicis* abnegatur. *Ita* חמסי violentia mea, *pro* mihi facta, *sive* injuria mihi illata, Gen. 16: 5. Jer. 51: 34. *Adde* Jud. 9: 24. *&* Obad. 9. *Licet quoque* paragogicum *facere τὸ* י, *ita resolvendum*, Et surgit in me mendacium mihi. „ Non intercederem quominus ipsius versio meae aliorumque praeferatur. Sed non video mendacium ita passive capi posse. Simile quod adfert dissimile est. Sit *violentia mea* violentia mihi illata, hinc mendacium meum non est mendacium adversus me constitutum; aliter quod ad ejusmodi conversionem se res habet in iis quae moraliter mala, & in iis quae saltem physice mala sunt, in his quid active & passive accipi potest, non

pari-

pariter in illis. Obtineat igitur hactenus notio τῦ *corrugandi* & *maciei* quae certe hactenus simplicissima est ex Pf. CIX. 12. Miror autem cur heic saltem prima vice non laudet τὰς LXX. qui tam pulchram versionem ipsi praeiverunt, de quo tamen nihil monet V. D.

Cap. XVIII. 2. Quousque poneris captiosos laqueos sermonibus; diserte agaris, & postea nos agemus. Pag. 437. a. קנץ *autem quid valuerit, docebunt.* Arabes, *quibus* . . . . *est* venari, aucupari, laqueos *&* retia tendere. *Inde pulchra & apposita figura exstitit*, ponere retia *vel* laqueos, sermonibus. Captiose disserere; *&* strophas *verborum* nectere, *atque* implicare, *ad veritatem eludendam &c. &c.* Pag. 437. a. *Hisce* Laqueis captionum astutarum *opponitur verbum* תבינו, *quod vertere sustineo*, clare, *ac* diserte, loquamini. *Nempe* הבין *non tantum est* intelligere; *sed etiam* facere intelligere, distincte docere, clare explicare Dan. 8: 16. *&* Job. 6: 24. *Apud* Arabes . . . *eodem usu frequentissimum.* „ Sed sic alius emerget sensus, nempe, non per sermones captiosos aliis ponere laqueos, sed ipsis sermonibus ponere laqueos, venari ipsos sermones non suos sed aliorum. Tenemus ergo receptam versionem. Si τὸ קץ non occurrit alibi, occurrit hic. Et quidni dages in nun resolvatur ut in אנכה מנדה חנטין.

Vs. 8. *Nam jactus factus est reti ad pedes ejus: & super reticulo implexo obambulat.* „ Simplicius certe est *immissus est ipse in rete pedibus suis.*

Vs. 9. Apprehendet calcaneum laqueus; instringet eum nexus nodosissimus. Pag. 443. a. *Nempe* צמים *non est* subst. plur. *ut Vir Doctus autumabat*, sed *est* adject. *formae* צדיק / *quod proprie* nodatum, implexumque, *designat*, *vel* funem, *vel* nexum. *Hoc pacto* פח *ad* יחזק *rediret, quum alias a* צמים *regatur; quod plenius & commodius: ut sex Synonyma, per se stantia, accumulentur, ad diritatem* improvisi exitii *exaggerandam.* „ Vide de his ad Cap. v. vs. 7. Si τὸ צמם significatus primigenius sit esse pilosum hirsutum, potius primario dicet esse crinibus *dissolutis* quam *constrictis*.

Vs. 13. Devorabit Vectes cutis ejus; devorabit Vectes ejus primogenitus Mortis. Pag. 446. b. *speciose enucleans Cl.* Cocc.

 rost

post Merc. Pisc. Belg. *dedit* Mortem *maxime* horrendam, quae prae aliis mortibus, tanquam fratribus, in enecando, & excarnificando duplicem velut, & potissimam partem, habeat. *In illum sensum adduci solet* Esaj. 14: 30. *ubi* primogeniti pauperum, *pro* pauperrimis, quibus duplex portio *quasi* paupertatis in haereditatem cessit. *Est jucundus adspectus, qui tamen, monente & Schmid. magis se commendare posset, si* Primogenita Mortium *inducta esset.* Pag. 447. a. *Lumen & robur huic explicationi addit, quod* Febres *figurata dictione* Arabum *appellitentur* . . . . Filiae fati, *vel* Mortis. *Ad hanc normam* . . . . Filii Mortium, *seu* Fatorum, *vocari possunt* Morbi, praecursores Mortis, *nec non* omnia mala *quae* certissimam necem trahunt. Pag. 447. b. *Dixerim itaque* Bildadum *hac circumlocutione intendisse* Exitialem morbum, cuncta membra depascentem, & excarnificantem; qualem patiebatur Jobus, ulceribus & tetro tabo fluens; *atque* Vivus *jam* in cadaveris conditionem redactus. „ Quod ex Cocceio adducit mihi magis placet. Alia in his notio est *τυ* filii & filiae, & *τυ primogeniti.*

vs. 14. Revelletur e tentorio ejus fiducia ejus: & gradietur in eum, instar Regis, terrores. Pag. 450. a. *Certius* Cap. 39: 16. ללא לה Duram se praebet, ad non ejus, *pro* ac si non essent ejus. „ Sed ille *τυ* ל significatus non constat. Adferenda essent loca idonea quae hunc non alium admitterent. Multis in locis significat *secundum, juxta,* significatque aliquid quod eum rei natura convenit; ubi comparationem dicat & vertendum sit *instar* locum hactenus comperi nullum. Quem ex Jobo adducit, rem non conficit. כ similitudinis omissum est quod fit millies. Incumbit V. D. loca adducere quae novos quos cudit significatus, non alios possint promere; hoc propterea moneo, quia non demonstratum illum significatum locis plurimis perperam aptat, unde non potest non obscurari vera illorum mens.

Cap. XIX. 6. Noscite jam nunc quod Deus me perverterit; & rete suum circumdederit mihi. Pag. 464. *Si tamen alterutrum sit eligendum, absque ulla dubitatione amplector* pervertit me, *sive* jus meum: *nec metuam* incaute *id* factum *dici posse, quum longe* graviora *antecesserint in* Jobi *disputationibus: quumque dicere*

dicere ausum, sensum *sine ista* perversione Juris Jobaei *haud* consistere *posse*. *Ipse* Cocc. *fatetur* עות *alias* distorsionem ab aequo *&* recto *significare*, *ut* Thren. 3: 36. עות אדם בריבו Curvare hominem in Lite sua, *pro* jus ejus pervertere. *Adde* Amos. 8: 5. Job. 8: 3. *&* 34: 12. *ubi contra* Jobum *acriter negatur Deum* Curvare *sive* pervertere judicium. *Quid ergo ambigitur an* Jobus *id* dixerit, *quod disertis verbis eum* dixisse *dicunt* Amici? „ Durior versio. Melius *τὸ incurvare* respondet cum sequentibus.

vs. 18. Etiam clientes egentissimi aspernantur me: adsto; & maledicunt de me. Pag. 475. b. *Notio certissima ex* Job. 21: 11. *Apud* Arabes . . *est* sustentavit, aluitque familiam. *Item* multos sustantendos habuit, numerosa familia fuit. *Attigit & Cl.* Crom. *Ego* Harir. Conf. 3. *p.* 138. *ad hanc* Radicem, *ejusque convenientiam cum* עול, *strictura exhibui*, *quae majorem lucem praestare poterunt*. *Nunc tantum teneatur*, *vocabulis* . . . *&* . . . *a* sing. . . . *comprehendi* eos, quos quis sustentat, alitque, quibusque, quasi sarcina, est oneratus. *Hoc usus Linguae ad* familiam, turbamque parvulorum, *potissimum adstrinxit*. *Sentis*, *non* pueros, parvulosque *in genere*, *sed*, *quod rem exacerbat*, turbam *ab ipso* dependentem, *ac* sustentatam, *designari*. „ Quid quaeso cogit? Certe עוילים Cap. XXI. 11. simpliciter notat *parvulos*.

vs. 28. Quod jam dicatis, quid persequimur eum? & Radix causae inventa in me. Pag. 498. b. *Tandem ita sensum constituamus*, *qui &* vs. 29. *reddet clariorem*. Quod autem dicitis, *vel* dicatis, quid persequimur eum? & Radix litis inventa in me: Metuite vobis a facie gladii *&c*. *Haud dubie respicitur ad* vs. 22. Quare me persequimini, ut Deus? & de carne mea non saturamini? *Hoc nunquam concessissent Amici*. *Resumitur propterea*, Dicetis haud dubie, in quo injuriam tibi tam atrocem inferimus? *Utique* non persequimur innocentem, *sed* nocentem castigamus. מה *saepe est* inficiantis, *vel* factum elevantis. *Supra* Cap. 11: 2. מה יצדק Quid justus esset homo cum Deo? 1 Sam. 10. 27. Quid servabit nos hicce? *Sed vel sine exemplis res indubitata*; *cum* Quid *interrogatione enunciatum*, *omnibus in linguis negare amet*. *Negationis ratio erat* Radix litis, *unde non* perse-

 secu-

secutionem *sed* justam rephrehensionem se exercere *colligebant Censores. Dicet aliquis, sic non* בי, sed בו *scribendum fuisset; sed* בי *hic multo signatius, quam* בו, *quum* Jobus personam Accusatoris *in se ipsum velut transferat, Amicorum nomine semet taxans*, quum Radix litis extet in me. „ Simplicior est mea versio & expositio quam vide.

Cap. XX. vs. 20. *Profecto non experitur liquide defaecatum in ventre suo: delicias suas non excludet partu.* „ Cur quaeso nihil toto hoc capite obscurius quod dicit? Seponatur modo significatus ille *τε* מלט qui certe primigenius non est, vide meam aliorumque versionem. Quae necessitas *το* בחמוד vertere *quod concupiscit*?

vs. 22. *Quum completa erit complosio ejus, arctum erit ipsi: omnis plaga aerumnosi invadet eum.* „ Examinetur. Certe *το* שפק significat *esse sufficientem, abundavit.* Videtur significatus *sufficientiae* magis cohaerere.

vs. 23. *Erit* tamen *quo ventrem impleat; mittet* enim Deus *in ipsum aestum nasi sui; & pluet super illum quo vescatur.* „ Examinetur, quia מטר construi solet cum על ad notandum subjectum in quod.

Cap. XXI. vs. 4. Profecto Ego, ut hominibus questus meus: quod si? quare non impatiens fieret spiritus meus? Pag. 547. a. *Cl.* Cler. An non mihi res est cum hominibus mei similibus? Utique. Non est ergo, cur eorum acerba dicta patienter feram. Pag. 547. b. *Eum clariorem fore credo sic conversum*, profecto Ego, ad hominem, *more humano*, querela mea: Quod si? cur non taedio adficerer? *vel*, impatientius agerem? ה *mihi jam non interrogat, sed adfirmat, ut saepe.* לאדם ad instar hominis, *ad morem hominis*, suas se querelas tudisse *dicens, ostendit, se non ex* contumacia *in Deum, multo minus ex* impietate, *in eas erupisse, sed* anxietate pectoris oppressi, laxationem *aliquam* quaerentis. *Negat ergo se ob* Verba impatientius jacta, *quae* verba *tantum sint, tam inclementer debuisse increpari, atque pro* obstinato, *&* impoenitenti, *ad inferos relegari.* „ Significatum illum *τε* ל non probavit. Non memini אם & מדוע conjunctum alibi me legisse. Utrumque vim habet interrogandi, & sic interrogatio intenditur. Accentus utrumque conjungit. Hinc interpretationem meam in textu

tu expressam cum hac mea commuto: *Numquid secundum hominem*, more humano, ex infirmitate humana, *querelas fundo?* neutiquam. *Cur ergo non esset impatiens spiritus meus*, cum Deus me tractet equidem juste si absolutam ejus potestatem spectes, sed non pro ea relatione quam ego ad illum habeo vi justitiae imputatae.

℣s. 17. Quoties lucerna improborum extinguitur, & venit super eos exitium eorum? funes partitur in ira sua? Pag. 558. b. *Incipit periodus aliquot versibus deducta; quam multi in contrariam plane mentem tendere volunt, quasi* infelicitas impiorum *nunc* subnecteretur: *aliis in* Felicitate *eorum* filum continuantibus. Pag. 559. b. *Accedit τὸ* כמה Quoties? *esse* Augmenti, *ut* Ps. 78: 40. Quoties rebellarunt ei in deserto? *O quam saepe! ad quam normam & hic* Schmid. Saepissime sane, ut vix numerus detur. Pag. 559. b. *Ita priorem opinionem utcumque defendi posse, monuerat etiam* Merc. *Eam tamen missam faciendam his rationibus efficitur.* 1. *Quod nihil alienius a praesenti conflictu, quam ut* Jobus *ad* sortem infelicem improborum *deflectat; seque ipsum refellat. Sed, est cautela, inquiunt Viri Docti; qua occurritur* Nimio, *quod ejus assertioni subesse videbatur; quum* improbis *omnibus* felicitatem talem *dederat. En fontem erroris. At* Jobo *quod* 2. *probe tenendum*, רשעים *erant* improbi insigniti, *&* perditissimi, *ut ad* Vs. 7. *&* 14. *praestructum.* 3. *Tales haud dubie* improbos *intendit. Noster, quales Censor*, Cap. 18: 5. 6. גם אור רשעים ידעך Etiam lumen improborum extinguetur: *nam id ipsum ita resumitur, ut refutetur.* 4. *Si* כמה *hic non* minuat, negetque, *sed* vehementer augeat *atque* adfirmet; *jam* Lanx *saltem* in partem pejorem deprimetur; *&* Jobus *non tam injuste ab Amicis sub suspicionem improbitatis erit vocatus.* 5. *per hanc* Hypothesin *conturbantur sequentia; & miris modis sese implicant qui secundum eam alia quid explicare nituntur; ut suis locis apparebit. Ipse* Vs. praeced. *quo solo Viri Docti huc impulsi, ex nostra commentatione aliud* 6. *exigit*; continuationem *videlicet* felicitatis, *sive clarius*, Epexegesin Vs. 9. *&* Vs. 16. *prout eam exposuimus; quam Cl.* Cocc. *rite appellavit.* Felicitatem in evasione poenarum. Ibid. *Hoc fundamento jacto, reliqua levi brachio expediam.* כמה *ita* minuit, *ut* tantum non neget, *ex iis quae ad* Cap. 13: 23. *dedi.*

vs. 18. Fiunt ficut palea, ante ventum? utque gluma, quam furatur turbo radens? Pag. 560. b. *Sibi haud dubie plauserunt in acumine suo, quibus talis visus nexus*, Quoties lux impiorum exstinguitur &c. *toties* sunt ut stramen, &c. *Vel etiam*, Quoties pereunt, cito pereunt ut palea vento acta, nec diu languent, aut aegrotant. *Nullus tamen in hisce lepor, nullus vigor.* Pag. 560. b. *Cum simplici interrogatione* Cocc. Fiunt ut stipula coram vento? &c. *cujus iterum pulchra observatio*, duos *adhuc gradus* tribus *praecedentibus addi*, *ut* quarto *negetur* rarissime improbos fieri stipulam a vento agitatam, & impulsam; & quinto, *ut fortiore adhuc figura superimponatur*, multo minus eos paleae instar subito ex oculis tolli. *Bonus ordo, & judicio digestus, cujus singula membra opposita iis, quae Amici, ut certissima, & in legibus perpetuis providentiae fundata, asseverarant.*

ỷs. 19. Deus recondit filiis ejus iniquitatem ejus: rependat super ipsum, & experiatur. Pag. 561. a. *Angustias vides undique ab hac parte: quas auget posterius Colon, huic sensui parum quadrans, de quo mox. Eas expedire tentant* 4. Doctiss. Hosm. & Reim. *per* Interr. An Deus Filiis ejus iniquitatem ejus reservaret? Rependet ipsimet, & experietur ipse. *Putatur oppositum judicio Amicorum, qui multa disseruerant de* extirpatione prolis; *quasi insinuaretur, non tam* prolem, *quam* Patrem *puniri debere.* Pag. 561. b. *cum iisque* Cocc. *noster, observans*, signa, quibus objicientis & respondentis verba distinguantur, saepe omitti: vocemque vivam facile iis carere. *En faciem:* Deus recondit liberis nequitiem ejus. Retribueret ipsi potius, & sentiret.

vs. 22. Num pro Deo docebit *quis* scientiam*:* quod ille vermibus erosum judicat? Pag. 569. a. *In* Arabico *est*, Fiunt רמים exesum, *nempe* Cadaver. *Iste usus mirifice hic quadrat, in consimili fere argumento, Duplici ratione* Occupatio *inde concipi potest; ut vel* Amicis *tribuatur haec objectio*; An Deum docere *quis vult* scientiam; quum utique vermibus exesum judicet? *illum improbum, videlicet: vel etiam ut ipse* Jobus *eos provocet*, An pro Deo, *pro causa Dei defendenda, aliquis* Vestrum docebit scientiam; quod ipse judicet vermibus exesum, *illum quem descripsi Fortunatum? Sensus eodem redit; qui hic est;*

Fru-

Frustra exigi ut improbus ipse puniatur; quippe qui poenam utique praesentissimam in morte & putrefactione experiatur, in pulverem resolutus; & factus רמים. *Semis aliquid ex media materia subnascens, quod non poterat non* Jobo *occurrere, tanquam adversus se faciens; quodque, si causam obtineret, accurate erat resolvendum: ut in sequentibus facit; quae sine hac* objectione, *ita concepta, vix ac ne vix quidem cohaerebunt. Hic adspectus* τοῦ רמים *tanto magis forte placebit, quanto magis fluctuatur a* Doctiss. Interp. *in Celsis hisce declarandis, atque seriei* praesenti aptandis. *De eo aliquid mox sequetur.* „ Quod ad vs. 17. & seqq. affirmative accipi a nexu alienum non est, vide me. Attende an τὸ כמה hoc significare possit interrogative sicque negative? Hinc coacta sunt quae habet vs. 19. & 20. & 22.

Cap. XXII. vs. 17. Dicentes Deo, recede a nobis: & quid faciat omnipotens illis? Pag. 613. b. *Si ad* Cap. 21: 14. 15. *oculos reflexeris, cernes* ipsos improbos loquentes induci. *Quod ergo ibi,* Quid Omnipotens ut serviamus illi *&c? Id heic loci in compendium mittitur, sub eadem* Mimesi, Et, *dicentes*, Quid faceret Omnipotens illis? *Sed, inquis, sic* לנו Nobis *exarandum fuisset. Recte vero: & hoc est quod* Merc. *insinuabat*, illis, *mutata persona, positum pro* Nobis. *Instas, durum nimis, & inelegans. Imo vero molle, & multo elegantissimum.*

vs. 18. Et ille implevit domos eorum bono: consilium vero improborum procul facesset a me, Pag. 614. a. *Longe vividius pungitur* Jobus, *pulcherrima, qua usus fuerat, sententia, in ipsum retorta; q. d.* Amoliri a te voluisti suspicionem improbitatis, hac gravi Exclamatione. Ego vero te hactenus improborum gregi accensendum, ut convictus sum, ita temet convici: ac proinde meum, non tuum, exclamare, Consilium improborum procul a me facessat: atque adeo in tuum *quoque hactenus* consilium non immiscear. *Ne nimium judicetur, sequentia efficient.* „ Incommodius omnino. Dicendum sic omnino fuisset *nobis, nostras.*

vs. 20. *Profecto Nihil excisum Factio nobis adversaria: & nervum eorum depastus est ignis.* „ Illum τοῦ לא significatum non probavit.

vs. 24. 25. vs. 24. Et ponere pro pulvere aurum; & pro fili-

silice fluminium *Aurum* Ophyrium. vs. 25. Et esto Omnipotens omne aurum tuum; & argentum Vertiginum tibi. Pag. 620. a. *Novo acumine potius, quam lumine*, *Cl.* Schmid. *allusum censet ad* asseres *aut* lapides pavimentorum in aedibus, quorum *loco* aurum *sit* paviendum *prae copia*. *Hoc demum ei revera est* Aurum ponere super pulvere. *Eadem argutia seq. Colon ita explicat*, Quemadmodum alii ponere solent silices fluminum super terram, & iis pavire plateas, aediumque vestibula; sic tu Ophyrium *aurum* pones pro pavimento super terra. *Diceres* Jobum *in* Germania *habitasse*. Pag. 620. b. *Haec omnia mihi quidem vincere videntur, genuinum loci sensum isthac via erui non posse, sed omnino sequendam esse alteram illam, quam iniverunt* Grot. Codurc. Cocc. *statuentes*, Jobum *hic* deterreri ab avaritia: *& moneri*, ne aurum pluris faceret quam pulverem, & quidem Ophirium, quam lapides torrentis. *Ita disertim* Grot. *&* Codurc. *Paulo aliter adhuc* Cocc. Et abjice aurum in pulverem, noli domi ponere: Vel, sine delitescere in pulvere, ac pro terra ac luto habe, ibi illud pone, ubi Deus & natura posuere. *Posterius etiam paulo diversius, ut mox dabo. Est adspectus jucundus, gravis, solus hac sede, hac serie, dignus. Etenim* 1. *quum* Avaritiam, *&* Cupiditatem opum insatiabilem *hactenus regnasse apud* Jobum *tendat* Eliphazus, *tetenderint Amici, multo utique convenientius, ut* sacram auri famem *deponere jubeatur, quam ut* oleum *denno* camino *adfundatur, spe facta* messium *dicam an* montium aureorum? 2. *Oppositio, quae* VI. *seq. subsumitur, multo rotundior, fortiorque, si* contemtus auri *inculcetur; quam si spes ejusdem copiosissime possidendi insinuetur.* 3. *idem ex* VI. 26. *luculentissime deprendere possis; ubi phrasi* in Deo delicias agere *multum decedet, si* pollicitatio *illa* aurea *praecesserit, ut contra ei omnia accedunt, si possessiones omnes extra Deum pro nihilo habendas esse urgeatur.* 4. *Talis admonitio speciatim directa adversus nimis anxias & carnales, ut Censor autumabat, querelas, quibus* Res, opesque *suas*, eradicatas *deplorabat Noster.* 5. שית על עפר *sive* infinitive *reddatur, quod praetulerim, sive* imperative, *longe proclivius ad* praeceptum auri contemnendi, *quam ad ejusdem* possidendi promissum. *Denique* 6. *posterius Colon ad hanc faciem redditum, nativo splendet nitore: quum alio adspectu quocumque*,

que, multo fuco, eoque male haesuro, atque fimet prodituro, indigere reperiatur. „ Ego illud *Smidii* quod & ipse secutus sum simplicius esse judico, quod certe eo modo non refutabit V. D. Cum scopo Eliphasi convenit nostra interpretatio. Coacta est ipsius interpretatio, dissuaderi Jobo avaritiam qui potius Deum ponat suum aurum. Ubi praecessit monitum de resipiscentia, semper sequitur in amicorum sermonibus promissum de externa felicitate, amplissima fortuna. Unde & heic. Neque necessum est ut sequentia verba opposite accipiantur, distincta potest esse promissio de auro duplici, proprio & mystico. Vel & sic accipe: ipse Deus tibi futurus est autor illius auri.

ŷs. 9. Nam humiliabunt, ubi dixeris, Fastus: & dejectum oculis in amplitudinem vindicabit *Deus.* Pag. 626. a. Si dixeris, *ergo, si jusseris, si poposceris,* השפילו humiliabunt; curabitur ut talis superbus jaceat in pulvere. *Contra ad* preces, *&* intercessionem *tuam* gratiosissimam, *vel* pro eodem, *jam* humiliora spirante, *vel* pro aliis humilibus, adflictis, *tuamque gratiam apud Deum pro se implorantibus,* salus *erit* paratissima. „ Conferatur hoc cum meo. Utrumque nil habet incommodi neque cum nexu & scopo pugnat. Si tamen *το* גוה aliis in locis tantum in malam partem accipiatur, vertatur potius cum ipso *fastus* quam *exaltatio.*

Cap. XXIII. vs. 13. *At ille Unus; & quis avertet Eum? quod anima ejus cupit, efficit.* „ Melius ego cum aliis verto.

ŷs. 14. Nam tradit jus meum: & talia multa apud ipsum *sunt.* Pag. 642. b. *Ad illam rationem* השלים חקי *valet*, dedidit jus meum, meque vexandum, lacerandum, conculcandum condonavit, omni cura, *&* tutela mei abjecta, haud secus ac si nocentissimus essem omnium mortalium. *Dubites num* Hebraeis השלים *quoque sic venerit; sed cogita a deditione proclivem huc esse gradum: quin pensita, an non vis haec unice quadret* Ps. 7: 5. Si retribui שלמי dedenti me malum! *Nil magni alias dicet* Psaltes, *si non* Hostiliter se dedentem *&* persequentem, a se *tamen* e malis ereptum dicat. *Synonyma ergo* שלמי *&* צררי Deditor *&* Hostis meus. *Hinc rotundissima exsistit complexio.* Sed ille unus, *absolutissimus rerum Arbiter*; & quis avertet Eum *&c?* Nam tradit jus meum, *atque* optimam *meam* cau-

 sam

sam *negligit non tantum, sed abjicit; atque innocentissimum omnibus plagis exponit, vexandumque dedit.* Hariri Conf. 14. Male habeat vos Adflictio mea, quae me dedidit moerori. *Talis* deditionis, *qua* Sanctissimorum Virorum Jura *i. e.* Dignationes proculcandae donantur, *Illustria specimina percensuit Noster* Cap. 12: 17. *& seq. quorsum oculos reflectens, adjecit!* Et Talia multa cum ipso. *Illuc redeatur, ad vim hujus* Coli *perspiciendam.* „ Sed illum דה שלם significatum ignorat sermo biblicus. Satis non est hunc illum locum ad ejusmodi significatum uno alterove modo cogere, sed ad significatum aliquem figendum adferenda sunt loca ubi accipi aliter nequit. Certè recepta versio in Psalmo est simplex & emphatica.

Cap. XXIV. vs. 11. Inter pedamenta eorum meridiantur; lacus calcant, & sitiunt. Pag. 657. b. *Ut* egeni meridiari *dicantur* inter acervos frugum, *i. e.* ad meridiem usque laborare; *vel* a laborando non interspirare; sed medii diei aestum pati debere, siti arentes, & defecti. *Ita in animadvs. primis locum hunc explicandum suspicabar; jam autem video* Bolducio *idem in mentem venisse, cui* meridiari *est* stare, morari in loco aperto, sine ullo umbraculo, tempore aestus meridiei: *itemque* Vavassori, *qui* verbum Meridiandi facere *ait* ad exaggerandam immanitatem eorum, qui in summo aestu nihil laticis adspergunt sitibundis illis. „ Expendi possunt.

ỳs. 12. Eo quod vindicta nulla sit, homines gemunt; & anima caedi permissorum quiritatur: at Deus non curat sputationem *querulorum.* 659. a. *Dubitari certe nequit, si quis Veteris Linguae opes sibi repraesentet, quin forma* עיר *a* עור *latiorem tenuerit ditionem.* Jer. 15: 8. והפלתי עליה עיר ובהלות *Cl.* Cocc. *immisi* in eam vigilias & consternationes. *Ego in* Animadvs. philol. *conabar* turbationem mentis, ... *sed quid si* vindictam Divinitus exigendam *intelligamus?* „ Cur alium quaeris significatum cum receptior *ex urbe* est simplex & facilis? *sputationem* illam jam supra significatui primigenio דה תפלה detersimus ad Cap. VI. 6. 7.

ỳs. 18. 19. 20. 21. vs. 18. Levis est super facie aquarum; maledicta eorum sors in terra; non respicit viam vinearum. vs. 19. Siccitas, etiam calor, rapiunt aquas nivis: infernus, *qui* pec-

peccarunt. vs. 20. Obliviscitur ejus uterus; dulce ei putredo: amplius non memorabitur: & frangitur, ut arbor, iniquitas. vs. 21. Pascens sterilem, *quae* non parit: & viduae non benefacit. Pag. 688. a. *Quod eventurum mihi verebar, accidit. Post longos cursus, longe terra, longe mihi portus. Id tamen profectum, quod in tam scopuloso mari vel cum periculo Naufragii aliquid tentandum esse appareat. Id etiam effectum putem*, poenae vix *ullum locum relinqui; exiguum* Imprecationi: *omnia autem ex scopo tendere ad* scelera gravissima, *quae Deus* impunita *transmittat fere; quantumvis fulmina mereantur, eademque provocare videantur. Certe ad* opera nefanda tenebrarum Vf. 18. *persequenda vocat tum universa series, tum audacissimae figurae* Vf. 17. *expressae, quae aliquid dirum, detestandum, ex ipso Orco promptum, insinuant. Talis est sceleratissima libido eorum, qui ipsam Naturam quasi constuprant; quos tum* Adulteris *tanquam* turpius *adhuc* genus *connecti suspicor, honestissima* Allegoria *suscepta, quae quod nominare fas non est, conjectandum relinquit.* Levis *est* ille super facie aquarum, *in omnem libidinem profusissimus, ut* Gen. 49: 3. פחז כמים Levitas *vel potius* tumidus fervor, qualis est aquarum; *quas nulla repagula coërcent.* Maledictus eorum Ager in terra *Sic* חלקה Agrum *pulchre cum* כרם vinea *jungit* Jer. 12. 10. *Nempe* portionem agri *designat, qui* aratur *&* conseritur. Pag. 688. a. *Alia complura huc congerere nil attinet.* Maledictum fundum *arat adulter; arat presertim* ἀπελθ[illegible]σιω σαρκὸς ἑτέρας. *Idem* non respicit viam vinearum *i. e.* non colit matrimonia; non amat honesta conjugia. *Notum* Emblema vitis *in* uxore, *cujus* palmites mensam *ornant. Hinc* vineam *pro* jucundo matrimonio *nemo spernat. Posses & subtilius* viam vinearum *neglectam, nec respectam, interpretari, si restringas ad eos quibus* hortus muliebris *despicatui*, maledictum fundum arare solitis *videlicet*: Pag. 688. b. *Ad* Vf. 19. *porro observo, occasione tanti criminis opportunam inseri Gnomen, quae teterrimae libidinis aestum graviter perstringat. Trifariam applicari potest.* 1. Terra sicca, etiam calor, rapiunt aquas nivis: Orcum peccant. *Oestro hoc perciti, semper sitiunt, semper ardent, & avidissime voluptatem, in refrigerium videlicet aestus, rapientes, nunquam satiantur, ut* ציה terra arida, *&* siticulosa, *quam* חם ardor solis exurit *perpetuo*, nulla aqua, *quin ne* torrentibus *qui-*

dem

dem aquarum, מי שלג *dictis*, *ut* Cap. 6: 16. *exsaturari potest.* *Qui in* Emblematico stilo *non hospites*, *uno obtutu notabant quid hic valet* Terra sicca, *quid* ardor & aestus; *quid* aquae, *quid* aquae nivis torrentium more actae de montibus; Pag. 688. b. *Sic* Orcum peccant, *valebit*, ad Orcum peccant, *i. e.* profundissime, profligatissime: *ut* Esaj. 57: 9. Prov. 5: 5. *Vel celsiore adhuc cothurno*, *citra Ellipsin*, Orcum peccare, *erit*, ita peccare ut vivi in Orcum descendere mererentur: *sive*, ut *εὐρεῖα χαίνειν χθὼν*, terra dehiscere illis deberet. Pag. 689. a. *In* Vs. 20. turpitudo detestanda criminis *quatuor characteribus consignantur.* 1. Obliviscitur ejus uterus. *Non accedit amplius ad naturam muliebrem*, *διὰ τὰς ἄῤῥενας ἐπιθυμίας*, *atque* arvum genitale *finit* incultum, *Sic* רחם *retinet vim provulgatam*, *atque huic sedi peropportunam.* Pag. 689. a. Dulce est ei putredo. *Ita verto*, *si* verbum *sit*; *sin* subst. *rotundius adhuc habes*, dulcedo ejus putredo. *Id collatum a plurimis cum* Cap. 21: 33. *atque ob materiae affinitatem idem nunc sonare creditum.* Pag. 689. a. *Non* horto, *non* fonti, *suam mandat voluptatem*, *sed* scrobi putredinis. Non amplius memorabitur *i. e.* Non consulit posteritati; sic suumque nomen extinguit. *Ita* Ps. 83: 5. לא יזכר שם Non memoretur nomen Israelis amplius. Stirpitus exscindatur. Pag. 689. a. Frangiturque ut lignum nequitia. *Si* arborem *intelligas*, *respicietur ad* extirpationem *ejus*, nulla relicta sobole. *Possis* & Lignum *interpretari* baculum, virgam, *a* trunco praecisam, & exarefactam. Pag. 689. b. *Nescio an & ad rem faciat*, *quod* . . . עץ *apud* Arabes *etiam honeste frequentetur*, *pro* Virga Virili. Pag. 689. b. *Habeo adhuc aliud* Proverbiale, *vel* Allegoricum Arabum, *quo* Lignum, *vel* arbor, *usurpatur pro* Corpore hominis. Pag. 690. a. *Hinc non incedente figura nasceretur*, frangitque semet, ut ramum arborem, vel arborem, Nequitia; corpus *videlicet* voluptati prolem non daturae tradens. *Expressior adhuc sceleris ejusdem nota in* Vs. 21. *quem cum* praec. *arctissime nectit* participium רעה, *& quidem ita ut non modo* crimen *manifeste indicet*, *sed &* continuationem *ante descripti jam prae se ferat*; *ut sit*, pascens *quippe* sterilem quae non parit. *Non diffitebor hinc mihi suspicionem primum subnatam*, *nam* עקרה לא תלד *significantius*, *quam ut applicari queat* sterilitati per potionem medicatam in-

inductae. Pag. 690. a. Vidua *jam* Allegorica *denotat* desertum *&* viduis noctibus damnatum fundum muliebrem. *Ad* Vs. 22. *in quo rotundius quid aliis occurrere poterit, contendas velim sanctionem* Lev. 18: 23. *atque conscelerati̇ssimae libidinis cumulum, vel cum periculo vitae petitum, ex honestissimo verborum velamento transparere forte agnosces. Certe* אבירים Ps. 50: 13. *absolute* boves *signat*; *ut alibi ad* equos *extenditur.* כח Robur *simili usu cum* nervis עצבים *reperies* Prov. 5: 10. 11. *Ad haec tamen ampliare malim. Post* atrocissima *haecce* scelera, *quae* fulmina *deposcunt* maledictionis, *& praesentissimum si quae alia, supplicium,* Vs. 23. *jam subnectitur* impunitas securissima. יתן Dat, *permittit* ei *Deus*, ad securitatem usque, *talia patrare*; *quin* subnixus *veluti* fortunae indulgentia, confidenter & insolenter se effert. *Verbum* נשען *istam amplitudinem exerit* Cap. 8: 15. *Sequens*, Et oculi Ejus super viis eorum, *bifariam capere est: vel* quantumvis haec sub oculis suis quotidie perpetrari cernat; *vel*, Et tamen oculis favoris tales prosequitur, *dum iis res super vota fluunt. Pathos non abhorrens a gravissima illa perturbatione, quae Nostrum in hunc aestum disputationis implicuit, & absorpsit veluti. Redeatur ad ea quae superius circa vim phraseos discussa.* Pag. 690. b. Evehuntur, in culmine rerum eminent; *per totam vitam*: pauxillum, & non sunt *amplius*; *eo sensu quo* Cap. 21: 13. momento in Orcum atteruntur. *Idem adhuc signantius expressum*, *adjecto*, & attenuantur, atteruntur, exsuguntur כבל quum consummatio est; quum adest ipsis, ἀκμὴ, & cumulus omnium fortunarum. „Ad haec operose annotare quidquam nihil attinet, dum ipse V. D. in Praefatione monet se cupere ad omnes hos versiculos suis meliora. Sed suis his allegoriis Arabicis longe meliora quae jam exstabant, quaeque ego ex aliis compendiose excerpsi & mea feci, apud me legi quae possunt, cur non praetulit. Figurata illa *levitas super aquis* est levis. *Vinea* quae sit uxor quam est quaesita. Uxor alibi si comparatur cum *vite* an propterea vinea absolute posita erit uxor? *το oblivisci alicujus*, ubi ponitur in vitio, est vitium ejus qui obliviscitur non ejus qui vel quod oblivioni datur. Ergo ex hypothesi V. D. dici debuerat non *uterus obliviscitur ejus* sed *ipse obliviscitur uteri*.

Cap. XXV. vs. 3. Numquid est numerus turmis Ejus? & super

ſuper quem non ſtat lux Ejus? Pag. 694. b. Numquid numerus turmis Ejus? Et ſupra quem non ſtat Lux ejus? *Primus & literalis ſenſus*, innumerae in Coelo fulgent ſtellae, ſed unus omnes vincit, deletque, Sol. *Alter ſublimior*, innumerae turmae Angelorum, Sanctorumque, quae in Coelo inviſibili ut totidem aſtra fulgent, ſed increata Lux Divinitatis cunctis immenſum quantum praefulget. *Confer* Cap. 4: 17. 18. 19. *&* Cap. 15: 14. 15. 16. *& vix ambiges inde magnificentiam figurae hujus captatam.*

ỳs. 5. Ecce vel ipſa Luna, non tentorium obtinebit; & ſtellae non ſunt limpidae in oculis Ejus. Pag. 696. a. *Teneamus* יאהיל *σημάνσει* tentorium habebit, *ſtilo ſublimiore traductum ad* ſtationem, *ut ſic dicam*, Lunae, *quam in* Campo AEtheris *magnifice tenere ſolet. Eam* ſtationem obtinere *non poteſt* Luna, *ſtatim atque* Sol ſurrexit, *nedum ut* eo ſtante, *&* culmen coeli tenente, occupare *eum queat.* Pag. 697. a. *Materiam agitatam illuſtrare voluiſſe*, Lucidiſſimis aſtris in ſcenam productis, quorum tamen fulgor ſolis jubari collatus, diſpareat, nulluſque videatur: *ad quam ſimilitudinem* fulgentiſſima *quoque* Coeli inviſibilis ſidera jubare immenſo Numinis Supremi *penitus* obſcurentur, *ac velut*, nulla fiant. *Huc aperte ducit Colon poſtremum*, Et ſtellae non nitent &c. *quod* comparantis *utique*; „ Ego comparationem illam quam vult V. D. non video; neque an illud quod de *luna* dicitur dici poſſit *tabernaculum non tenere.* Tentorium certe ſemper tenet ſi vel praeſente ſole non ſplendeat. Simplicior eſt mea aliorumque interpretatio quam vide. Deinde recte ſi contuliſſet V. D. Cap. XV. 15. vidiſſet utique omnia huc redire, nequidem ipſos coelos eſſe mundos in oculis ejus.

Ad Caput XXVI. Quae commentatus eſt legi atque expendi poſſunt, praeſertim ad ỳs. 5. ſeq. & conferri cum meis non tantum quae in Commentario ad illud Caput leguntur ſed & cogitationes defaecatiores ad Behemotum & Leviatanem ubi ex hoc capite quaedam repeto vide pag. 169. ſeqq.

Cap. XXVIII. Pag. 761. b. *Statuamus magnificam hanc* perorationem *pro* Coronide *impoſitam univerſis diſputationibus, qua* Amicorum, *qua* Jobi *ipſius*, *ad inculcandum*; Tremendas plane,

ne, & nobis impervias esse vias Dei; quod ut Majestate, & Potentia, ita Sapientia quoque Solus polleat. Ad eam hominibus aditum esse praeseptum; atque ita praeclusum ut qui viscera terrae sibi patefecerint, ex imisque tenebris abditissimas ejus opes eruerint, ad sapientie thesauros, & venas multo pretiosiores, nulli queant pervenire; quantumvis ea studiosissime indagent. Nil aliud ergo relictum mortalibus, in caeca velut caligine rerum jacentibus, quam ut procul adorent, Deumque inaccessam habitare lucem agnoscentes, in Ejus timore, & fuga criminis, omnem suam sapientiam collocent: donec secula vanitatis praeterierint, atque ex praesentis vitae tentationibus, & fluctibus, in tranquillum portum invehi detur. ,, Frigida sunt haec si veram Jobi religionem quam descripsimus tenes. Vide nostra.

ỳs. 2. Ferrum e pulvere eruitur, & lapis fusilis, aes. Pag. 763. b. *Mihi alia conjectura subnata ex* Cap. 41: 15. 16. *ubi* יצוק *non est* fut *in* kal, *a* יצק, *sed* Pahul τοῦ יצק, *directe sonans* fusum, conflatumque metallum; *& quidem ἀκλητον, ut sit*, fusum quid, massa fusa. *Similiter* Cap. 29: 6. *malim*, petra fusa, in summamque duritiem metalli conflata velut. *Hinc exiftit*, & Lapis fusus, aes. *Repetas*, e terra tollitur; *ut sit periphrasis* AEris, *& allusio simul ad* Matricem *ejus*, Lapidem aerotum. ,, Videbimus an illum significatum probabit. Simplicius est quia verbum praecedit, ut & sequens hic sit verbum.

ỳs. 4. Rumpit alveum de cum pede montis; illi vero oblivioni traditi a pede, extenuantur prae homine, vagantur. Pag. 769. a. *Sed quid si a* נגרד . . traxit, נגר . . *sit* pes montis, *ejusque* basis? *Sic foret*, Eruperit torrens de cum pede montis; Ecce oblivioni dati a pede, *mortales*, prae homine attenuati fidunt deorsum, vagantes per invia & inaccessa antra &c. *Vide interim* 2. *an mavelis*, Rumpit, perrumpit, vallem de cum pede montis, *homo, aditum sibi parans ad terrae penetralia*; Ecce *autem fossores* oblivioni mandati a pede &c. *Ita* נחל Vallis, alveus, canalis, *non incommode hic designaret* canales deorsum actos, *quos sibi homo in montibus metalliferis immenso labore effodit, vel potius ferro & igne effringit.* Pag. 769. a. *Quod si* vena *ipsa* metalli, *in* monte Aurifero, *dicta fuerit* נחל canalis, alveus?

Non

Non abhorret; *& est multo commodius*, *quam* vena, *a* Latinis *usui huic dicata*. *Hae* venae metallicae *aliae* profundae, *i. e.* recta deorsum euntes; *aliae* dilatatae, *sive* per latitudinem *montis* expansae; *aliae* obliquae *&* transversae, *sunt* veri alvei, *&* canales, *in quibus* metallum *tanquam in nativo* lecto *suo continetur*; *ut appellationem* נחלים alveorum *iis inditam fuisse a Veteribus*, *plus quam verisimile censeri possit*. *Hinc jam tandem simplicissimum hocce emergeret*; perrumpit *homo* alveum, metalli pretiosi *scil. cui* מוצא scatebram *esse*. VI. 1. *dictum fuerat*; *idque* מעם נר de cum basi montis, *sursum & deorsum rimaturus*; Ecce autem oblivioni dati a pede, attenuantur, *vel* sidunt, prae homine, *ad* Inferos *&* umbram mortis, *haud secus ac* umbrae dia vagantes, *extra* solis, *&* vitae, ditionem *veluti*, *ac fines*. „ Sunt haec quidem latis ingeniosa. Sed iste τȢ נר, & τȢ נחל significatus qui *venam* torrentem facit, prorsus est ignotus. Vide me & lege adhuc commodius quid apud Cl. MICHAELIS.

Cap. XXIX. ℣s. 4. Qualis extiti in diebus Autumnitatis meae; quum Arcanum Dei esset supra tentorium meum. Pag. 801. b. *Aperiunt* Arabes, *quibus* . . . *est* carpsit, strinxit, stringendo decerpsit fructus. *Eadem vis* stringendi *sub* . . . *primaria*: *indeque* acies *dicta*, . . . *quod* stringat. *Hinc jam habes sponte* calumniam, exprobrationem, opprobrium *&c.* quo alicujus nomen stringitur, carpitur, laceratur. *Habes &* Hyemem, *si velis*, *quod* stringat, destringat *omnia*. *Sed cave tam manifestum credas*, *ac censet* Guss. *ex* Ps. 74: 17. *&* Zach. 14: 8. *esse* Hyemem; *nam alii pro* Autumno *pugnant iis ipsis locis*; *accedente* Gen. 8: 22. *ubi* Autumnus *multo commodior*, *quam* Hyems. *Id vel sine auctoritate* Dialecti *series*, *& res ipsa ibi suggeret*; *nisi jam praejudicata opinione illuc accessum sit*. *Hoc latius alibi discutiendum*. *Nunc rogo tantum an non naturalius sit*, *ubi* διχοτομία *temporum anni*, *per* קיץ וחרף, Ver *&* AEstatem *ut* Calidiora *jungi*, *itemque* Autumnum *&* Hyemem *ut frigidiora*; *quam*, *inversis vicibus*, Hyemem & Ver, *itemque*, AEstatem & Autumnum, *connecti*? *Sed hoc ipsum quoque alibi latius*. *His rationibus jam addita diserta auctoritas* Dialecti, Autumno *suum jus in perpetuum addicit*, *non exclusa tamen* Hyeme, *ubi bipartita temporum ratio eam includere jubet*. *Absolute interim positum*

tum חרף *esse* Autumnum, *docet constans usus* Arabum, *quibus magis placuit forma* . . . הריף, *ut* קציר messis. *Nomen & omen rite expressum a* Gjauh. Una tempestatum anni חריף dicta, quod in ea fructus decerpantur. Pag. 802. a. *Non dubitabis ex omnibus hisce, quin* Esaj. 18:*7. *verba* קץ *&* חרף *notent* AEstivos *&* Autumnales fructus colligere. *Cur* Bestiae *dicerentur* Hyemare *super* Arbore nuda, *& nec* folia *nec* fructus *praebente, equidem non intelligo. Vicisse videor* חֹרֶף *esse vel* Autumnum, *vel* Autumnitatem, *tum* tempus anni *signans*, *tum* fructus illo tempore carpi solitos. Pag. 803. a. Adolescentiae, *vel potius* Juventuti *jam* maturae, *qua* Jobus *tanquam* Vir juvenis, *in* pleno vigore aetatis, *nec non* fortunae, Domum *vidit* florentissimam; *&* numerosa *mox* prole beatam. „ Sed iste significatus *strinxit* in lingua biblica est ignotus, pariter derivati significatus *autumnus. Hiemem* certe, an significet non constat, nec video qui vi originationis significare possit. Dum verbum dicit *exprobravit*, *probris afficit*, recte *hiems* sic dicitur quasi terrae probrum quia eam quasi dehonestat & probro afficit, dum quidquid tempore aestivo in ea germinarat & floruerat, vitiatur & corrumpitur, vide STOCKIUM. Assurgo nunc GUSSETIO qui significatum illum *juventutis* qui uno hoc in loco compareat jubet exulare, & interpretatur: *sicut fuit in diebus opprobrii mei* h. e. quando quodam tempore, cujus singulari modo memini, tenebrae & dies opprobrii advenerant mihi, quibusdam hominibus rebusve ad me obscurandum ac deturpandum paratis. Certe versus sequens omnino favet huic sententiae. Et sic comparat tempus opprobrii, ex quo, causam Jobi publice agente Deo, splendidior enituit, cum praesenti opprobrio cui in hac vita succubiturus sibi omnino videtur.

Cap. XXX. ỳs. 2. Etiam vis manuum eorum ad quid mihi? Super ipsis periit decrepitus oris rictus. Pag. 825. a. *Nempe* . . . *est* leviter subrisit nudatis dentibus. *Propria-tas Thematis* Rinxit. *Inde porro* tetrico *&* austero vultu fuit. Pag. 825. *Praecisa sententia, ex genere τῶν παρακεκινδυνευμένων, cujus haec mens, & vis*; Cum decrepito rictu, homines sunt ad omnem nequitiam, & spurcitiem, profligatissimi. *Sic tandem re-*

Q ve-

voluti sumus ad senium, *quod plurimos calculos hactenus tulisse vidimus, & quidem quale est* Silicernii, *jam alterum pedem, quod dicitur, in sepulcro habentis. Colon hoc sic constitutum, prius quoque illustrat, in quo* Robur manuum eorum *omnino est* Juvenilis & Virilis aetas; *quam* ad omnem impuritatem *fuisse* projectissimam *ex ipso intelligimus, quod ne* decrepiti *quidem a* nequitia, & turpitudine, *abstinerent.* „ Quia clarum satis est ex hoc loco & Cap. 26. כלח significare *senium*, quidni sit כֶּלַח vox primigenia non derivata, vel fuerit olim verbum quod significarit *senem esse?*

ỳs. 3. In egestate, & inedia, durus silex: rodentes siccitatem; palpabilem vastitatem & evastationem. Pag. 826. a. *Secutus est* Hieron. *usum & auctoritatem* Ling. Arab. *quae* . . ערק *frequentat pro* Rodendo, & *quidem speciatim*, ossa. *Hanc vim ei innotuisse, indubium ex* Vf. 17. *ubi* ערקי *reddidit*, qui me comedunt. „ Sic pariter vertit vs. 17. *rodentia mea non cubant.* Sed longe simplicior est significatus vs. 3. *τs fugere* & sic vs. 17. ערקים erunt *arteriae* a fugiendo sic dictae quia per eas fugit sanguis a corde ad extrema. Et quaeso quid illud vs. 3. *rodere siccitatem?*

vs. 4. Carpentes halimum super virgulto; & radix genistarum panis eorum. Pag. 828. b. רתם Genistam *potius esse, quam* Juniperum, *arguit Thema* רתם, *quod pro* alligare, & jungere *extat, plane ut* . . Arabibus *est* vincire, *nomine inde ducto quod* Fruticis *hujus* virgae *ad* flexum, nexumque faciles, firmas *praestent* ligaturas. *Sed negat Doct.* de Pined *cum eoque alii bene multi, convenire* Genistam. 1 Reh. 19: 5. *ubi* Elias *dicitur sub* רתם decubuisse ad somnum capiendum; *quum* frutex *hicce* nullam *fere* umbram facere *possit. Falluntur: nam &* altius & densius *nonnunquam excrescere* Genistas, *summo* Boerhavio *facile accredatur, cujus auctoritate Orbi Erudito hoc impertitum a* Clar. Burman. *ad* Grat. Cyneg. Vf. 130. *Vel ex* Dodonaeo *scrupulus hicce decedere debuisset Viris Doctissimis, ubi productum ex* Calpurn Ecl. 1.

Cernis ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccae.

Mol-

Molle sub hirsuta latus explicuere genista:

Praesertim, quum addatur,

Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris?

„ Et ego gratus haec accepto & cum meo aliorumque *junipero* commuto.

vs. 24. Verum tamen non in Tumulum laxat manum; si in exitio Ejus illuc levamentum. Pag. 848. a. *Omnem rudentem quatienti occurrit & hoc, XVI.* profecto novi, *persentisco*, quod ad mortem deducturus sis me *&c. quod sub his plagis tandem animam sim exhalaturus.* Veruntamen non in tumulum remittat manum, siquidem in exitio ejus, illis *rebus* laxitas, *vel* liberalitas; si non adflevi duro diei *&c. &c.* Ne mori quidem velim, *quum tamen* Mors *jam* votorum *mihi* miserrima *illa* laxitas, *vel &* liberalitas, *qualis est* animam exhalare; si non commiseratione tenerrima semper prosecutus sum eos, quibus vita amara. *Portum me tenere, ex tantis fluctibus, non judico: nec facile ancoram jacturum me sentio, nisi ex* Vs. 24. *tutior forte statio aperiatur.* „ Obscurissima haec est ex Arabismo data versio. Obscuriora etiam quae ad haec commentatur. Repugnat etiam nexus sequentis versus.

vs. 25. An non fleo, sicut durus diei: & anima mea aegritudine distabescit ad modum egentis. Pag. 849. a. *Cl.* Reim. *XII. voculam* בעי *a* rad. בעה petiit *derivans*, *hoc* num. *ibidem quoque laudatus. Ei* שוע vociferatio; *&* להן *ad* viduas *&* pauperes, *videtur referendum. Praeluserat* Schmid. Pag. 849. b. *Meis etiam conjecturis ad* Vs. praec. num. *XV. XVI. expositis, parum fido. Haud liquet sane, num* בעי *sit simplex, a* בעה postulavit, *an compositum, ut* עי acervum lapidum *nunc designet, figurate, pro* tumulo, sepulcro, *vel &* mortui reliquiis, *ac* ruderibus *quasi. Parum quoque constat, quid* שוע *sonet*, clamoremne, *an* laxitatem, *&* salutem amplam; *an* liberalitatem. להן *pro* לחם *non probatur ex* Ruth. 1: 13. *ut* Drus. putabat; *est enim diversa & forma, & notio: nec apparet, quorsum sese id* pronomi*nis, si modo sit* pronomen, *referat. Proximum nobis videbatur*

Q 2 Mors

Mors *&* Domus condictionis omni vivo, *sive* sepulcrum: *quod & Cl.* Gusl. placuisse vidimus. Pag. 850. a. לא בעי Non postulatio. ישלח יד manum mittat, *sive* relaxans *eam*, permittens *ut expirem*; *sive* emittens ad feriendum, *eundem in finem*; *ut* decretorio ictu perimar. שוע laxitas, *vel* levatio gutturis praeclusi, *videtur respondere τῷ* אשוע vociferor, *formula solenni* quiritantium הֹשַׁע, a שוע leva guttur; Leva praefocationem meam. Hinc שעשע Recreavit sese lenimento gutturis oppressi, *quod* . . . Siwag *appellant* Arabes. *Ad* שעה *reduci solet*, *invita* Analogia. *Haec* Originibus servanda. Nunc tantum monebo, quicquid Hebraei *habent sub* שוע, *a* . . . *lucem foenerari*, *cujus notiones apud* Golium *sunt*, per gulam leniter demisit *cibum*, *potum &c. vel &* per eam *cibus potusque* leniter descendit. Licita fuit res *i. e.* liberaliter permissa. *Inde* Ibn Doreid. Homines ut plantae sunt: est grato virore praedita, cujus lignum amarum gustu; est & quam temnat oculus, cujus si trita fuerit pars inde decerpta. Pag. 850. b. *Inde non invenusto lusu exsisteret*, Mori interim non postulo, si Mortis illa maceratio foedissima, sit verum gutturis oppressi lenimen; & non potius destructio miserabilis naturae. Miserum est, quod peto, beneficium, misero haud sane invidendum. *A* Jobi *adfictu forte non longe absumus*; *qui ita* mortem *optabat*, *omnibus Dei plagis confectus*, *ut tamen* miserrimum *esse*, *quod optaret*, *simul inculcatum iverit. Huc provecto aliud adhuc periclitandum Quod ad* . . *quod adscito themate* לוֹן . . *revocari posset ad* formam infin. Pihel. *Frequentatur pro* cibo *vel* potu reficere quem *ante prandium*, *vice* jentaculi, *quod* . . להנה *vocitatur*. *Hinc* Allegoria *continuata oriretur*; Verumtamen non postulo me conficiat, peremtoria manu missa, si in maceratione Ejus ferali est refectio gutturi levando. *Grande Schema*, *ad grande* Pathos, *conceptum ab eo*, *qui se* ad incitas redactum, *toties professus fuit*; *atque modo dixerat*, *se* super Turbine equitare, *& tanquam* in valtissimo profundo *huc illuc* jactari. *Recepto*, *ne quis hic erret*, Mortem *a Nostro nunc considerari ut* destructionem foedam naturae, *quae neutiquam esset* לוֹן שוע Refectio levando gutturi; *cujus tamen* amarulentum poculum sorbere *mallet*, *quam*

Ve-

Venenum illud lentum telorum Dei ebibere, *vel & ab ejuſdem* intolerando aeſtu exſorberi : *ut* Cap. 6. *loquutus fuit. Idem manebit ſenſus vocabulo* בעי *in duo membra reſoluto*, Verumtamen non in tumulum laxet manum; ſi in maceratione ejus morti. fera ſit potio guttur recreans, lenienſve. כוס המות poculum mortis *phraſi anſam praebere potuit. Haec ad locum conclamatum tentanda erant; quibus ſi quid profectum, non eſt quod de ſcopulo hocce ſuperando deſperetur.* „ *Durus ille diei & pauper* non eſt ipſe Jobus ſed alius. Iterum perperam vertit *ad modum egentis.* ל non habet illum ſignificatum.

Cap. XXXI. vs. 31. Si non dixerunt ſodales tentorii mei, quis dabit de carne ejus non ſaturatum! Pag. 875. a. *Palmam mereri videtur Cl. &* Amiciſſ. Iken. *ita in literis ad me datis convertens* : Quis dabit de carne ejus non ſatiatum? *ex* part. Niph. *vel & ex* praeter Niph. Quis dabit *qui* de carne ejus non ſit ſatiatus? *Monet*, מי יתן *non ſemper eſſe*, Utinam! *ſed etiam uſurpari pro* quis exhibebit? quis monſtrabit? *ut* Cap. 14: 4. מבשרו de carne ejus, *nempe* pecudum mactatarum ab eo, *ut* 1 Sam. 25: 11. *Senſus hicce.* Tantam fuiſſe Jobi hoſpitalitatem, ut Viri tentorii ejus dicere ex vero potuerint, Neminem daturum, monſtraturum aliquem, qui de dapibus Jobaeis non ſit ſaturatus. *Egregius conſpectus*; *quem* Scopo, *&* filo *convenientiſſimum, quivis ſentit. Ei concedat volo, quod mihi ſe ex conjectura in mentem dederat eſſe hunc* characterem Hoſpitalitatis ſummae, *quod* omnes *ejus* Domeſtici, *ad exemplum hoſpitaliſſimi patris, & Domini*, dictitare *ſoliti fuerint*,. Utinam de carne ejus non ſaturemur! *utinam* tanta Hoſpitum *adſit* frequentia, *ut nobis* ſaturitas contingere nequeat! *Mirum voti genus, ſed ex genio gentis.* „ Haud equidem repugnarem. Si legeretur לחמו. Sed durius illud eſt *de ejus carne.* Diſſimilis eſt locus 1 Sam. xxv. 11. Non legitur in eo *caro mea* ſed *mactatio mea* vel mactatum meum. Cur ſola caro heic memoratur. לחם pro omni cibo ponitur, non caro. An ſola carne ſaturati ſunt Jobi hoſpites. Fateor ſaginatum mactare, adferre Prov. ix. 2. Luc. xv. 23. aliquando ſumitur pro toto inſtructo epulo, ſed carne alicujus ſatiari pro cibis ab aliquo paratis & appoſitis eſt inſolens. Et quaeſo cur verba Jobi eadem prorſus quae Cap. xix. 22.

heic alium omnino fundent sensum quam illic: Quem locum si attendissent V. Cll. non Jobi pecudum sed ipsam Jobi carnem qua non satientur amici intellexissent.

Cap. XXXIII. vs. 9. Limpidus ego sine praevaricatione nitidus ego, nec ulla mihi pravitas. Pag. 904. a. *Erunt, venientque, qui* Hebraicam *significationem maveiint, quamdiu ipsis inhaeret,* חפף *esse* protexit, *atque inde* חוף portum *dictum, nec non* Thalamum חפה. *Percipias ex Magni nostri* Cocc. *fluctuatione.* Pag. 904. a. *Nego ergo* חפף *esse* protexit, *atque ex uno loco* Deut. 33: 12. *istam notionem elici vel potuisse, vel debuisse, pernego.* חפף *ibi* secundariam *vim exerit a* חפה Thalamo, *Themati subjectam, ut infinita talia in Linguis subnascuntur. Hinc existit,* Thalamum nuptialem expandens super eo. *Confer.* Esaj. 4: 5. *Sed unde jam* חפה Thalamus? *A* protegendo *ajunt. Atqui* חפף *non est* Tegere, *sed concinentibus amicissime* Chald. Syr. *&* Arab. Dialectis, fricando polire, lavare, tergere, mundare, comere, ornare *&c. &c. Ecquid* Thalamus *hinc satis ridet? Restat* Portus חוף, *a* protectione navium *inquiunt. Forte? si notio satis firma esset. Bene interim* Cocc. videtur latius patere, & esse *παράλιον, παραθαλάσσιον αἰγιαλὸν* Litus, ab attritu, *&* alluvione. Veteres Hebraei pro fricare, pectere, tergere, hoc verbo utuntur. *Intelligit* Thalmudicos: *quibus jam adjungas licet vere sic dictos* veteres Hebraeos, *quorum Lingua non cognoscitur ex incertis interpretum conjecturis, & inductionibus, sed ex certa, & solida, auctoritate* Dialectorum, *quae cum* Hebraica *iisdem stirpibus nituntur. Consimiliter* . . . Litus, tractus litoralis, *a* . . . confricuit; *& ipsum* . . . partic. formae חופפה Margo, ora, extremitas, Litus maris; *quasi dicas* partem fricantem, quaeque *perpetuo* fricatur. *Venustissime ergo heic loci,* Frictus, tersus, lotus, emundatus, comtus ego, ad nitorem merum, *qualis est* sponsi, *vel* sponsae, e Thalmo proditurae. *Una vocula praecise redditur imago* Cap. 9: 30. *posita. Adde* Cap. 29: 14. *& alia passim.*
„ Mihi non persuadet V. D. Quia non video qui alius significatus quam *τὸ obtegere* vel *protegere* adaptari possit loco Deut. xxxiii. 12. & quia *τὸ* חפה manifestissimum habet significatum *τὸ tegere* & *obtegere*, verbo necessario reddendus est significatus suus Hebraeus. Quid sit vis illa secundaria thalami quam heic exse-

exserat, V. D. non exprimit. Forte non magis illa concinna erit in hoc loco quam pars fricans pro portu. Quam simplex & facilis *τῦ thalami* & *portus* pro rei natura est a חפה *obtegere protegere* derivatio tam coacta est a *τῦ fricando polire*. Hinc teneo versionem illam, cumque ea meam commuto, quae confert cum Ps. XXXII. 1. *tectus sum quod ad peccatum meum*; quod optime convenit cum Jobi doctrina quam non negat Elihu, utpote qui Angelum mediatorem agnoscit, sed, quod sequentia docent, negat gratiam justificantem Jobo esse collatam.

℣s. 10. Ecce cruditates contra me adinvenit; reputat me in hostem sibi: Pag. 905. a. *Aliquid firmius proferre conatus est Cl. Cocc. IX. collato Themate adfini* הניע, *unde* תנויה vacillatio, nutatio. *Eandem vim* תנואה *nostro subjiciens, reddit*, Ecce vacillationes in me reperit. Pag. 905. b. *En tandem quid fida lux* Dialectorum *suggerat*. . . . Med. Vaw: נוא, *&* Je ניא, Arabibus *aeque ac* Hebraeis *est* cruda, *vel* semicocta, *fuit* caro. *Eam vim certissimam* Exod. 12: 9. *immutatum ivit Cl.* Guss. *in* lesum, luxatumve, fractura aliqua, *aut* contusione, *negans* cruditati *quippiam esse cum* ruptura. Pag. 906. a. *Ex his omnibus elucet* נא crudum *proprie*; *&* תנואה cruditatem *esse*; *quam pro* alienatione *&* exulceratione adfectus, *egregie quadrare senties* Num. 14: 34. *Nil quoque textui nostro aptius*, Ecce Cruditates contra me adinvenit; inimicum me reputat sibi. Non laesus, offensusve, me tamen ut hostem tractat, & contra me crudum, fubulceratum, alienatum, hostilem, animum, immerito ostendit. „ Ego contra existimo notionem *vacillationum* vel *nutationum* hic esse appositissimam. Et *cruditatem* illam prorsus esse crudam in scripturae locis omnibus ubi occurrit vel verbum, vel hoc derivatum תניא, quod praeter hunc locum semel tantum occurrit Num. XIV. 34. An sibi Deus tribuit cruditatem? vel haec eadem est cum alienatione & exulceratione affectus? sic Num. XXX. 6. non tantum Pater qui irritum facit votum filiae *facit illud crudum* sed Deus Ps. XXXIII. 10. *crudas facit cogitationes populorum*. Cum *Stockio* teneo *τῦ* נוא & הניא notionem primigeniam esse *immutandi*, *dimovendi*, hinc *frangendi*, *irritum faciendi*, quae notio optime convenit & verbo

in

in locis omnibus & derivato, cui inest notio dimotionis. Quare locus unicus Exod. XII. qui alium significatum admittere potest (imo forte debet, de quo vide *Gussetium* in Comment. L. H.) novum hunc significatum non evincit. Et si vel obtineret insolitus ille significatus in loco illo Exod. XII. Certe non obtinet in hoc nostro.

Cap. XXXIV. vs. 17. An nasum osor judicii frenabit? & num Justum praepotentem condemnabis? Pag. 945. a. *Apposita formula* חבש אף Ligavit, frenavit Nasum, *pro* iram compressit. *Ita* Esaj. 48: 9 חטם אף Refrenavit nasum, *ut* . . . *Posses* Fastum, *vel* superbos spiritus, addere, *quos item sub* Naso *figurari, alibi ostensum. Jubetur ergo* ferocem *illum* impetum refrenare *Noster*, *quod adversus Deum disputandi*, modestiae *non solum*, *sed & rationis*, *ac religionis*, *fines*, *supergressus fuerat*. *Hoc indirecte prolatum*, *ad* Jobum *mox dirigitur*, *adjecto*, Rogo num te deceat Justum potentem improbitatis reum facere? ,, Illum τȣ חבש significatum non probat & mira est illa *nasi frenatio*. An τȣ חטם *differre*, *protrahere* & τȣ חבש *ligare abligare* significatus est nunc idemque?

ẏs. 23. *Nam non imponit cuiquam amplius*; quam, *eundum est ad Deum in Judicium.* ,, Vide mea rectius cum nexu cohaerentia.

ẏs. 33. Ecce de Tuo rependit illud; namque subulceratus es: quod quidem tu eligis, & non Ego: ecquid nosti? loquere. Pag. 966 a. Ecce dixit *Jobus*; Accepi, cujus pignus haud cepi; *qui dicere debuisset*, praeter id quod video Tu doce me, *O Deus*! *&c. Attamen cum modestius*, *hinc*, *tum pungentius illinc*, *si directe* Elihuus *hac ejaculatione*, *&* Apostrophe *ad Deum*, *ostenderit*, *quid paratus esset omni tempore* confiteri; *nempe* se vivere infinitis peccatis obnoxium, notis *partim*, *partim* ignotis, *atque nunquam propterea commissurum*, *ut cum Deo disceptet*, *&c. sed semper* aram Misericordiae *pro unico* Asylo *habiturum*. *Hoc adspectu*, *connexuque*, *magis mihi arridere incipit explicatio ad* Vs. *praec. dubitanter proposita*: *&* probabilitatis gradu *auctus*, *obscurissimis hisce locis aliquid lucis illatum confido*. Pag. 968. a. *Nempe omnino jam tandem cogi*, *effi*[illegible] *debet*, *quod* VI. 11. *susceperum*: Deum sua cuique facta rependere, *&* neminem aliquid poenae aut mali,

per

per iram Ejus, subire, nisi commeruerit. *Huc collineans ita jaculor.* Ecce quod a Te *factum*, id ipsum rependit; quando quidem exulcerato es animo: quod quidem Tu eligis, non sane Ego *&c.* מעמך 1. *pro* אשר מעמך *venuste pro* id quod de tecum, *a te*, *a tua parte*, ortum, tuum crimen, facinusque. *Dixere nempe* עמו cum eo culpa, *pro* penes eum; *&* מעמו de cum eo culpa extitit. *Eleganter* 2. adf. *in* ישלמנה *respondet* τῷ מעמך, *ut* neutrum *accepto*: *cui* foeminina Hebraeorum *fere dicata*. *In* תמאס *allusum suspicor ad* Cap. 10: 3. *ubi vertimus*, subulcerato aefectu spernis opus manuum tuarum. *Imo vero*, *inquit*, Tu subulcerato adfectu *obmurmuras Deo*, *&c. Dari etiam posset simplicius*, Quia spernis *facere*, *quod ego feci*, peccata nota & ignota confiteri. *Ad utrumque se praebet*, Namque tu eligis *hoc*, & non ego. Tibi placet via contumaciae: mihi submissionis, qua virgam vel praeveniam, vel avertam. *Postrema*, Et quid nosti? loquere: *vel* & quid nosti loqui? *eandem fundunt sententiam*, *qua* Jobus *ita provocatur ad respondendum*, *ut simul insinuetur*, *Eum* convictum *saltem teneri* contumaciae, *quae vel sola has* plagas *concitare valuerit*. *Non dico omnem mihi dubitationem diremtam*, *quod singula cola*; *non tamen longe a* Scopo *abesse possumus*: *quem felicior manus recta feriet*. „ Quam longe sint haec quaesita & nihil cum nexu convenientia judicet Lector, & mea conferat quae planiora puto.

ỳs. 36. Adduco, quo exploretur Jobus ad purum putum; super responsionibus instar hominum vanissimorum. Pag. 970. a. *Saniora Doct.* Tigur. Haec autem in medio adfero, ut res Jobi discutiantur exactissime, quo paratae sint responsiones contra pravos homines. *Accipere* אבי *pro* אביא adduco: *per* Aphaeresi. *elementi alibi quoque omissi in talibus formis. Quin in hoc ipso verbo* Mich. 1: 15. 1 Reg. 21: 21. 29. Jer. 19: 15. *&* 39: 16. *Non infirmo ergo stat talo*. עד נצח exactissime, *valde ad Rem simul*, *& Linguam*. *De eo mox plura*. „ Recte quod nunc illam aphaeresin agnoscat nec opus esse judicet hinc arguere hodiernum linguae Hebraeae defectum quod fecerat in defectibus suis L. H. & quidem primo loco novum verbum ex Arabia in solum Hebraeum introducens. Sed vide me ad h. ỳ.

Cap. XXXVI. vs. 2. Coronare mihi pauca, & indicabo

 tibi;

quia adhuc pro Deo sermones. Pag. 994. a. *Occurrit mihi vim Hebraicam pressius retinenti*, Coronam dare mihi pauxillulum, *&c. Audientiam* Coronae *sibi continuari peteret orator. Quid si sit?* Coronare mihi paucis: *pro*, paucis finem faciam, atque ita quae disserui coronabo velut. *Fortius* pauca: *Infin. pro* Fut. *eleg. Dubitari nequit, quin, vigente* Lingua Hebraea, *Radix* כתר Coronavit *multis magnisque metaphoris fuerit insignita. Ejus* Origo *haud promta. Quid heic loci figuratim sit, inde cum tempore eruetur.* „ Sed ad quid ista. Si non placet verbi usus Chaldaicus & Syriacus *exspectare*, accipe illum *cingere*, *circumdare*, & heic audiendi causa. Venit equidem verbum in pihel pro *cingere ambire* hostiliter Jud. xx. 43. Ps. xxii. 13. Sed illud colligitur ex connexis. Verbum per se dicit modo *cingere ambire* sicut in hiphil notionem habet & hostiliter & amice cingendi Hab. i. 4. Ps. cxlii. 8. Prov. xiv. 18. Quidni & sic in pihel. Et quid si velit se adhuc *paulisper circumstari* velut oraculum quoddam, vide eo sensu adhibitum verbum de *scientia* Ps. cxlii. 8. quamvis ibi sit in hiphil. Quae vero ratio quod olim Hebraeum כתר significarit *coronavit*? quidni *corona* כֶּתֶר dicatur quod caput ambit.

ỳs. 21. *Cave ne respicias ad vanitatem; nam super hoc Electus fueris ex adflictione.* „ Simplicior est mea versio quod ad nexum. Si velis subaudi ex versu antecedente *elegisti*, *praeoptasti illam* mortem *prae afflictione* tua.

ỳs. 23. Ecce Deus sublimat robore suo; & quis sicut ille stringens plagis? Pag. 1022. a. *Thema* מרה *in* Origine *sonat* perstrinxit, obstrigillavit, *unde secundariam notionem* rebellandi *ductam, alibi late deductum.* Pag. 1022. b. *Fieri nequit, si* מורה *hic* Dominum, *&* Moderatorem, *signet, quin simul ad* flagellum, *quo res mundi temperantur, sit allusum. Versus sequens id satis plausibile reddit.* „ Sed quidni tenetur notio receptissima *Doctoris*?

Cap. XXXVIII. vs. 36. Quis posuit in jactibus vagis sapientiam? aut quis dedit phaenomeno distinctam intelligentiam? Pag. 1100. a. *Nempe* טחות Renes *etiam* Ps. 51: 8. *occurrunt*; *a* טוח illevit: *quod* adipe *sint* illiti *&* obducti: *&* שכוי

A

שכוי *a* rad. שכה prospexit, imaginatus est, *dat* משכית picturam; *unde* משכיות לבב imaginationes cordis. *Ipsumque* cor שכוי *a* pictura *seu* delineatione conceptum *inquit* Merc. *Consimiliter* Mentem *dat* Cocc. *in qua* facultas concipiendi rerum imagines. *In* Hieroz. *ὁ πάνυ haec* clara *&* aperta *pronunciat. Nempe locum extra seriem tractabat*; *&* cohaerentiae *cura erat exsolutus. Eam vellem a Viris Doctiss. explanatam: nam hactenus quidem magnae salebrae.* Pag. 1101. b. טחות *ex hoc ipso fonte reddere est* jactus temerarii, vagationes, errores, *vel si malis*, res errantes, vagantes, huc illuc latae, *&* impulsae. *Indolem verbi percipias ex illo* Harir. Conf. 1. p. 2. errare fecerant me vagabundum casus temerarii fortunae. *Adduxi ibi p.* 4. Schol. Dicitur טוח de sagitta, quum nullo certo fine exit, atque a scopo suo divagatur. *Idem significatus obtinet sub* טחוח, *vel* טחו . . . vagari, abire sine certa lege, & via, quo pedes tulerint. *Item* jaculari temere, *non certa manu*, *prout fors tulerit. Hoc &* . . רחו *scribitur*; Pag. 1102. a. *Inde emergit tandem hic adspectus*, *seriei congruentissimus*, Quis posuit in jactibus vagis *fulminum*, *tonitruorum*, *imbrium*, Sapientiam, solidam *&* firmam rationem, *ac* legem motus? & quis dedit Φαινομενῳ, rebus subito apparentibus, & mox disparentibus, intelligentiam? *ut ita agant*, *ac si* intelligentia *pollerent*, *scirentque* quando, quomodo, *&* quousque, vires *suas* exerere *debeant. Perseveratur hoc pacto in Figura praemissa*; *qua* fulmina *ut* Apparitores Dei, *&* ministri dicto audientissimi, *introducebantur. In utroque Colo pulchrum* Oxymorum *ita existeret*: טחות errationes vagae *nihil minus videntur recipere quam* חכמה solidam, certamque, agendi rationem. *Similiter* שכוי imaginatio, phantasia, *vel* apparens subito in aëre res aliqua, *&* בינה distincta perceptio intelligentiae, *toto coelo videntur distare. Deus tamen haec consociare valuit. In* Ps. 51: 8. *aliquid profundius latet. Habes & ibi in vicinia positas voces* טחות *&* חכמה. *Vide an placere queat*, Ecce veritatem, *& firmitatem*, vis in mediis erroribus; lapsibus, vagationibus: in obstructo Sapientiam mihi notam facis: *i. e.* ipsos lapsus convertis in remedia lapsuum; & quum obstructum mihi cor, *per peccatum*, eo ipso me sapientiam doces; *atque quantum in eo sit veneni*, *experiundum mihi praebes. Sunt*

 con-

conjecturae, *quae vel sponte defluent*, *si radice careant*; *vel tempore robur*, *& maturitatem*, *acquirent*. „ Fateor nexum si spectas versio non abludit. Quae sit quod ad nexum difficultas me vide, & quem nexum adsignem retento recepto significatu, quem utrumque heic tantopere migrare ac facit V. D. prorsus est paradoxum. Prius certe idem vel prorsus analogum quid significare debet ac Ps. LI. 8. Non video quid illic aliter quam *renes* vel *praecordia* denotet. Nihil haeret *illa veritas in vagis era rationibus* qua *errationibus*. Et secundum oportet habere eundum vel prorsus similem significatum quem cognatum משׂכיות Ps. LXXIII. 7. Prov. XVIII. 11. An ipse Deus fulminum jactus a se sapientissime directos vocet *vagos*?

Cap. XXXIX. vs. 16. Ala Struthionum exultabunda: estne penna pietaticultrix, & pluma? Pag. 1119. b. *En adhuc argutiusculum aliquid. Ubi de* Ave *sermo est*, *vix fieri potest*, *ut* חסידה *non lusum aliquem in* Ciconiam pietaticultricem *ferat*. *Suspicor itaque sub* penna pia, & pluma, *simul adumbrari illam vere* maternam indolem, *quae in* Ciconiis *admirabiliter relucet*, *cujus contrarium plane in* Struthionibus *deprenditur*, *inde* תחמס Tachmas *dictis apud* Hebraeos, *a* חמס crudus, crudelis, impius, injuriosus, violentus fuit: *ut apud* Arabes . . . *ab* injustitia *item*, *&* impietate: *quae ex* Hieroz. 2. *p.* 233. *abunde constare poterunt Via explicationis*, *quam tenuimus*, *perfacilem praebet connexum*. „ *Is huc redit*: Tune porro is es qui Miraculum illud naturae, Alitem bestiam, desertorum vestrorum clamosam habitatricem, ista mobilissima Ala donasti; qua per pulverem, & arenas, grandibus Ciconiarum pennis, plumisque, vestita se infert; non volans tamen, sed currens: impietate in ova, & pullos, tam infamis, quam Ciconiae per pietatem sunt nobilitatae. „ Argutiusculum illud, facit maternam Ciconiae pietatem in pennis residere.

℣s. 27. Cum concussione & fremitu haurit terram: nec credit, quod vox tubae sit. Pag. 1133. b. Non credit *&c. ita sese ad cursum incitat*, *ut* auribus non fidens, *at* credens, oculis *propius* rem inspicere *velle videatur*. *Eodem adspectu possis*, Non securus est, quod vox sit Tubae. *Audit tubam*, *sed* metuit, *ne falsa ludatur imagine vocis*: *vadit ergo*, *&* cominus fidem sibi fa-

facere geſtit praelii eminus denunciati. *Ad* praelium, *haud ſecus atque* ad Epulas, irrequieta, *&* ſui vix ſecura, exultatione, *pergit.* „ Verbum per ſe hoc non dicit. Verba per ſe non ſignificant id quod rei per verba ſignificatae nonnunquam eſt conſequens.

ỳs. 35. An ſat multum apud Omnipotentem caſtigationis? Redargutor Numinis reſpondeat ad hocce. Pag. 1137. a. יסור Convictio, *ſive*, evictio *adverſae partis*, *ad os ei obturandum*, *ſtatim in hac ſerie ſua ſe luce inſinuat.* חרב *eſt formula ſolennis*, *qua* multum tibi, *dicebant*, *pro* ſufficit, ſat eſt. *Ita* Deut. 1: 6. רב לכם Multum vobis ſedere *&c.* *pro* ſatis ſuperque ſediſtis *&c.* *Iterum* Deut. 2: 2. Num. 16: 7. Eſech. 44: 6. *Pari modo dixerunt*, רב לי Multitudo mihi, *vel* עמי penes me: *pro* ſatis ſuperque adeſt mihi. *Hinc jam*, An multitudo penes Omniſufficientem evictionis? An ſatis ſuperque te conviciſſe videor tuae imbecillitatis: „ Sic חרב & יסור videntur debuiſſe conjungi quod non fit. Vide me.

Quod ſpectat V. D. Commentationem de *Behemotho* & *Leviathane.* Si vel in verſione & expoſitione aliis Interpretibus rectiora quaedam habeat, difficultates praecipuae quae premunt omnem Belluam qualemcunque de genere Animalium die ſexto Creationis productorum, premunt & illas quas V. D. nobis ſtitit. Illud rectè habet, quod intellexerit liquidam Orationem inferre non tantum difficultatem ſed prorſus impoſſibilitatem pugnae cum Behemoto & Leviathane cum victoria de illis vel illo conjunctae. Sed nodum inde nexum, quem ſat ſcio inſolubilem eſſe per omnem quae hactenus obtinuit hypotheſin, Vir Erudit. ſolvit per monomachiam, quod nempe impoſſibile ſit Jobo vel cuicunque homini *ſolum cum ſolo*, *collato pede*, *cominus non eminus cum Behemotho & Leviathane congredi & monſtrum ſuperare.* Verum enim vero (a) ſic id, in quod omnis vis ſermonis recumbit, in tam longa oratione ne vel ſemel eſſet expreſſum, nempe *το ſolum cum ſolo* &c. (b) quod verbo dici potuerat dictum fuiſſet longo gravique ſermone. Si quis homo indicare voluerit unum ſolum hominem aequo marte non eminus ſed cominus, collato pede, non auſurum, niſi Deus ipſi animum

& robur insolitum prorsus miraculosè addat, aggredi Leonem, Tigrem, Ursum, Lupum, an id significaturus prolixam dabit descriptionem illarum Belluarum decurrentem per membra earum tantum non omnia? ? (c) non unus saltem sed plures qui sibi ab hoc monstro quocum non ausint congredi metuendum habent commemorantur Cap. XLI. 16. 25. (d) Non sola enumerantur arma quibus pugnatur *cominus* sed & quibus *eminus*, arcus, sagitta, funda *&*. (e) hyperbolas, quae si vel in scripturis umquam obtinerent strictè dictae, in hoc argumento obtinere possunt nullae, quod nos demonstramus, non evitat V. D. An Deus ad suam demonstrandam Potentiam apud antagonistam suum, qualis heic Jobus concipitur, sermone utatur grandiloquo plus dicente quam revera est in subjecto de quo dicitur? (f) Etiam quod ad Dei scopum in posteriore hoc Alloquio, & nexum Behemoti & Leviathanis describendi cum prooemio Divino Cap. XL. ℣s. 1-10. quem scopum & quem nexum etiam Cap. XLI. ℣s. 2. cum reliquo sermone nos adseruimus, laborat V. Cl. Commentatio.

Quod ad Philosophiam illam divinam Cap. XXXVIII. & XXXIX. veram Hypothesin non satis attigit. Haec lego Pag. 1086. b. *Nam in omnibus hisce interrogationibus non agitur de* cognitione fidei: *ne* naturali *quidem*, *quae* causas secundas *indagat: sed illam quae ad* causas primas *adscendit*, *&* Arbitrium *efficit* Dominumque *universi*. „ Quamvis non satis sibi constet. Pag. 1094. b. *Sensus hinc talis enitescit*. Considera mihi vel protrita illa, & quae omnibus exploratissima habentur, pluviam, rorem, glaciem, pruinam, quem illis patrem, quam matrem assignas? *Percurre omnes causas secundas*, *unde haec* Meteora *gigni ajunt Philosophi*, *& senties te* proximam Originem *vel unius* guttulae *non posse indicare*. *Res certa*, *& evidens*, *quam enucleabunt*, *qui* sinum Naturae rimando *sentiunt*, *se quo longius in causarum secundarum vestigationem procedunt*, *eo clarius convinci de* Infinitate Operum Dei, *quae vel in* guttula *admirabiliter relucet*. „ Vera clavis est in his interrogationibus converti *το intelligere ista*, *& το posse facere ista*, *aeternum esse* &c. Vide me ad illam Philosophiam.

F I N I S.

CORRIGENDA.

IN Diſſertatione. pag. 2. lin. 29. Lege textum. lin. 37. Connexam. pag. 12. lin. 16. meditationes. pag. 14. lin. 30. reſpiramus. p. 24. l. 22. ſunt. p. 25. l. 17. Vocem latinam. p. 50. l. 21. deleatur *connect.* p. 65. l. 2. commixtiones. p. 65. l. 30. exanimando. In ipſo Commentario. pag. 64. lin. 31. ut purus ſit. p. 70. l. 11. Tympanum. p. 97. l. 22. recondidi. p. 106. l. 5. aquas. p. 109. l. 7. opitulatore. p. 114. l. 9. removet. p. 117. l. 36. ulterius removentur. p. 127. l. 8. inculcat. p. 132. l. 6. creaturae. pag. 143. l. 30. *amoenitates.* p. 16. l. 36. *αγνισμω.* p. 166. l. 1. majus. p. 166. l. 27. eſſe. p. 168. l. 14. celſi. p. 168. l. 22. *αρχων.* p. 180. l. 29. viſo. p. 187. l. 21. poſt *ambiviſſe* ſubint. nempe non uno brachio. Leviora per ſe corrigat B. L.

NB. Tractatui huic meo adnecto Catalogum Scriptorum meorum cum editorum cum ſub prelo ſudantium cum ad prelum paratorum, & Deo volente edendorum; ab his illis id rogatus, & ut Lector, ſi vel in editis meis vel edendis ſibi quem uſum polliceri poſſit, de iis ſit monitus.

Ca-

Catalogus Scriptorum Auctoris cum editorum cum ineditorum.

ANTONIUS DRIESSEN,

S. Theologiae Doctor, Professor Ord. & Concionator Academicus, Anno superioris Seculi 83. Martii 12mo. natus est *Sittardiae* quae Civitas est in Ducatu Juliacensi. Excusso scholarum Trivialium pulvere; Studii Philologici, Philosophici & Theologici Tyrocinia posuit in Gymnasio Sylva-Ducensi. Quae Studia deinceps magis excoluit in Academiis, primum Franequerana, deinde Leidensi. Vocatus fuit ad Munus Ecclesiasticum, obeundum: in Pago *Eysden* sito ad Mosam prope Trajectum ad Mosem Anno 4. hujus Seculi: in Ecclesia *Mosa Trajectina* A. 9.: in Ecclesia Rheno-Trajectina A. 11.: Professionem Theologicam & Munus Concionatoris Academici in Academia Groningo Omlandica, habita inaugurali Oratione de Philadelphia, quae & belgica facta est, auspicatus fuit A. 17. postquam eodem Anno in Academia Rheno-Trajectina ornatus fuisset Titulo Doctoris Theologi.

A. Scripta quae cum publico communicavit sunt quae sequuntur.

1. Evangelische Zedekunde of verhandeling van de Christelyke deugden. Te Utrecht by Broedelet, in 8vo.

2. Meditationes in S. Apocalypsin. Ultrajecti apud *Van de Water*, in 4to. Quae & belgice prostant. Waar by te voegen zijn enige Schriften gewisselt met den Heer Hardman over de Hypothesen waar te nemen in de verklaring der Openbaring.

3. Diatribe de Principiis & Legibus Theologiae Propheticae, Typicae, Allegoricae Emblematicae &c. Ultrajecti apud *van de Water* in 4to.

4. Over alle de Wonderwerken van Jesus/ zijnde de Letterlyke zin verklaard/ de Waarheid der geschiedenis betoogt / en de Geestelyke beduidenis nagespoort. Utrecht by van Poolzum, in 4to.

5 Scripta Controversa reciprocata cum Viris Cl. H. T. VAN DEN HONERT & I. WITTICHIO super *Wittichii* de Natura Dei Disputatione Spinosismi suspecta: (A.) Epistola ad Cl. VAN DEN HONERT qua petitur solutio difficultatum motarum adversus disputationem I. WITTICHII de Natura Dei a Cl. *Honerto* Laudatam. (B.) Dissertatio *Disputationi* Wittichianae opposita, adserens Dei Potentiam qua Materiam produxit ex nihilo; & repraesentationis Honertianae Excussio. (C.) Responsionum Wittichianarum Refutatio. (D.) Refutatio Altera. (E.) Alloquium

ad

ad Lectorem Orthodoxum adversus Repraesentationem Cl. HONERTI Alteram. (F.) Responsio ad WITTICHII Alloquium ad Lectorem Philosophum. (G.) Responsio ad Vindicationem G. R. V. (H.) Alloquium ad Ecclesiam Belgicam in Brevi tabella Disputationem Wittichii exhibens. (I.) Beter Berigt gegeven aan den Nederlandschen Lezer tegen den Brief van den Heer van den HONERT, met ene duidelijke aanwijzinge van de gevaarlijke gronden en redeneringen, ten opzigt van de Almacht, Geestelijkheid en Eenheid van het Goddelijke Wezen, voorkomende in het Dispuit van J. WITTICHIUS over de Natuur van God. (K.) Aanspraak aan de Nederlantsche Kerk verdedigd tegen Gr. V. Groningae apud *Spandaw*, in 4to.

6. Ontwerp over het aangenomen gevoelen der Kerk, en dat van den Heer Professor ROEL, betreffende de eeuwige Geboorte des Zoons uit den Vader, opgesteld op het Verzoek der Christelijke Synode van Stad en Lande. Te Groningen by Spandaw, in 4to.

Sylloge Dissertationum Academicarum. Groningae apud *Spandaw*, in 4to.

7. Kerkredenen over verscheide Texten, gedrukt te Groningen by verscheiden Boekdrukkers, welke naderhand te zamen herdrukt zijn, te Amsterdam by *Stockmans*, in 4to.

8. Meditationes in undecim priora capita Geneseos. Groningae apud *van Velsen*, in 4to.

9. Manuductio ad Catechesin Heidelbergensem publice ventilata. Groningae apud *van Velsen*, in 4to.

10. Brieven gewisselt met den Heer Dr. van THUYNEN over de Natuur van het Zaligmakende Geloof. Te Groningen by de Wedawe Barlinkhof, in 4to.

11. Systema Theologiae Naturalis, cui Titulum fecit Lumen & Doctrina Conscientiae per Scripturam Sacram illustratae. Groningae apud *Groenewout* & *Cost*, in 4to.

12. Systema Theologiae Practicae, inscriptum Homo Vetus & Novus redactus in formam Systematis Practici. Groningae apud *Groenewout* & *Cost*, in 4to. Hic liber belgice redditus & plus quam mediam partem auctus jam sub prelo sudat, Groningae apud *Groenewout* & *Spoormaker*.

13. Systema Theologiae Revelatae, cujus Titulus: Lumen & Doctrina Scripturae Sacrae. Cui subnectuntur sequentes Tractatus: Gratia Victrix in Loco ad Rom. Cap. IX. 6-25. Orator Euangelicus: Tabula rerum in Exercito Chronologico Historico pertractandarum. Groningae apud *van Velsen* & *Cost*, in 4to. Het Tractaat Gratia Victrix, de Leer der Overwinnende Bezondere Genade, is ook in het Nederduitsch gedrukt by den zelven

S Cost,

Cost, waar agter gevoegd is ene verklaring over de zes eerste Kapittelen van den Propheet Zacharias.

14. Jesus Nascens, Patiens, Moriens, Resurgens, in Coelum adscendens & Spiritum Sanctum effundens. Groningae apud Viduam *Cost*; in 4to.

15. De Godvrugtige en staatkundige Vorst, uitgebeeld in ene verklaringe over Psal. CI. Te Groningen by Groenewout, in 4to.

16. De Geestelijke Bruidegom en Bruid, voorgesteld in ene verklaringe van het Hogelied, en de Wederkomst van Jesus den Bruidegom uit den Hemel ter voltrekkinge van het Huwelijk, met enige bygevoegde stukken daar toe behorende, t. w. de Dingen die de Wereld nog overkomen zullen voor Jesus wederkomst, in nadere bedenkingen over de H. Openbaring: Over de vier Monarchien, andere wereldlyke Ryken, en den Antichrist: over de Loop der zeven Perioden; en over de Eersten Israëls: enige Bygevoegzelen over enige versen van de Openbaring Kap. XI. XII. XXI. XXII. Vooraf gaat een nodig Voorberigt, in 't welk, onder anderen, de Aucteur, daar toe genoopt, rede geeft aan den Godvrugtigen Nederlandschen Lezer, waarom hy tegen den Heer Professor LAMPE hebbe geschreven, en duidelijk aanwyst, welk het ware gevoelen van den Heere LAMPE zy, betreffende de Eeuwige geboorte des Zoons Gods, en den uitgang van den H. Geest, en wat eigentlijk daar in ontbreke, word door den Geest der Waarheid en Zagtmoedigheid nauwkeurig aangetoond. Te gelijk een Antwoord op de Vindiciae Illustratae &c. van den Heer Prof. CREMER, in welke hy den Heer LAMPE en zig zelven verdadigt (zynde dit Antwoord een Voorloper van een uitvoeriger Latynsch Antwoord) Ook een Antwoord op den gedrukten Brief van den Heer Prof. ODE ter verdadiging van den Heer LAMPE, te Groningen by Groenewout en Spoormaker, in 4to.

17. Scripta quae spectant controversias nostri Temporis nempe (A.) Vindiciae locorum in Euangelio secundum Johannem, Filii Dei Naturalem ex Patre nativitatem, & Spiritus Sancti Naturalem a Patre Filioque Processionem, directe docentium, adversus interpretationes quas illorum dedit Vir Celeberrimus F. A. LAMPE *in suo ad Euangelium secundum Johannem Commentario, & in Disputationibus de Spiritu Sancto*. Quae ad Generationis aeternae & Processionis Spiritus S. veritatem spectant passim illustrantur & demonstrantur. Et, an quid, & quidnam, vere desideretur in Sententia Viri Clarissimi circa hoc augustissimum Mysterium, placidissime disquiritur. (B.) Vindiciae locorum Filii Dei Generationem Divinam unam modo eamque naturalem per quam est Unigenitus & simul Primogenitus, nullam Oeconomicam per quam sit Primogeni-

tus, asserentium & adversus interpretationes quas illo un dedit, Vir Celeberrimus B. S. CREMER in Exercitationibus Theologicis de Primogenito Dei Filio & in Cap. I. Epist ad Hebr. Etiam an ipsam Generationem naturalem recte satis expressisse, placide disquiritur. (C.) Mantissa ad praecedentes Vindicias de Aeterno pacis consilio & pacto Triunius Dei, quod non involvit tres Voluntates in Essentia Divina, quod pugnat Unitati, sed tres distincte & distincta Volentes, quod Unitatem & Trinitatem validissime demonstrat. (D.) Examen Sententiae: An in Essentia Divina sint Tria Entia; unum increatum & infinitum, Duo creata & finita quae cum Ente infinito per Unionem personalem eandem numero Essentiam Divinam possideant; per Unionem illam Unus Idemque numero Deus sint cum Ente illo infinito, eundem prorsus ad modum per quem Filius Mariae per unionem cum secunda Hypostasi Divina Deus est & vocatur. Quam D. PAUL. MATY Philosoph. Doctor &c. proposuit, dilucidavit, defendit; Tractatibus sequentibus: Lettre d' un Theologien a un autre Theologien sur le Mystere de la Trinite: Entretien de Lettre entre Mr. DE LA CHAPELLE & le Sr. PAUL. MATY: Apologie de la conduite & de la Doctrine de la Trinite eclaircie, Premiere, Seconde, Troisieme Partie. (E.) Divina auctoritas Codicis N. Testamenti Vindicata a strepitu Variantium Lectionum, contra nuper tentatae Amstelodami apud *VVetstenios* Novae Editionis N. T. Prologomenon Auctorem anonymum, qui est Cl. J. J. WETSTENIUS Basileensis. Et a Controversia, quando, a quibus, qua auctoritate, constitutus sit ejus Canon, contra Virum Celeberr. H. VENEMA in Acad. Franequerana S. Theol. Doctorem & Professorem Ord. &c. publica scriptione Divinam constituti Canonis N. T. Originem Ejusque Integritatem sollicitantem. Discutitur etiam sententia de Personarum in Essentia Divina IN-AEQUALITATE, per quam vera notio divinae Generationis & Processionis tollitur, Creatio infertur, & necessario vel ad Sabellianismum, vel ad Arianismum itur. (F) Hypotheses Arminianizantes V. Cl. VENEMA Detectae & Refutatae. In Praefatione respondetur ad V. Cl. Expostulationem; & ad novissimas Animadversiones Cl. ODE. Adjicitur sermo Academicus de Deo Mundi Ecclesiaeque Rectore in exposito Cap. I. Ezech. (G.) Dissertatio de Vindicis Justitiae Divinae & Satisfactionis Jesu Christi necessitate non Hypothetica sed absoluta, Opposita Tribus Disputationibus Viri Cl. B. S. CREMERI de Dei Justitiae vindicativae & misericordiae excercito nunc impossibili olim possibili; per quas Dogma Satisfactionis J. C. a qua salutis Mysterium omne pendet, laxatur. Adduntur Stricturae quaedam in Generationem Oeconomicam &c. Praefatio Controversiis his & praecedentibus om-

versiae status Jobum inter tres amicos, & inter Jobum & Elihu di-lucide indicatur. Verus Behemoth & Leviathan, eaque occasione Piscis Jonae, qui hactenus delituerunt, in Lucem protrahuntur. Praemittitur Dissertatio de veris caussis & auxiliis interpretandi Linguam Hebraeam Biblicam. Ad placidissimum Examen vocantur Viri Celeb. A. SCHULTENSII, Origenes Hebraeae, & Defectus hodierni Linguae Hebraeae &c. Radicibus omnibus quas V. D. ex Arabismo induit novo significatu redditur suus significatus Hebraeus primigenius simplex proprius universalis. Accedunt Considerationes ad novam Ejus Versionem Libri Jobi. Groningae apud *Colenbergh*.

22. Kort Onderwijs voor Kinderen en Alesit-weetenden. Groningen by Van Velsen, in 12mo.

B. Scripta autem ad Prelum parata haec sunt.

1. Commentarius in Genesios Cap XLVIII. & XLIX. Deuternomii Cap. XXIX XXXIII. In Numer. Cap. XXII. XXIII. XXIV.

2. Dilucidationes analyticae in omnes Psalmos. In Proverbia Salomonis.

3. Canticum Canticorum Tractatus hic multo fusior est quam qui ante biennium Belgice prodiit.

4. In Omnes Prophetas Majores & Minores.

5. In omnes Libros N. T. Evangelistis praemittitur Nova Harmonia Evangelica quatuor Evangelistarum, secundum exactissimam temporis seriem narrantium omnium. Et Tractatus de Prophetiis omnibus in Evangeliis & Actis allegatis, et allegandi Methodo. Curae posteriores in Apocalypsin, eaedem sunt quas ante biennium Belgice vulgavit, sed multo fusius elaboratae.

6. Opus Biblicum Analyticum Cl. van Til, emaculatum, illustratum, auctum, mutatum, a Genesi usque ad Jobum. Ulterius processum non est quia Auctor existimat Virum Clar abinde a veris Hypothesibus sicque vera Analysi plerumque aberrasse.

7. Ecclesia Reformata victrix in Historia Dogmatica vel Theologia Historica per omnia capita deducta.

8. Systema Plenum refutandi Papismi, in tres Partes distinctum. Pars I. Continet Ecclesiae Romanae corruptae Testimonia Domestica: Reformationis necessitatem et Reformatorum legitimum Institutum; *Concilium Tridentinum* Notis Historicis illustratum, et *Concilium Lateranense a Benedicto* XIII. habitum A. 1725. ad Examen revocatum. Pars II. Exhibet Papismum Hierarchicum, cui subservit Politicus et Tyrannicus; dicitur ex quo principio, qua methodo, quibus militibus, quibus armis, regnum suum propugnet et propaget. Quare agitur de Jure Canonico, de Ecclesiasticorum et Monachorum ordinibus, Jesuitis in specie; Inquisitione, teterri-

mo illo monstro: de Missionariis: de Confessione rationibus politicis subserviente. Et quia Hierarchiae et Militiae sacrae (quemadmodum Regnorum mundanorum) Nervus est nummus, dicitur de Purgatorio et indulgentiis. Pars III. Repraesentat Papismum superstitiosum et idololatricum. Pars IV. Dogmaticum vel Apostaticum.

9. Socinianismus refutatus.

10. Arminianismus refutatus et Tractatus de Anabaptistis.

11. Tractatus de Schismate nos inter & Lutheranos Fratres. Eoque sanando. Et collectanea quae spectant ad notionem Ecclesiae Graecae praesertim modernae.

12. De Enthusiasmo, Judaismo, Muhammedismo et Naturalismo.

13. Introductio ad Studium Propheticum. Quam ante complures annos scripserat Diatriben de Principiis et Legibus Theologiae Emblematicae, Allegoricae, Typicae et Propheticae, illustravit, correxit, auxit, suis multorum annorum in studio prophetico observationibus. et in justum Systema Isagogicum coegit.

14. Schola Typica, sive Explicatio Typorum omnium Literalis et Spiritualis. Accedit Jurisprudentia divina in explicitis Legibus Civilibus Hebraeorum.

15. Scriptura Sacra verax, et Graecia fallax in Vetere Historia et Chronologia. Pars I. continet Praeliminaria. Pars altera ipsam Historiam Veteris Testamenti compendiose, Chronologiam fuse per omnes Periodos V. T.

F I N I S.

By den Drukker dezes zyn onderstaande Boeken gedrukt en te bekomen.

1. D. GERDES Oratio inauguralis de Unctione, quae Fideles Docet omnia. Dicta in Templo Academico d. 21. Januar. 1736. Cum ex Duisburgensi Academia evocatus, decretum sibi munus Professionis Theologicae Ordinarium, in Academia Groning-Omlandica auspicaretur. in 4to.

2. Den eersten oorsprong der Dwalingen/ die allengskens in de Kerke ingeslopen zijn. Zo als het door den Eerw: Heer / S. van Til, is opgegeven. Een dienste der gener die haar in de H. Waarheden oeffenen/ in 8vo.

3. Antwoord van Charles Drelincourt, op den Brief/ geschreven door den Prince Ernest, Landgrave van Hessen/ aan de vijf Bedienaren des Goddelijken Woords van Parijs/ die te Charenton hunne oeffening doen. Vertaald door H. Dullart, na een Exemplaar door de hand van den Schrijver verbeterd. En nu van nieuws overgezien en vermeerdert met een Voorrede ter aanprijzinge/ door F. F. Folckers, Predikant in Groningen/ in 8vo.

4. Lusthof des Gemoeds/ bestaande in stichtelijke Gezangen/ strekkende om in de Vergaderinge (en ook in 't bezonder) tot verquikkinge der Zielen gezongen en ook gelezen te worden / in 8vo

5. De Beginzelen der Geometria of Meetkonst / verhandelende de voornaamste Propositien der Elementen van Euclides / Algebraas gedemonstreert/ en in een nette orde en geschiktheid na vervolg gesteld / door L. Fockens, Geexam. Ingenieur en Landmeter/ in 8vo.

E I N D E.

[illegible]

PROLEGOMENA
IN LIBRUM
JOBI.

SECTIO PRIMA.

Dicitur de loco quem hic Liber tenet in Sacro Codice: De Jobi nomine, Familia AEtate & Patria. Ad examen revocatur Doctiss. Kohlreisseri *sententia de Jobi aetate & Patria, exponitur Gen.* XXXVI. *& hac occasione est digressiuncula ad examen praecipuarum ejus quarumdam in Chronologia S. Hypothesium novarum.*

I. PRaemittimus breviter aliquid de loco quem hic Liber tenet in Scriptura S. de nomine Jobi, familia ejus, vitae tempore & loco. Et quidem ex Cl. CARPSOVIO, sed cum nostra ἐπικρίσει.

A. Ab antiquissimis temporibus pro diversitate Codicum, quibus hinc Synagoga, hinc Ecclesia, hinc utriusque utebantur Doctores, constat disparem quoque sedem nactum fuisse Jobum, sic ut alii ad των γραφειων classem, alii in Propheticorum ordinem redigerent, alii Mosi proximè ad latus jungentes chronologiae se rationem paulò curatius servaturos existimarent. Ita Epiphanius Lib. de Mens. & Ponderibus C. IV. T. II. opp. p. 162. vide Carpzovii introductionem ad Libros Bibl. V. T. Part. II. p. 31. 32.

B. Nomen est ab איב *Inimicitias* egit. Qui vero Arabicos Nomini quaerunt natales, non attendunt nomina & filiarum Jobi & Amicorum hebraicam agnoscere originem, ut de Jobi

appellatione perperam peregrinum suspicari liceat ortum.

C. Quod ad Jobi Familiam, AEtatem & Patriam, videntur omne probabilitatis punctum ferre Illi, qui ex Nachoris familia ortum Jobi ducunt, cui filio Tarae Abrahae fratri nati leguntur Uz, Buz, Chesed &c. Gen. XXXII. 21. 22. Terra Uz, sive Ausitis Arabiae, contermina aut vicina fuit pristinae Nachoris sedi, Charani, Urbi australis Mesopotamiae Gen. XXV. 10. XXVIII. 10. Postquam enim fatis concessit Nachor, paternas quidem incoluit sedes unus aut alter filiorum, in quibus Bethuel, Pater Rebeccae, Gen. XXIV. 15. reliqui vero in vicinas digressi terras, Buz Arabiae desertae regioni ceu Civitati Buz Nomen dedit, unde Elihu Buzites inter Jobi Amicos Job. XXXII. Uz terram Uz vel ausitidem Arabiae, natale Jobi nostri & haereditarium solum, de nomine suo appellavit; Chesed progeniem reliquit Jobo pariter vicinam, sed pro regionis conditione, & gentis ingenio rapinis adsuetam, *Chasdim* Job. I. 17. Idola quidem & ipse Nachor, cum in Chaldaeis adhuc ageret coluisse perhibetur Jos. XXIV. 22. verum qua pietate in Deum, in suos charitate, in tradenda vera relligione atque mysteriis divinis dexteritate Gen. XVIII. 19. Abrahamus erat, Fratrem germanum cum universa familia nunquam credi potest passus fuisse indolololatriae mancipatum, & a vero numine alienum, quin e Chaldaea in Mesopotamia translatum meliora edoceret, & ad eandem veri Dei fidem atque relligionem perduceret, qua ipse utebatur. Unde filio Isaaco de Fideli conjuge prospecturus, servum pronubum in Mesopotamiam ad urbem Nachoris, ablegat gentemque suam, tamquam verae Relligioni addictam a Cananitis impiis & idolatris, quos inter ipse degebat, manifesto distinguit Gen. XXIV. 3. 4. 10. Hinc in Nachoris posteris ex Buzo secundo genito fuere baracheel hujusque filius Elihu Job. XXXII. 2. Illis ipsis nominibus arguentibus, fuisse verum Deum Israelis, cum ab ipsis cum a parentibus ipsorum cultum: Unde oppido liquet Jobum Nachoris ex filio Uz pronepotem vel abnepotem fuisse, e patriarchali quidem & sancta Eberi, quamquam non ex Abrahami, stirpe, oriundum.

D. De Amicis vide assumentum Cod. Graec. Eliphas Themanites videtur ortum traxisse ex Esavo, cui filius primogenitus

tus Eliphas & ex Eliphaso nepos Theman Gen. XXXVI. 11. 15. 1 Chron. 1. 36. qui urbi quae Edumaeae orientalior est, tum etiam tractui universo nomen dedit Jer. XLIX. 7. 20. ergo fuerit pronepos Esavi, filius theman, nepos Eliphasi majoris, ab avo proprium a patre patronymicum nomen trahens. Bildad Suchites ex familia Suach qui in filiis Abrahami ex Ketura natis numeratur Gen. XXV. 2. Secundum Graecos patre ammone, avo choborc, proavo soacho prognatus, quarta ab Abrahamo generatione distans. Ipse quoque incola Arabiae desertae, quae velut communes filiis Abrahami ex Ketura sedes praebuisse Gen. L. 6. legitur. tSophar Naamatites latet. Elihu Busites, caeteris aetate quidem & authoritate neque tamen prudentia inferior, gente vel patria Buzites, ex familia ramaea, Patre Barachaele, ortus, ex eadem cum Jobo Familia, per Buzum Nachoris filium, prosapiam traxit, arcto satis consanguineitatis vinculo Jobum attingens.

Breviter ex *Carpzovio* excerpsimus quae pleraque le recte habentia nostra facimus. Id tamen monemus, quamvis recte cum receptiore sententia admittamus Jobum vivendo exitum Israelitarum ex AEgypto antevertere: ex facultatibus Jobi quae tum maxime ex pecoribus constabant: ex Sacrificiis Jobi nulli ordini alligatis: ex silentio miraculorum plurimorum in AEgypto & deserto factorum: ex Longaevitate Jobi. Nihil tamen cogit Iobi aetatem longius retro exitum ex Ægypto removere, potuit illum propius contingere. Iobum Nachoris ex filio Utz pronepotem vel abnepotem fuisse; Eliphazum Themanitam fuisse Esavi pronepotem non dicitur apodictice. Themanita non audit a Patre sed a Patria. Quod in Elihu liquet ubi *Buzites* non est nomen patronymicum, sed patriae. Dicitur enim *Filius Baracheël*, & ex familia rami. Unde colligo Eliphazum Themanitam, Bildadum Suchitam, tSopharem Naamatitem sic dici non a patre sed patria. Pater si memoratus fuisset factum fuisset eadem phrasi qua de Elihu. Sed illud recte colligitur Eliphasum dici non potuisse Themanitam, nisi post illud tempus quo terra illa a Themane Esavi nepote nomen illud traxit.

II. Cl. KOHLREIFFERUS multis propugnat Traditionem illam quae legitur ad Calcem Versionis LXX. viralis, Jo-

bum nostrum esse illum Jobab qui Gen. XXXVI. ℣s. 33. dicitur secundus illorum Regum qui in Terra Edom regnarunt vid. ℣s. 31. Unde & Patriam ejus vult esse Idumeam. Prolixus est admodum de vetusto Regno Terrae Utz quod tempora Esavi longe antevertat. Vide illum *Chronologiae* S. Capite VI. quod agit *de Regno Terrae Uz, aetate Jobi* &c. Quia Caput illud Gen. XXXVI. multis implicitum videtur difficultatibus, & ego cum Cl. KOHLREIFFERO sentio revera Reges illos Gen. XXXVI. ℣s. 31. seqq. non esse de gente Idumaea sed illam longe antevertere, contra ac Dissertatione elegantissima de antiquissima Idumaeorum Historia nuper adserere conatus fuit Celeb. Ch. B. MICHAELIS; neque tamen cum *Kohlreiffero* Jobum in *Jobabo*, qui secundum ipsum Abrahami tempora attingat, invenio; & quia nostrarum in Explicando Behemoto & Leviathane Capp. XL. & XLI. Hypothesium interest Jobi aetatem non tam longè retrotrahi, age ad hoc Caput Gen. XXXVI. moneamus pleraque attentione quod existimem non indigna.

A. Reges illos in Idumaea regnantes colloco equidem ante Esavi tempora, sed rationes quae id demonstrent aliter instruo ac *Kohlreifferus* cujus rationes non demonstrant quod erat demonstrandum.

ℵ. Sic ille: *A Ducibus propterea fit initium, quod Esavus ex illorum filiabus sibi ac filiis uxores & pellices deligendo se iis ita ingessit; ut tandem ea dignitas solis ipsius posteris maneret. Nam Ahalibama, uxor Esavi, fuit Filia Ducis Anae* ℣s. 2. 25. *Thimna autem, Pellex Eliphasi, fuit soror Ducis Lotan* ℣s. 12. conf. ℣s. 22. 29. *Nec alia, cur foeminarum istarum* ℣s. 22. 29. *fiat mentio, excogitari potest causa.* Sed haec ratio quae verè probat Duces choritas antegressos esse Duces Esavitas nondum evincit Reges illos ℣s. 31. seqq. in Idumaea regnantes antegressos esse Duces illos choritas ℣s. 20. seqq. & Duces Esavitas ℣s. 15. seqq. Illi qui Reges istos ipsi Genti ab Esavo oriundae praeficiunt, & post Duces Esavitas collocant, non negabunt tamen ducibus ex Esavo natales trahentibus ℣s. 15. seqq. anteriores esse Duces Choritas, dum Idumeai Choritas possessione illa sua expulerunt quemadmodum Israelitae Cananaeos Deut. II. 12. Neque magis procedit ratio altera, nisi aliter urgeatur: *Sed & ex I Chron. I. 51. luce meridiana clarius*

appa-

apparet, regibus de quibus ista dicuntur, successisse Duces, quorum sedes postea, ut in antecedentibus nomina & cognationes, tam ibi quam Gen. XXXVI. *recensentur.* Illi qui in hoc argumento aliter sapiunt, concedunt equidem duces hos ℣s. 40. seqq. succedere ultimo Regi demortuo, sed sicut Duces illos ℣s. 15. seqq. Regibus ℣s. 31. seqq. praeordinant, ita hos Duces ℣s. 40. seqq. Regibus subordinant. Hactenus igitur nihil evicit V. D.

ב. Aliis igitur certandum argumentis ut obtineamus Reges illos ℣s. 31. seqq. cum Ducibus illis subsequis vs. 40. seqq. antegredi & Duces illos Choritas ℣s. 20. seqq. quos possessione expulerunt Esavitae Duces ℣s. 15. seqq. & magis hinc ipsos hos Duces Esavitas. Rationes nostras hoc modo instruemus.

α. Non comparent vel Reges illi ℣s. 31. seqq. vel Duces illi ultimi ℣s. 40. seqq. in Genealogia Gentis Esaviticae, neque Gen. XXXVI. neque 1 Chron. 1. Quando vero Duces ℣s. 15. seqq. qui indubitatò sunt de stirpe Esavitica ad unum comparent omnes in Genealogia ℣s. 10. seqq. & 1 Chron. 1. ℣s. 35. quae ratio si Reges illi cum Ducibus subsequis de Esavica essent prosapia cur illorum in Genealogia utrobique nullà esset facta mentio? Merito videtur hinc inferri illos ab Esavica prole prorsus esse alios juxta cum Choritis illis ℣s. 20. seqq. & utramque gentem illam antecedere. Ipse Doct. C. B. MICHAELIS in Dissertatione elegantissima *Halae* publicè ventilata A. hujus seculi XXXII. de *antiquissima Idumaeorum* Historia ad Cap. Gen. XXXVI. qui caeteroquin hos Reges Idumaeos Esavi posteros facit post Duces Esavitas regnantes, observat pag. 38. §. XXXIII. *Prisci hujus Idumaeorum Regni instituta ab institutis aliorum populorum, & Israelitici imprimis dupliciter in diversum abiisse. Primum enim Israelitae Lege regia, quam Deus per Mosem ipsis dederat, tenebantur non alium quam Israelitica stirpe satum, regem legere Deut.* XVII. 15. *E medio fratrum tuorum constitues super te regem: non licebit super te constituere virum alienigenam, qui non fuerit frater tuus. Deinde vero Regnum Israeliticum erat haereditarium, certaeque familiae adstrictum; ita ut filii patribus, aut si filii nulli essent, fratres fratribus, & cognati cognatis succederent; quippe quod intelligitur, tum ex ejusdem Legis regiae verbis* ℣s. 20.

ut longaevus sit Rex tuus in Regno suo, ipse & filii ejus, in medio Israele; tum ex ordinaria Judaici ac Israelitici Regni praxi. Utrumque aliter se apud Idumaeos habuit. Quod enim ad prius, Idumaei non exclusserunt Peregrinos a consequendo in gentem suam Regno. Id autem colligimus ex urbibus & regionibus, in tabula illorum Regum memoratis: quas non regias sed natales ac patrias fuisse, eo est certius, quo incredibilius est, octo Reges, sibi invicem continuo succedentes, omnes ac singulos voluisse novas Regni sedes eligere. Sed quam ab omni prorsus abludit verisimilitudine, Gentem Esavicam, ad Regium fastigium evectam, in Regno electitio electuram fuisse Reges alienigenas ad unum omnes? Et quam perperam si Reges illi Idumaei sint alienigenae, interpretes illi in narratis his Regibus alienigenis Idumaeae Genti imperantibus quaerunt implementum divinae Promissionis ad Esavum non minus ac Iacobum spectantis ex utraque gente proditura ex utero Rebeccae proventuros Reges vide Gen. xxv. 23. Non minus absonum est Peregrinos illos Regnum Edomiticum vi occupasse. Succedunt sibi invicem alter post alterius mortem quae omnium expressa memoratur ℣s. 31-40. Et alieno post pulsos choritas subfuisse imperio Esavitas pugnat omnino cum loco Deut. 11. 12. qui ipsis post ejectos possessione choritas ut populi sui juris haereditatem illam adserit ad ea usque tempora uti & historia insequens ad tempora ulteriora. Uti non leguntur Regum illorum sic neque eos insequentium Ducum nomina in Genealogia Gentis Edomiticae. Unus saltem occurrit Teman ℣s. 42. cognominis illi ℣s. 11. & 15. Sed dum reliquorum nomina nulla comparent in Genealogia, justissima est suspicio nomen illud Teman priscis terrae illius possessoribus jam in usu fuisse & inde ad gentem Esavicam transiisse. Conjectat equidem Doctiss. MICHAELIS in citat. Dissert. pag. 15. §. xiv. quia tribus Esavi ex Aholibama Filiis nulla a Mose disertis quidem verbis & nominatim tribuitur soboles, quod ad hanc pertineant ultimi illi Idumaeorum principes ℣s. 40. seqq. Sed conjectatio haec ratione non est fulta, cur enim illos Esavico sanguine sati si sint magis praeteriisset in Genealogia & Moses & scriptor divinus 1 Lib. Chron. quam duces illos anteriores ℣s. 15. seqq.

8. Reges autem illos non ex gente Esavica ortos sed illam

Iam longe antegressos immediatè excipiunt Duces illi vs. 40. seqq. ultimo Regi demortuo succedentes, quod totidem verbis dicitur 1 Chron. 1. 51. Quare hi Duces non Esavitae sed alia de gente cum Regibus illis priores sunt & Ducibus Esavitis vs. 15. seqq. & Ducibus Choritis vs. 20. seqq. quos Esavitae ex Terra illa eliminarunt.

γ. Si hi Reges vs. 31. seqq. vel ex Gente Esavica ortum ducerent, vel saltem Esavi posteris in Terra illa imperassent post Duces illos vs. 15-20. cur igitur illis non fuissent immediatè subjuncti, sed interjecti illis vs. 20. seqq.

δ. Verba vs. 31. *Et hi Reges qui regnarunt in Terra Edom* immediatè respiciunt ad verba vs. 29. *Et hi Duces* subaudi ex vs. 21. *in terra Edom*; & non ad remotiora illa vs. 15.

ג. Sic autem cohaeret Mosis in hoc Capite Narratio: Descriptis Familiis & Phylarchis ex Edomo oriundis, hac occasione narrantur Familiae & Ducatus Veterum incolarum, Horitarum nempe quos sedibus illis exterminarant Edumaei, vide Deut. 11. 12. Quique hos praecesserant cum Reges cum Principes pariter hac occasione commemorantur. Praemittuntur autem illi vs. 20. seqq. quia hi immediate praecesserant Duces Esavitas ab his expulsi.

ד. Ne autem hos Reges confunderes cum recentioribus qui Num. xx. 14. & deinceps in Historia S. occurrunt, dicitur vs. 31. *Hos Reges regnasse in Terra Edom antequam Rex regnaret* לבני ישראל; non dicitur על *super* quae caeteroquin consuera est dictio ubi innuitur Rex ipsis Israelitis praefectus, sed לפני *coram, e regione, ex adverso* (quem etiam vi ל significatum esse indubium est) antequum regnaret aliquis Rex ex adverso, coram filiis Israel. Historiam lege Num. xx. 14. seqq. Caeteroquin quid attinebat heic allegare Reges in Israele tunc nondum regnasse? Quas adferunt rationes quaesitiores videntur.

ה Quod contra hos reges ante-Esavicos objicitur

α. Illos regnasse *in Terra Edom* vs. 31. Difficultatem prorsus habet nullam, dicitur illud per prolepsin; regnarunt in illa Terra quae deinceps dicta fuit *Edom*. Idem totidem verbis dicitur de Choritis ante-Esavicis quod duces fuerint in *Terra Edom*, vs. 21.

β. In

ב. In Regibus his Esavo oriundi si sint spectari implementum Promissionis divinae ex utroque Fratre nasciturοs Reges, momentum hic non habet, Promissionis divinae fidem satis liberat narratio Num. xx. 14. & insequens Historia S.

ו. Unde vero orti sint illi Reges & Duces vs. 31. sqq. non dicitur. Reges autem omnes succedanei sunt: sed duces anteriores & posteriores simultanei. Hinc quod ad Reges indicatur distincte mors & successor. Labitur hinc omnis difficultas chronologica de temporis spatio longissimo quod conficere debeant hi duces & reges si alii alios excipiant & ad gentem Esavicam spectent omnes.

ז. Cum Israel egrederetur ex Ægypto obtinebant in Edomo *Duces* vide Exod. xv. vs. 15. qui si tunc & Rex fuerit, sub illo magistratum gesserunt, vel Duces *αυτονομοι* usque ad annum dehinc quadragesimum quo Edomo *Rex* præfuit Num. xx. 14.

B. Quod autem ad ipsum illud Regnum Terrae UTZ de quo agit *Kohlreifferus*

א. Illud tam antiquum non videtur ac vult *Kohlreifferus*. Caeteroquin videtur Moses illud commemoraturus fuisse Gen. x. vel xi. Nachoris filius qui forte Principatum in illa gessit, potuit Terrae Nomen dedisse. Neque enim omnes Nachoris filii in Mesopotamia tunc haeserunt. Videtur Terra Utz longissimi fuisse Tractus, cujus Tractus partem Edumaea, deinceps sic dicta, fecit. Jerem. Thren. iv. 21. *Filia Edom* dicitur *habitare in Terra Utz.* Jerem. xxv. 20. & seqq. occurrunt Reges Utz: *omnes Reges Utz*; a quibus adhuc distinguitur Edom; sic ut tempore Jeremiae praeter Edomaeum adhuc plures habuerit. Si igitur *Jobi* Patria etiam fuerit in hac terra *Utz*, non sequitur quod fuerit in Idumaea, quae tantum pars hujus Terrae sic dictae fuit, dicta deinceps nomine Edomi. Jam vero hi Reges Gen. xxxvi. a Moses dicuntur regnasse, non in *Terra Utz*, sed in eo istius Terrae Tractu, qui *Edom* deinceps, & tempore Mosis dicebatur; qui sic a reliqua Terra *Utz* distinguitur, ut ex hoc loco, & Jer. xxv. planum est. Diserte dicit Moses, quod in Edom, i. e. in illo Tractu Terrae Utz, regnaverint.

ב. Ni-

ב. Nihil equidem intercedo quo minus Reges illi Gen. XXXVI. ſint non idololatrae, ſed forte ex Abrahamo & Nachore veri Dei Cultui addicti, cujus Veſtigium forte eſt in hac illa Nomenclatione. ipſi *Mehetabel* eſt ex אל מה היטב *quam bene fecit* DEUS! aut מהיטב אל benefaciens DEUS eſt! ita forte exclamavit parens, ea edita in lucem, quod deinde abiit in nomen ejus. Sed Jobus non eſt *Jobab* ille Rex qui fuit non Rex in Terra *Utz*, ſed in illo praeciſe tractu qui deinceps Edom dictus fuit. Neque inter nomina איוב & יבב ea eſt affinitas. Imo originem utriuſque Vocis diverſam eſſe contendit Doctiſſ. DEYLINGIUS obſ. XIII. pag. 54. 55. part. I. quem inſpice, uti & de Lacinia illa verſioni græcæ ad Calcem Jobi adſuta cujus auctoritas recte in dubium vocatur, Neque *Job* Rex dicitur Capp. I. & XLII. Quod cur factum non fuiſſet ſi Rex fuerit nulla eſt ratio, dum illi qui vere fuerunt Reges jam Gen. XXXVI. illo nomine veniunt. Deinde Nomina Amicorum Jobi, de quibus vidimus, Jobum Eſavi Pronepoti ſi non ſeriori proſapiae Coaetaneum faciunt. Niſi dicas illos Nachioris & Eſavi Filios non primos illa Nomina geſſiſſe, ſed jam a Majoribus geſta illis eſſe impoſita. Sed illi Majores non memorantur, & videtur Scriptura, indicans non tantum Nomina, ſed & familiam, reſpicere ad id, quod in Scriptura de his legitur. Jobus tantum fuit Vir Princeps quales tunc in illa Terra forſan plures fuerunt, quos inter ipſe eminuit.

ג. Reges autem illi ut ad hos redeam Gen. XXXVI. qui in Terra, Moſis tempore dicta Idumea, Regnum tenebant, potuerunt Regni ſui Limites extendere longe ultra Idumeam per omnem Terram quae Utz dicitur. Reges enim illi in Edumaea regnantes praeter hanc alias poſſediſſe Terras videntur. Quod enim ad regias illorum ſedes, Dinhaba, Avitha, Maſreca, Pahu, ignoramus, num intra an extra Idumaeam quaerendae ſint, ac Rechobotha ad Euphratem extra Idumaeam, procul dubio ſita fuit. Choritae autem mortuo Rege ultimo non occupaſſe totum Regnum Utz ſed illum modo Tractum, qui deinceps, ipſis Expulſis, Edomitis ceſſit. Alii vero occupaſſe alios Tractus, unde deinceps plures *Reges*

Utz Jerem. xxv. Uti Josephus adfirmat Idumaeam (intellige Regnum illorum Regum qui considebant in illo Tractu) olim magis extensam fuisse. Quare non sequitur, si Filia Edom habitet in Terra *Utz* quod Job praecise habitaverit in illa Terrâ quae dicitur Idumaea. Quid si in Terra Utz fuerit Locus *Utz* (alautis) specialius adhuc sic dictus, ubi forte ille *Utz* Nachoris primus fixit sedes, qui Locus deinceps toti Terrae, quo usque se Dominium illud extendebat, nomen fecit a se specialiore generalius.

Terra illa Utz (cujus Regia Sedes in Tractu deinceps Idumea dicto) etiam complexa fuit Arabiam. Sic Hieronymus & Eusebius (vide Relandi Palest. pag. 71. 72.) Petram Civitatem Arabiae ponunt in Terra Edom.

III. Hac occasione qua Kohlreisferiana haec quaedam examinamus, liceat & paulisper digredi ad inspiciendam discutiendamque hanc illam in nova Chronologia ipsius S. Hypothesin; dum singulari id Tractatione facere nihil attinet.

Doctissimus KOHLREIFFERUS in nupera sua *Chronologia Sacra* ejusque suae Chronologiae Biblicae *vindiciis* multa habet ad universam Chronologiam Biblicam spectantia animadversione dignissima. Ille sibi visus est calculos suos ubique inire non tantum Duce scripturâ, sed & synchronismos gentium omnium cum suis rationibus exactissime conciliasse: Imo quod heic mireris, dum Lutheranae Ecclesiae Doctor est, existimat in eo esse argumentum pro vera Ecclesia sua, quod, ubi in Chronologia sacra coecutierint hactenus & Romanenses & Reformati, Deus tandem homini Lutheranorum partes sequenti veras has temporum rationes e sacro codice & gentium omnium consensu Chronologico retexerit. Istud verae Ecclesiae Lutheranae κριτηριον non explorabo, satis confisus Ecclesiae nostrae Reformatae, neque & Fratribus Lutheranis quos in Fidei sanctis semel traditae Consortibus censemus, tali κριτηρια non esse opus, quamvis illud cum ipso teneam ex Psalm. xxv. Mysteria Dei esse timentibus ipsum, nempe ut illis revelentur, & hoc esse Dei foedus ut ipsis illa indicet, atque etiam non diffitear puriorem Chronologiam, ex scripturarum fonte haustam, multam praeferre facem scripturarum sacrarum.

rum argumento. Neque dedecori erit Ecclesiae Reformatae si suo tempore, faciente Deo, per omnes periodos ostendam solam Scripturam S. in Historia & Chronologia vetere esse veracem. Et quamvis existimem synchronismum illum exoticum cum Scripturario conciliandum causam esse desperatam, multa tamen alia habet, quae ad rem Chronologiam sacram spectant, proposita tanta cum industria, tanto cum doctrinae apparatu, ut, quod non diffiteor, cum primum legerem, cuperem admodum esse vera, quod crederem multis scripturae locis lucem sic posse infundi, paratus etiam, ut si pulchre inventa obtinerent, hypotheses meas, si cum rite demonstratis pugnare deprehenderentur, refigere. Sed cum ad rationum calculos sederem & rigida lege omnia exigerem, vidi me specie lusum fuisse, & ludi posse alios forte me minus attendentes. Omnia non revocabo ad examen, sed generalius meam ad universam ipsius Chronologiam dabo crisin, alias allaturus rationes, quam illas antagonistae ejus, quas ipse in vindiciis suis refutat.

A. Praeter alia bene multa vir doctissimus multis contendit, Æram mundi conditi, quae apud Judaeos obtinet, obtinuitque, etiam occurrere in scripturis sanctis pluribus in locis, per eamque hypothesin difficultates plurimas Chronologicas solvi, multa sacrae scripturae loca caeteroquin obscurissima illustrari. Huc praecipue spectat 1 Reg. VI. 1: sed locum aliter vertit, aliter explicat quam factum est hactenus, ex nova hac sua hypothesi. Haec ejus est versio: ***Factum est in ipso anno quadringentesimo & Octogesimo, post exitum autem filiorum Israël e terra Ægypti ipso anno quarto, mense Siv; hoc ipso mense qui secundus*** (anni) ***a Regimine Salomonis supra Israëlem; & aedificavit is domum Jehovae***: En, inquit vir doctus, duplicem Epocham, alteram minorem, ubi diserte indicatur annos numerari ab exitu ex Ægypto, quem ille putat se ostendisse esse ipsum ingressum in terram Canaan. Alteram inquit Epocham majorem, ubi non exprimitur unde anni derivandi sunt. Cum autem, sic pergit, annus quo templum caepit aedificari dicitur quartus ab exitu ex Ægypto, quis non videt aliquos centenarios hic omissos, quo pacto & in prioris Epochae utpote-

majoris (haec illi eſt AEra mundi Conditi) notatione millenaris omiſſos eſſe, quod manifeſtum eſt. Quare, ſic deinceps multis interjectis pergit, Exſtructionis Templi initium dicitur factum a ſcriptura ſacra Anno Mundi Conditi 3480. & poſt ingreſſum ex Ægypto in terram Canaan anno 704. Ergo annus 480. eſt ipſi annus mundi conditi, omiſſo numero millenario, quod etiam ſolent Judaei, annus vero quartus, eſt annus exitus ex Ægypto, vel ſecundum ipſum introitus in Cananaeam, iterum omiſſo numero majore vel centenario. Quod vero omiſſum numerum millenarium in priore Epocha facit ter mille annorum, & in ſecunda Epocha exitus ex Ægypto numerum centenarium omiſſum facit 700 annorum; hoc facit ipſe pro ſuis calculis quos per omnem ſuam Chronologiam conſtanter conficit. Epocham hanc mundi conditi exiſtimat pariter in multis aliis ſcripturae locis occurrere, per eamque hypotheſin locis illis difficultates quibus premebantur hactenus amoveri. Jeſ. VII. 8. dicitur, annos adhuc 65. fore cum Ephraim ſit diminuendus, ut non ſit populus. Ille ſic vertit: *annus 65. ſextus quo Ephraimus a populo diminuendus erit.* Diſcuſſis Judaeorum Chriſtianorumque Commentationibus ad hunc locum hanc nobis dat commentationem ſuam, quam tamen in compendio dabimus: Propheta in hanc loquitur ſententiam: Caput Syriae erit Damaſcus, quamdiu caput Damaſci Rezin: & adhuc praeſente anno quem nunc numeramus a mundo Condito 65. hoc eſt, 3765. (ſic ille pro ſua hypotheſi putat omitti numerum millenarium & Centenarium, & tantum poni numerum minorem, nempe 65.) adhuc ante finem inquam hujus anni fractus erit Ephraim, & exutus hac multitudine populi ac virium. Hanc ſuam interpretationem multis it confirmatum, quae nunc mittimus, dum ipſum hoc fundamentum ruinoſum eſſe deinceps demonſtraturi ſumus. In vindiciis Chronologiae ſuae alia adhuc loca deinceps inventa addit: ubi eadem illa Epocha mundi Conditi inveniatur, nempe Deuter. 1: 46. *& permanſiſtis in Kadeſch annos multos ſecundum annum quo ibi conſediſtis.* Poſtquam in anteceſſum hic multis diſputavit, ſic locum tandem accipit: & permanſiſtis in Kades annos multos, annos ſcilicet 38. ſe-

cun-

cundum annum scilicet mundi Conditi 38. quo ibi consedistis: En, inquit, annum mundi bis millesimum septingentesimum trigesimum octavum. Nempe ex hac ejus hypothesi iterum omissus erit numerus centenarius & millenarius, & positus tantum numerus minor 38. qui annus 38. post bis millesimum & septingentesimum erit annus mundi Conditi. Pariter adducit Locum Jes. XXXII. 10. vexatissimum pariter ab Interpretibus Judaeis & Christianis, cui pariter haec sua hypothesis lucem accendat. Postquam iterum multa fuit interlocutus, in haec verba desinit, verba Prophetae hac paraphrasi illustrans: anno secundum praesentem mundi annum 789. sive anno etiam 789. ab hoc ipso, quo vivimus tempore, commovebimini secure. sic pergit. Adde anno mundi 3789. annos 789. & invenies annum mundi 4578. qui fuit annus expugnatae a Tito Vespasiano Hierosolymae. Ita haec dedimus in compendio, exscribere omnia non lubet, disserit ille de his, nempe de Locis scripturae ex hac hypothesi explicatis (dum jam multis antea egerat de ipsa hac hypothesi) in Chronologia sua pag. 305. usque ad pag. 342. atque iterum in vindiciis Chronologiae suae a pag. 93. ad pag. 124. Illud nunc tantum ante examen praefamur, regnare hanc ipsius hypothesin de illa Æra mundi Conditi per omnem ejus Chronologiam, pro illa ordinari omnem. Multum sibi gratulatur de Consensu Chronologiae exoticae omnis. Quare per omnes fere it populos, ipsos etiam quod mireris Chinenses sibi habet ὁμοψήφους. Breves Nos demus stricturas ex quibus etiam liqueat quid & quibus rationibus disputet V. D. etiam in Vindiciis suis, non admodum metuendum nactus Antagonistam.

B. Hypothesi Kohlreifferianae obstant sequentia.

א. Nullibi in Scriptura S. expressus est usus Æ. M. C. Neque in Historia Diluvii. Videtur autem si saepius obtineat illa aera non nominata, saltem alibi prius vel semel nominatam oportere.

ב. Cur 1 Reg. VI. 1. Numerus major, & quidem millenarius non tantum, quod adhuc faciunt aliquando Judaei, omittitur in aera M. C. sed & centenarius, qui numerus ma-

jor in anterioribus numquam expressus eo ipso ignotus est, omittitur in Æra Exitus ex Ægypto? Et, si vel notus Populo ejus aevi quo scribebatur; non scribebatur in ejus solius, sed vel maxime in Posteritatis usum.

ג. Cur aera Exitus totidem verbis exprimitur, reticetur aera M. C. idque eodem in Loco?

Conatur equidem conciliare interpreationem hanc 1 Reg. VI. 1. cum 2 Chron. III. 2. Sed locus ille clarissime indicat annum quartum intelligendum esse de quarto Salomonis, non de quarto supra centenarios aliquot exitus ex Ægypto vel introitus in Cananaeam.

ד. Si *exitus* &c. epocham figit & quidem per praefixum ל, לצאת &c. Cur pariter in uno eodemque loco in eadem dictione מלך Epocham non figat dum ל illi praefigitur? Contra quod tam multo cum apparatu tam operose disputat, & quidem hanc unam ob rationem quod illud למלך numquam alibi sic occurrat ut figat Epocham sed alia tunc phrasis legatur in locis illis quae multo Studio conquisivit. Sed quae haec est disputatio ἀφιλόσοφος? Esto, occurrat hoc verbum cum praefixo ל. hoc tantum loco hoc significatu, in quod inquirere mihi curae prorsus nulli est, annon multa alia verba hoc significatu occurrunt cum praefixo ל. Creditne V. D. unumquodque verbum singulares requirere Leges grammaticas & Syntacticas. Estne alia indoles Verbi יצא ubi ejus infinitivus construitur cum praefixo ל, quam τῶ מלך ubi pariter ejus infinitivus construitur cum prifixo ל, sic ut τὸ לצאת figere possit epocham, τὸ למלך figere non possit uno eodemque in loco & quidem ubi aerae indicantur? Ego non capio. Quare si alibi τὸ למלך ita non capiatur, heic ita accipitur, nihilque obstat per Linguae genium sic possi accipi.

ה. Quod ad Locum Jes. VII. fateor illum esse vexatum, neque jam in ejus veram mentem inquiram, fiet hoc volente Deo in Commentario meo in Jes. Id unum nunc agitur, an ex sua hypothesi lucem accenderit loco difficili, sitque ejus explicatio hypothesios ejus praesidium aliquod? Dico nullum; phrasin illam לא עם *non populus* non fuit adsecutus, & sic labitur omnis ejus interpretatio. *Non Populus* plus dicit, plenam nempe & pe-

remp.

remptoriam abductionem & abolitionem sic ut porro sit non populus, in quo differt ab abducto Juda tamen mansuro Populo, de quo Nos alibi fusè dicimus. Quare fallit ejus interpretatio & Calculus, Et cur tunc ה non fuisset praefixum si verba volunt *hoc anno 65*.

ו. Deut. I. 46. & Jes. XXXII. 10. Demonstrationem non video pro ejus hypothesi; obscurè intricate disputat & verosimillimè absque *ἀποδείξει*. In quantum intelligo, quaedam quae tamen heic fundamenti loco esse deberent, prorsus iterum talia ponit quae a Verisimilitudine abludunt. Ex ejus hypothesi in priore loco in figenda aera *τὸ* כ, in posteriore *τὸ* על legetur, dicetque utrobique *Secundum* annum. Cur priore loco in aera figenda *τὸ* ב inposteriore *τὸ* על legitur, quo significatu *τὸ* על hoc loco accipere durius est praesertim dum ille priore loco per ב exprimitur, & magis sibi constat Scriptura in *particulis* quae aeram indicant uti nos suo loco dicimus quod ad *τὸ* לצאת & בצאת. Et cur numerus major hoc posteriore loco etiam in censum venit, nempe 700? Cur in utroque Loco magis obtinet Annus Mundi C. quam Exitus ex Ægypto?

Si jubilaei etiam non expressa Epocha (hanc enim etiam aeram ponit V. D. in Scriptura usurpatam) quomodo divinatur, an sit intelligenda Epocha M. C. an Exitus, an jubilaei?

ז. Annos auget vel minuit V. D. pro hac sua Hypothesi quae fecit ut animum ad Chronologiam adjiceret, ipso indicante, quare quin illam pro ea hypothesi sua ordinaverit dubium non est. Hinc in Chronotaxi non absque praejudicio & liber sed cum hac Prolepsi versatur. Ut unum modo allegem specimen. Verba *Jephtae* Jud. XI. 26. loco *possessionis* quam simpliciter dicunt dicere debent insolito modo possessionem, habitationem prorsus quietam sine omni turba vel hostili infestatione. Hoc modo nos dicemur Belgium habitasse illis tantum annis quibus fuit absque bello turbisque.

ח. Synchronismi illi Exotici, de quibus suo loco, incerti prorsus, plerique falsissimi nihil juvant.

ט. Sed illud miror quod & Africanum sibi in suppetias venire velit. Dum *Africanus* tot Annos ad Mosem numerat, ordinat

dinat Chronologiam secundum LXX-viralem Versionem, Ergo haec adversantur ejus hypothesi dum ipse Calculos Graecos non probat.

5. Et tandem certior Chronologia ipsius Hyphothesin refellit dum ille annos vel reducit vel producit, sed perperam, pro sua illa Hypothesi.

C. Sed admodum pro sua hypothesi pugnat ex accentibus. Si accentuatio 1 Reg. VI. 1. necessario per suam, per nullam aliam, interpretationem & hypothesin rectè se habeat, labefactatur eo ipso accentuum authoritas, si hypothesis Ejus fallit. Sed ratio illa una ab accentuatione petita, dum reliqua omnia pugnant, infirmior est, dum, si vel admittitur etiam divina accentuum auctoritas, tam multa disputantur etiam inter illius artificii peritissimos de majori vel minori accentuum vel distinctione vel connexione, exceptionibus, imo quandoque contrarietatibus (quas tamen non admiserim) diversitateque inter accentuationem Prosaicam & metricam, ut minus certo fundamento nitatur haec hypothesis si chronologiam omnem sacram sibi adversam habeat. Plures etiam sunt distinctionum per accentus rationes quam quales ille vult hoc loco. De quo nos suo loco dicimus ad 70. hebd. Dan. IX. Accentuationem, in cujus divinam originem magis atque magis propendere incipio, quidquam obstare receptae Versioni & sententiae non video. Sic accipe: de Templo Salomonaeo sic narratur: *& factum est ipso anno quadringentesimo & octogesimo:* distincte indicat distinctivus accentus paser a qua aera numerandi sint anni, sua hac distinctione attentionem excitans. Vel, quemadmodum saepius accentus athnachus qui certè multo fortius distinguit, anteriora jubet repetere distinctioris attentionis ergo, & heic antecedentia jubente pasero repete: *Et factum est ipso anno quadringentesimo & octogesimo*, anno inquam quadringentesimo & octogesimo *post exitum filiorum Israel ex terra Ægypti*, qui annus per sequentem accentuationem conjunctivam connectitur vel indicatur idem esse cum anno quarto Salomonis. Sic lege sine ulla interpunctione *qui annus quadringentesimus octogesimus* idem est annus quartus Salomonis; connecte cum his immediate verba *regiminis Salomomonis super Israe-*

Israelem, ut indicetur annus quartus Salomonis in Israele regnantis. Verba autem *Mense Siv hic ipse mensis secundus* parenthetice sint interjecta; sive semper obtineat, sive non semper probata accentuum cultoribus nota parentheseos: *post parenthesin major est accentus quam ante.* Perpende nunc an pondus habeant quae caulatur pag. 306. *ingentem accentibus fieri injuriam, detrudi accentum Paser, qui ante Gereschum indubitanter major est Gerescho, infra Telischam Ketannum, qui in ditione Gereschi non nisi pro conservo Kadmae habendus.* Alii videant an ipsius interpretatio consistat cum accentuatione vel & potius cum Constructione, Hebraea dum secundum ipsum לצאת בני ישראל &c. aera ponitur ante annos ab hac aera fluentes.

SECTIO SECUNDA.

Protheoria Jobi: & Amicorum Jobi.

A. PRaecedat *Protheoria Jobi.*

א. In ejus Historia manifesta est Dei mundum sanctosque suos moderantis providentia, quod publice exhibetur cap. I. 6-13. Recte & pie heic *Coccejus* noster,, sub humani judicii forma explicatur divina Providentia

α. Nulla creatura quicquam agit nisi Divino nutu, & moderamine.

β. Non tantum Angeli boni libenter a Patre luminum jussa accipiunt, & rationem Ei reddunt actionum suarum.

γ. Sed & mali angeli coguntur semper coram ipsius oculis tanquam Domini & Iudicis versari, ut & nihil faciant, nisi quod ipse (non otiosa & somnolenta conniventia, sed potenti dispositione & definitione consilii & manus ipsius) permittit, & malitiae suae, quae ex ipsis est, non ex Deo, observatorem & vindicem semper exhorrescant. Illud indicatur istis verbis: venit & Satan inter Filios Dei (Angelos nempe bonos, qui in hoc libro filii Dei vocantur cap. XXXVIII. 7.) Hoc interrogatione Dei significatur: Unde tu? quid egisti? expone omnem malitiam tuam, quam exercuisti.

 δ. Per-

ו. Perpetuum Satanae studium est omnem ansam inveniri circumveniendi, & criminandi electos Dei, & opera Gratiae Divinae calumniandi. Cogitur & ipse sentire, & fateri coram Deo, nullo enim diriore igni utitur Satanas vs. 7. quam invidia fidei, & gloriae electorum.

a. Quando igitur Deus per spiritnm suum est operosus in hoc aut illo ad fidem, sanctimoniam, & charitatem, id ipsi, ob ingenii malitiam, ut damnatio sui, & ut provocatio insidiarum & blasphemiarum esse videtur. Hoc innuit interrogatio Dei vs. 8.

b. Porro uti Satanas virtutis omnis rudissimus est, ita omnis vitii ideam in se habet, atque ut de fidelibus judicat ex suo ingenio, ita omnia apparat, quae ad deceptionem, & seductionem in quodcumque peccatum fuerint aptissima. Ergo quum quid verus Dei timor esset, nesciret (sciunt enim hoc tantum, qui illum habent Dei dono Angeli boni, & homines spiritu Dei acti), judicat Jobum non tam amare Deum, quam sua commoda, & de eorum conturbatione metuere, interimque facere quaedam, quae ad honorem Dei pertinere viderentur.

c. At neque commoditate viri sancti, neque laude, sive, ut proprie dicam, testimonio Divino fidei ejus delectatur, & insuper testimonium Dei ut mendax arguit, & opus gratiosum in ipso contemnit, & depretiat.

ז. Haec causa est, quare Deus velit nonnunquam pios probari.

a. Ut scilicet omnes itelligant virtutem spiritus sancti, per quam conservantur & corroborantur, atque ipsi plenam gratiae, potentiae, atque justitiae laudem tribuant.

b. Deinde cur velit ad ipsorum probationem plerumque uti opera Satanae & filiorum ejus, nimirum ut in eo magis confundantur, majorem cruciatum sibi ex invidia & murmure adversus Deum & electos ejus conciscant.

ב. Summa igitur totius Historiae istius haec est: *Deus Jobum, hominem electum & spiritu suo ad fidem & sanctimoniam formatum, ita sapienter rexit, ut & ipse fructum aliquem suae pietatis perciperet, inque sua integritate in dies proficeret, operam hac in re dantibus sanctis,*

dis Angelis ; Et ut Satanas ac filii ejus invidia urerentur, & ad calumniam provocarentur. Deinde voluit ostendere pietatem in Jobo sinceram ac veram esse, seque posse eum in omni tentatione conservare, ideoque quum ejus bona tradidisset in manum ac potestatem Satanae, ipsum tamen, & mox carne ipsius vexationi Satanae tradita, animam & spiritum inter excubias angelorum bonorum ab omni peste conservavit,, Hactenus Coccejus.

3. Nos in ejus Historia singulatim observamus sanctum hunc Dei virum

α. Fuisse bonis exutum vide cap. 1. 12. & seqq.

β. Liberis orbatum vide vs. 18. & seqq.

γ. Dum hanc tentationem explorandae integritati ipsius non sufficere praetenderet Satanas, dixit Dominus ad Satanam: *Ecce ipse est in manu tua, tantum animam ejus serva* cap. 11. 6. Estque adeo percussus ulcere maligno a planta pedis usque ad verticem, quare testam, qua se scaberet, accepit vs. 7.

δ. Stolida uxor illum vexabat: *Adhuc tu tenes integritatem tuam benedicendo Deo, & moriendo* vs. 9.

ε. Prae ulcere & plaga sua aliis eum vitantibus erat horridus:

ζ. Aliorum erat Sibilum cap. XXX. 1.

η. Quid egerit adversus eum ejus crudelis hostis facile inde colligis, quod datus fuerit in ejus manum, servanda tantum vita.

θ. Interim a Deo desertus fuit, cohibita non tantum luce faciei Dei, sed tremenda ejus praesentia territus saepius, quamquam laetiora habuerit intervalla, vide Phrases eam in rem significantissimas cap. VI. 4. X. 1. 3. 8. 16. XVI. 8. & seqq. Et reliquis in locis.

ι. Somnum capturus somniis & visionibus, spectris animum corpusque turbantibus, vexabatur, *quum diceret, consolabitur me sponda mea &c. tum me consternas somniis, & visionibus me perterres* cap. VII. 13. 14.

κ. Consolatores habuit vanos, perversa media morbum exasperantia adhibentes, gravioris ab illo admissi enormisque supra solitam humanam impietatem criminis, & hypocriseos suspicione illum gravantes.

 λ. Vi-

λ. Videtur ante has afflictiones dirissimas metus & terror aliquis velut praeambulo & praenuntius fuisse, vid. cap. III. 23. 24.

ד. Si respicis animum ejus patientem

α. Animo inter primas tentationes fuit recto, erectoque, vide cap. II. 10.

β. Sed deinceps querelis significantissimis, corporeatum & spiritualium afflictionum gravitatem exprimentibus, cum Deo quadantenus expostulantibus, illiumque, ceu hominem equidem sanctum, infirmum tamen a patiente Christo distinguentibus, personat.

a. Quaeritur, quid de hoc animo, deque his Jobi sermonibus sentiendum? Itane? hic patientiae typus est, qui se non conceptum, non natum, vel ab utero protinus exstinctum vellet, maledictionibus & conviciis ortum suum prosecutus? si fuerit suae sibi conscius integritatis, quod ex sequentibus patet, si Redemtorem suum sibique per illum adferendam liberationem, & salutem cognoverit, quis ferat in homine sancto propter temporarias in animo & corpore afflictiones, quae nihil sunt ad praepondium manentis gloriae & aeternae communionis Divinae, praeoptare ut non fuerit, quo ipso neque aeternum felix futurus fuerat? gratiam in hac vita consecutus si fuerit, benevolum Dei amorem in praecordia effusum si unquam expertus, quis non culpet votum illud, ut jam ab utero exspiraverit? Si per afflictiones sancti sanctitatis divinae participes magis evadant, Deusque in illis glorificetur, quis ferat Jobum ad mortem sic anhelantem suaeque quieti divinam gloriam posthabentem? An non dicteria illa, interrogabis, in diem nativitatis, noctemque conceptionis projecta in ipsum Formatorem Deum, Patremque spirituum omnis carnis recidunt?

b. Ut verba Jobi emolliant interpretes, animadvertunt, vitam heic atque mortem spectari per se absque illo nexu cum aeterna vel felicitate, vel calamitate, sed nude per se, quatenus illa est plena malorum corpus animumque affligentium, illa illis finem imponit; Hominem diris adeo afflictionibus pressum non attendisse ad omnia.

c. Non

ε. Non omnino intercedo, sed haec expendenda veniant, Jobum heic non modo ceu tentatum atque a Deo desertum, tremenda numinis praesentia territum, sed in gravissimo morbi illius paroxysmo heic esse spectandum. Mirumne est, Hominem exquisitissimis in corpore doloribus excruciatum, pavoribus ineffabilibus in animo territum, a tentante Diabolo vexatum, ab hominibus contemtum, abscondita non tantum luce faciei Dei, Deum velut hostem suum (de quo toties deinceps queritur) contemplantem, in tristissimo hoc intervallo nullam consolationis divinae guttulam gustantem, sed velut effusum in se orcum infernalesque terrores sentientem, exitum non videntem, optasse, ut vel non fuisset, vel vitam eo usque non duxisset, ut in hunc statum deveniret? sane qui in Inferno sunt melius illis fuerat non nasci. Jobus velut vivus ad infernum tantiper detrusus mirumne est has querelas quod effuderit? Illud heic velim observes, intervalla probe esse distinguenda, quando illi divinae gratiae alluxerit aliquid, integritatis conscientia fulciverit; et quando absque his desertus jacuerit. Paululum respirans credere tamen non potuit, statum suum projectum adeo in hac vita restitui sed non nisi per mortem abrumpi posse, nullam etiam in divino foedere singularem se reperire promissionem in hac vita liberationem ex tam extraordinaria calamitate spondentem, & ex Phoenomenis aliter colligi non posse, quam hanc suam conditionem esse in hac vita desperatam, non nisi cum hac vita tolli posse, quare ad mortem festinavit. Ea propter distinguendum omnino est inter Jobum sibi quadantenus redditum, integritatis suae conscium, & inter Jobum a Deo desertum, infernali pavore circumsessum, meris in tenebris ambulantem, lucem nullam videntem, in quo statu non tam fidei, constantiae, patientiaeque indicia requiras, quam admireris gratiam ἀμεταμέλητον ita desertos non in totum deserentem; quaeque heic ad Jobum, eadem ad desertos tentatosque omnes observemus.

ζ. Suae integritatis causam adversus amicos constanter agit.

η. Eandem apud Deum cum parrhesia allegat.

θ. Sibi tantum paulisper redditus doctrinam de Redemp-

tore, & suo, a quo tandem plene liberandus sit, constanter tenet, vide praeter alia loca cap. XIX. 23. & seqq.

ח. Deus tantum amicos reprehendit & confundit, adserta sic Jobi integritate pro illis oraturi.

ו. Sed & Jobum deinceps absolvendum liberandumque graviter docet & monet, Dei opera, viasque adorare, justificare, Deo silère, sapientiam fortitudinemque propriam abnegare; unde discimus tentationes gravissimas etiam per se non docere, nisi tandem accedat Doctor ipse Deus. Quae ut intelligamus melius, & Jobi in sermonibus ejus mentem, & quid recte, quid secus pronunciarit, adsequamur, audiamus ipsum divinum judicium de Jobo, quod Capp. ultimis occurrit; quodque heic loci commodius inserimus. Nam tandem Deus ipse e procella locutus controversiam dirimit Jobumque restituit a cap. XXXVIII. ad finem Libri. Jobum

α. Partim laudat atque absolvit, ipsos apud amicos, qui vera de Deo locutus fuerit cap. XLII. 7. Quod in *libri analysi & breviore dilucidatione patebit*, illud recte statuebat Jobus:

a. Homini credenti jus esse apud Deum in mediatore.

b. Per illud jus Deum posse posci omnes benedictiones ex foedere Dei fluentes & liberationem ab omni malo saluti opposito.

c. Se illud jus per fidem esse amplexum, adeoque suo illo jure se legitime apud Deum uti posse.

d Se non esse hypocritam sed Dei foederatum, in eoque ad Dei tribunal posse provocare, ubi sit justificandus, allegata hac sua ad Deum judicem justitia. Dum interea non negat suam corruptionem, nullumque, si Dei absolutam justitiam ipsorumque fidelium infirmitates spectes, cum Deo posse contendere vid. cap. IX. 2-4. & 14. 15. & 20. 21.

e. Inter hanc afflictionem suam singularissimam interque animum factumque projecte impium nexum non esse. Eo vero procul dubio sanctum vitae suae institutum allegat adversus amicorum calumnias cap. XXXI. Infirmitates non negat, sed non patitur sibi tale crimen objici, quo nemo illorum se obstrinxerit, quibus Deus benedicit, & quod qui admiserint necessario plectantur extraordinarum in modum.

f. Ex.

f. Externas benedictiones & afflictiones indices non esse Divini amoris vel odii, adeoque liberrationem a malis in hac vita ex foedere Dei necessario non consequi.

g. Mali, quo premebatur, indolem ab amicis non intelligi, adeoque illos ineptos heic esse arbitros patientis vel impatientis animi.

h. Esse vitam post hanc vitam, in qua aeternum bene sit justis etiam ad supremum vitae halitum usque heic dirissima passis, dari carnis resurrectionem credentiumque omnium victoriam, in redemtoris victoria fundatam.

β. Sed partim reprehendit, *qui obtenebrarit consilium verbis sine scientia* cap. XXXVIII. 2. Interrogat cap. XLI. 8. *Numquid etiam irritum facies judicium meum, damnabis me ut justus sis?* Sane in eo aberravit vir patiens sanctusque

a. Deum in dirissimis etiam, quas foederatis vel in animo vel corpore vel utroque ferendas immittit, afflictionibus agere contra foedus amicitiae, hostiliter agere, illos ceu inimicos habere, afflictionem per se spectatam, quam equidem cum paterno Dei affectu tum non poterat conciliare, debuerat connectere cum consequentiis & finibus, quos Deus habere potuit sibi non perspectos hactenus, vel & forte non perspiciendos, quare imprudenter pronunciavit, Deum saltem *in hoc negotio jus suum sustulisse.*

b. Posse non tantum peti liberationem ex illis malis, sed licere cum Deo contendere, conqueri, quasi sint afflictiones illae duriores, quod illas inter interque infirmitates suas nulla sit proportio.

c. Petere, ut liceat cum Deo in jus venire, Deum vel teneri vel velle hujus suae viae rationem reddere.

d. Hominis derelicti statum talem esse, qui in hac vita restitui non possit, vel quem restituere nolit Deus in hac vita, quod satis innuit cap. XXX. 23.

γ. Colligis ex his omnibus, quam merito Jobum reprehendat Deus per gravissimos illos sermones ex procella habitos, ut qui peccaverit in Dei ὑπεροχήν, potentiam, sapientiam, justitiam, summam potestatem, in res omnes αὐτεξούσιον imperium, quae Divinae perfectiones tam manifeste fulgent in ope-

tore, & suo, a quo tandem plene liberandus sit, constanter tenet, vide praeter alia loca cap. XIX. 23. & seqq.

ח. Deus tantum amicos reprehendit & confundit, adserta sic Jobi integritate pro illis oraturi.

ו. Sed & Jobum deinceps absolvendum liberandumque graviter docet & monet, Dei opera, viasque adorare, justificare, Deo silère, sapientiam fortitudinemque propriam abnegare; unde discimus tentationes gravissimas etiam per se non docere, nisi tandem accedat Doctor ipse Deus. Quae ut intelligamus melius, & Jobi in sermonibus ejus mentem, & quid recte, quid secus pronunciarit, adsequamur, audiamus ipsum divinum judicium de Jobo, quod Capp. ultimis occurrit; quodque heic loci commodius inserimus. Nam tandem Deus ipse e procella locutus controversiam dirimit Jobumque restituit a cap. XXXVIII. ad finem Libri. Jobum

α. Partim laudat atque absolvit, ipsos apud amicos, qui vera de Deo locutus fuerit cap. XLII. 7. Quod in *libri analysi & breviore dilucidatione patebit*, illud recte statuebat Jobus:

a. Homini credenti jus esse apud Deum in mediatore.

b. Per illud jus Deum posse posci omnes benedictiones ex foedere Dei fluentes & liberationem ab omni malo saluti opposito.

c. Se illud jus per fidem esse amplexum, adeoque suo illo jure se legitime apud Deum uti posse.

d Se non esse hypocritam sed Dei foederatum, in eoque ad Dei tribunal posse provocare, ubi sit justificandus, allegata hac sua ad Deum judicem justitia. Dum interea non negat suam corruptionem, nullumque, si Dei absolutam justitiam ipsorumque fidelium infirmitates spectes, cum Deo posse contendere vid. cap. IX. 2-4. & 14. 15. & 20. 21.

e. Inter hanc afflictionem suam singularissimam interque animum factumque projecte impium nexum non esse. Eo vero procul dubio sanctum vitae suae institutum allegat adversus amicorum calumnias cap. XXXI. Infirmitates non negat, sed non patitur sibi tale crimen objici, quo nemo illorum se obstrinxerit, quibus Deus benedicit, & quod qui admiserint necessario plectantur extraordinarum in modum.

f. Ex.

f. Externas benedictiones & afflictiones indices non esse Divini amoris vel odii, adeoque liberrationem a malis in hac vita ex foedere Dei necessario non consequi.

g. Mali, quo premebatur, indolem ab amicis non intelligi, adeoque illos ineptos heic esse arbitros patientis vel impatientis animi.

h. Esse vitam post hanc vitam, in qua aeternum bene sit justis etiam ad supremum vitae halitum usque heic dirissima passis, dari carnis resurrectionem credentiumque omnium victoriam, in redemtoris victoria fundatam.

β. Sed partim reprehendit, *qui obtenebrarit consilium verbis sine scientia* cap. XXXVIII. 2. Interrogat cap. XLI. 8. *Num quid etiam irritum facies judicium meum, damnabis me ut justus sis?* Sane in eo aberravit vir patiens sanctusque

a. Deum in dirissimis etiam, quas foederatis vel in animo vel corpore vel utroque ferendas immittit, afflictionibus agere contra foedus amicitiae, hostiliter agere, illos ceu inimicos habere, afflictionem per se spectatam, quam equidem cum paterno Dei affectu tum non poterat conciliare, debuerat connectere cum consequentiis & finibus, quos Deus habere potuit sibi non perspectos hactenus, vel & forte non perspiciendos, quare imprudenter pronunciavit, Deum saltem *in hoc negotio jus suum sustulisse.*

b. Posse non tantum peti liberationem ex illis malis, sed licere cum Deo contendere, conqueri, quasi sint afflictiones illae duriores, quod illas inter interque infirmitates suas nulla sit proportio.

c. Petere, ut liceat cum Deo in jus venire, Deum vel teneri vel velle hujus suae viae rationem reddere.

d. Hominis derelicti statum talem esse, qui in hac vita restitui non possit, vel quem restituere nolit Deus in hac vita, quod satis innuit cap. XXX. 23.

γ. Colligis ex his omnibus, quam merito Jobum reprehendat Deus per gravissimos illos sermones ex procella habitos, ut qui peccaverit in Dei *υπεροχην*, potentiam, sapientiam, justitiam, summam potestatem, in res omnes *αυτεξουσιον* imperium, quae Divinae perfectiones tam manifeste fulgent in ope-

opere creationes, conservationis, gubernationis rerum omnium, quae Deus fuse allegat cap. XXXVIII. & seq. Debebat Jobus intelligere

a. Mala non tantum infligi ad improbandas fidelium infirmitates expurgandasque, sed & ad institutionem tentati & ad gloriam gratiae Dei adserendam adversus calumnias Satanae.

b. Et quidni vel minimum etiam foederati peccatum, si per se spectes, gravissima in corpore animoque afflictione improbari possit, modo animam Deus ab aeterno exitio liberet?

c. Debebat Jobus se totum permittere tali infinitiae sapientiae justitiaeque: quamquam Deus in foedere gratiae promiserit, & praestiturus sit se Deum salutis, vias tamen, per quas ad salutem ducat, suae sapientiae summaeque libertati ita servavit, ut homini rationes reddere non teneatur, tum propter absolutum suum jus, tum propter homnis in viis Dei caecutientis infantiam; & quamquam ipse homo deinceps a posteriore quandoque videat rationes, sicque intelligat, quod prope distinguere debeat inter *το affligi sine causa* & inter *το affligi sine tali causa*, quam distinctionem Jobus non ita fecerat, licet, inquam, Deus deinceps rationes videre faciat, non facit illud velut rationes, ad quas teneatur, reddens.

d. Debuisset Jobus, praesertim respirans, se totum permittere Divinae providentiae benignae illius Dei, qui toti universo praesidet, neque desperare de statu suo in hac vita in integrum restituendo, quod sonant verba illius cap. XXX. 23. Quam facile erat illi, qui terram, coelum, omniaque in illis, animantia, etiam ferocissima, stitit, sub nutu & imperio habet, Jobum etiam in hac vita restituere.

e. Quam temerarium erat cum Deo disceptare de sapientibus viarum ejus rationibus homini, qui profunda illius sapientiae non magis perspecta habet, quam in abditissimo maris abyssi ambulaverit.

3. Vincit tamen Jobi causa

α. Corpus spiritusque restituuntur.

β. Bonis & honoribus, & felice prole augetur.

γ. Videtur & uxor illa utut stolida & ante vexans illi red-

reddita, dum nova in illius locum venisse non legitur, contra omnes, qui ipsum antehac cognoverant, ad illum venisse leguntur cap. XLII. 10.

δ. Orat etiam, & læto cum successu, pro vanis illis consolatoribus, qui malum illius tam exasperaverant.

ε. Tandem pacate moritur.

ה. Quae Angelorum in servando & fulciendo Jobo fuerint partes, non legitur, sed tamen ad nutum divinum officio suo non defuturos fuisse inde colligis, quod illis praesentibus Diabolo permissus fuerit Jobus; quamquam an & quid, exeunte Satana, demandatum fuerit Angelis non legitur. Non ergo fuerunt ignari malorum sanctissimo viro imminentium, & quamquam ille desertus praesentem illorum opem experiri non potuerit, potuerunt tamen prope abesse, illi invigilare, longiusque processurum Satanam inhibere.

B. Succedat nunc *Protheoria Amicorum Jobi.*

א. Et quidem priores Jobi tres amicos, non vera de Deo loquutos, condemnat Deus Cap. XLI. 7.

α. Eorum peccatum quodnam sit modeste inquirimus.

a. Dum Satanae conatus fuit Jobi integritatem dubiam facere, & meram philautiam & hypocrisin interpretari, potuit & eò abuti amicorum Jobi ratiociniis, sic ut tentatio per amicos, permittente Deo, eundem in finem collinearit.

b. Ex vero equidem multa pronuntiarunt, quare & forte verba capitis V. 12. ceu quod scriptum est allegantur, 1 Cor. III. 19. Dei ipsius summam υπεροχην, illum esse totius universi dominum & creatorem, conservationi & gubernationi ejus omnia subesse.

c. Sed de eo mihi non satis constat, quodque non tam dicto quam aliis expendendum permitto.

†. An cognoverint Deum Triunum.

††. Et jure merito quaeras, an ea quae adversus Jobum se justum, suamque apud Deum justitiam praedicantem disputant (confundentes illa, in quibus vir sanctus recte locutus fuit, cum illis, in quibus modum excessit, quodque nos jam in illo notavimus, quasi haec unum idemque dicerent, jus habere apud Deum, & posse cum Deo contendere in hoc ne-

gotio) non arguant, eos doctrinam hujus justificationis coram Deo, adeoque illam de Mediatore non tenuisse, statuisseque, nullum homini jus apud Deum esse posse, sed Deum pro sua benignitate & acceptilatione benefacta imperfecta licet remunerari, malefacta improbare, & hanc ejus esse justitiam, pro illo ordine, quem illi tenere visum sit, hinc bonis bene, male malis in hac vita esse. Expende an non Eliphas cap. IV. 6. hunc Jobi cultum vel doctrinam, quae hominis apud Deum justificationem infert, damnet ceu quae jam ipso eventu per haec Jobi fata falsi sit manifesta; quare vel abutitur Oraculo vs. 16. vel forte suspecta erit apparitio Spiritus non boni, dicta haec furtim ad ipsum delata inter perplexas cogitationes nocturnas ad impugnandam doctrinam justificationis, Jobumque sic per Eliphasum tentandum; quasi vero homini doctrinam de redemptore tenenti sit difficile conceptu, *qui homo justificetur ex Deo & purus sit ex factore suo?*

†††. An felicitatem & calamitatem post fata perennem statuerint? non lego, si in eo haeserint, concipis ea magis, qui in hac vita pro praemiis & poenis ex Dei benignitate & justitia tam acriter pugnent, saltem Deus pronunciat, non recte de se locutos, & meritos esse stultitiae poenam. Sic ego olim. Sed illa nunc subit Cogitatio, Jobum cum hominibus vitam post hanc vitam nullam agnoscentibus amicitiam exerciturum non fuisse. Quare potius statuo, Traditionis ex familia sanctorum profectae rudes omnino non fuisse, sed ejus ut tunc solebat non satis intellectae neque integrae satis servatae, sic de Deo Triuno, Mediatore, justificatione, vita aeterna tenere potuerunt aliquid sed obscurius, & cum errorum veram Doctrinam pervertentium miscela. Quam ad Deum relationem habuerint pariter obscurius est. Determinare heic liceret aliquid si preces illae & sacrificia Jobi pro ipsis divinitus injuncta spectant salutem Animarum ipsorum. Saltem Jobi Theologia & Relligio ipsos longe post se rellinquit.

ß. Tentatio ergo foret talis, sollicitare Jobi relligionem & doctrinam, quae hanc justitiam docet, plenam esse fastus & Majestati Divinae injuriam, ducere ad licentiam, manifesto exemplo id comprobari in Jobo, homine animi profani & impro-

probiſſimi quamquam aſtuti & hypocritici inſtituti, manifeſtum hoc evadere per extraordinariam hanc afflictionem, quare nihil ſit reliquum, quam ut doctrinam & inſtitutum damnet Jobus, ſtatum abjiciat & aliam viam inflectendo ſe ad Deum convertat.

ב. Diſtinguendus ab his videtur Elihu.

α. Ille rectè

a. Tenet doctrinam de Mediatore, adeoque hominis credentis apud Deum juſtificationem negare non poteſt.

b. Quare alia via, aliiſque argumentis quam fecerant amici, ſe Jobum aggreſſurum promittit, & praedicta non negans.

†. Acriter illa inſectatur, in quibus jam monuimus Jobum modum exceſſiſſe, ex quibus arguit (licet forte ex dictis illis extundere quis poſſit, Jobus tamen conſequentias negaret) Jobum *ſe coram Deo juſtum, Deum injuſtum pronunciaſſe, ſic tolli omnem religionem.*

††. Et ex hoc animo, hiſque dictis Jobum impietatis, hypocriſeos eſſe reum, cui ſi talis maneat pars hactenus non ſit in λύτρῳ Angeli μεσίτου.

β. Sicut ergo prior tentatio ſollicitabat ipſam de ſalute & juſtitia doctrinam, ita dum illam teneret Jobus haec petit juſtitiae illius Jobo factae applicationem.

γ. Illud tamen cum reliquis tenere videtur, Deum vel beneficiis, vel judiciis, derelictione in malis, vel liberatione ex illis juſtos & injuſtos manifeſtos facere. Vitam autem poſt hanc vitam felicem vel infelicem ſtatuit.

δ. Unde colligere liceret, in quantum non inepte de Deo locutus fuerit Elihu, propterea cum reliquis illis a Deo non reprehenſus, in quantum vero de Jobo ſiniſterius judicium tulerit, quod ſane quod ad animum ſtatumve ejus tuliſſe ſatis conſtat. An vero magna ejus παῤῥησία, ſui ſuorumque repetita toties commendatio, cum reliquorum contemptu, modeſtiam, an vero faſtum prodat, dicere non habeo, dum Deus non pronunciat.

LIBER JOBI

ANALYTICE DILUCIDATUS.



Artes hujus Libri sunt quatuor. Prima complectitur Jobi Tentationem non unam in qua non peccavit Labiis suis Cap. I. usque ad ℣s. 11. Cap. 11. Pars secunda continet Jobi afflictiones internas & externas aggravatas durante septiduo, & ulterius, etiam per ineptos trium Jobi Amicorum ad Jobi Querimoniam sermones, qui cum Jobi ad illos Responsionibus recensentur una cum sermonibus Elihu Cap. 11. ℣s. 11. usque ad Cap. XXXVIII. Tertia exhibet ipsius Dei ad Jobum Sermones ex procella & Jobi responsa Cap. XXXVIII. ℣s. 1. usque ad ℣s. 7. Cap. XLII. Quarta Dei ad Eliphasum Alloquium Jobum absolvens & tres ejus amicos condemnans; & Jobi statum restitutum Cap. XLII. ℣s. 7. usque ad finem Cap.

I. Igitur in Parte prima hujus Libri quae complectitur Tentationem Jobi non unam in qua non peccavit labiis suis

A. Attentationum propositarum considerentur.

ℵ. Subjectum, quod describitur a.

CAPUT PRIMUM.

α. Patria, nomine, Moribus ℣s. 1. *Vir erat in terra Uz. atque erat vir ille timens Deum, & recedens à malo.*

β. A Divina Benedictione

A. In Liberis ℣s. 2. p. 1. *Et nati sunt ipsi septem filii, & tres filiae.*

B. In pecuariis ℣s. 2. p. 2. *Et fuere pecuaria ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, & quingenta juga boum, & quingentae asinae.*

C. Alia Familia ℣s. 2. p. 3. *Et familia ampla admodum.*

D. Com-

D. Comparate ℣s. 3. *Eratque vir ille magnus prae omnibus orientalibus.*

γ. A sollicitudine circa Liberos. Hic vide

A. Amorem Liberorum inter se & morem colendi Amoris ℣s. 4. p. 1. *Et ibant filii ejus, ut agitarent convivium in aedibus ejus, cujus esset dies illius: mittebantque & vocabant sorores suas, ut comederent ac biberent cum ipsis.*

B. Consuetudinem Jobi ℣s. 4. p. 2. *Porro cum in orbem redirent dies convivii, mittebat Ijob & sanctificabat illos; & praevertebat matutino, & offerebat holocausta pro numero omnium illorum.*

C. Causam & Constantiam Consuetudinis ℣s. 5. *Nam dicebat Ijob: fortasse peccaverunt filii mei, & benedixerunt Deum in corde suo: sic faciebat Ijob omnibus diebus istis.*

ב. Origo. Ea hic ostenditur duplex

α. Satanae Calumnia ℣s. 6-11. *Et fuit dies, & venerunt filii Dei: ut adsisterent apud Dominum: & venit etiam adversarius inter ipsos.* ℣s. 7. *Et dixit Dominus adversario: Undenam venis? & respondit adversarius Domino, & dixit: Ab obeunda terra & ab ambulando in ea.* ℣s. 8. *Et dixit Dominus adversario: advertistine animum tuum ad servum meum Ijob? Nam non est similis illi in terra: Vir integer & rectus, timens Dei, & recedens a malo.* ℣s. 9. *Et respondit adversarius Domino, ac dixit: an gratis timet Ijob Deum?* ℣s. 10. *Nonne tu circumsepivisti ipsum & domum ejus, & quicquid ejus est, circumquaque? Operi manuum ejus benedixisti, & pecuaria ejus effuderunt se in terra?* ℣s. 11. *Sed porrige, age, manum tuam & tange, quicquid ejus est: Si non in faciem tuam tibi benedicet.*

β. Dei Decretum ℣s. 12. *Et dixit Dominus adversario: Ecce, quicquid ejus est, in manu tua sit, tantum in ipsum ne mittas manum tuam. Et exivit adversarius a facie Domini.*

ג. Differentia

α. Tentatio per Afflictionem

A. Extra Corpus Jobi in ipsius rebus. Hic habes

אא. Tempus ℣s. 13. *Et extitit dies, & filii ejus ac filiae ejus edebant ac bibebant vinum in aedibus fratris sui primogeniti.*

בב. Ordinem. Calamitas est

αα. In Bubus & Asinabus ereptis, cum cae-

 de-

de puerorum, quibus illa Curae ℣s. 14. *Et nuncius veniebat ad Jobum, ac dicebat: Boves arabant, & asinae pascebant juxta eos:* ℣s. 15. *Ac irruit Seba & cepit illa: & pueros percusserunt acie gladii: & evasi tantum ego solus, ut indicarem tibi.*

ββ. In ovibus ac pueris caelitus crematis ℣s. 16. *Adhuc iste loquebatur, & iste veniebat, ac dicebat: Ignis Dei decidit de caelo, & ussit oves & pueros atque devoravit eos: Et evasi tantum ego solus, ut indicarem tibi.*

γγ. In camelis eorumque Administris partim caesis, partim abreptis ℣s. 17. *Adhuc iste loquebatur & iste aderat, dicebatque: Chaldaei factis tribus aciebus effuderunt se in Camelos, eosque ceperunt, pueros autem caeciderunt acie gladii. Et evasi tantum ego solus ut indicarem tibi.*

δδ. In Liberis aedium lapsu obtritis ℣s. 18, 19. *Dum iste loquitur iste veniens ait. Filii tui & filiae tuae edebant & bibebant vinum in aedibus fratris sui primogeniti.* ℣s. 19. *Et ecce ventus magnus veniebat inde, qua desertum est: impingebatque in quatuor angulos Domus: & cecidit in pueros, & mortui sunt? Et evasi ego solus? ut indicarem tibi.*

ΛΛ. Eventum sive effectum in Tentato, qui ostenditur

αα. In signis animum testantibus, factis humanitatis & Relligionis ℣s. 20. *Et surrexit Job, & laceravit tunicam suam, & vellit* capillum *capitis sui. Et cecidit in terram, & adoravit.*

ββ. In dictis Relligiosis, in quibus est: sui juris & spei in rebus terrenis abnegatio: Divini juris & operis Agnitio: Doxologia ℣s. 21. *Et dixit: nudus exivi ab utero matris meae; & nudus revertar illo. Dominus dedit, & Dominus accepit: sit nomen Domini benedictum.*

γγ. Judicio spritus S. ℣s. 22. *In omnibus his non peccavit Jobus neque tribuit Deo insipientiam,* absurditatem, quidquam rei inconvenientis.

CAPUT SECUNDUM.

B. In ipsius Jobi corpore. Hic nota

NN. Αφορ-

אא. Αφορμας

αα. Providentiam Dei, quae demonstratur

a. In Dominio sive directione omnium Cap. II. ℣s. 1. *Et extitit dies, quum venerunt filii Dei, ut starent apud Dominum, & venit etiam Satanas in medio ipsorum, ut staret apud Dominum.*

b. In observatione Malitiae, qui illam fraenet & dirigat ad utilem finem ℣s. 2. *Et dixit Dominus ad Satanam: Unde venis? & respondit Satanas Domino, & dixit: Ab exploranda terra & perambulanda illa.*

c. In tenacitate Propositi circa salutem electorum vs. 3. *Et dixit Dominus ad Satanam: Numquid animum advertisti ad servum meum Ijob? Nam non est qualis ille in terra, vir integer & rectus, timens Dei & recedens a malo. Et adhuc retinet integritatem suam. Tu autem me incitasti in illum, ut illum destruerem sine causa.*

ββ. Calumniam Satanae nova tentatione confundendam. Ea est

a. Maligna Interpretatio Constantiae Jobi vs. 4. *Et respondit Satanas Domino ac dixit: Cutim pro cute, & quicquid habet homo, dabit pro anima sua.*

b. Temeraria ad novam tentationem Provocatio vs. 5. *Verum porrige manum tuam & tange os ejus & carnem ejus, nisi in faciem tuam benedicet tibi.*

בב. Permissionem Dei cum Lege vs. 6. *Et dixit Dominus ad Satanam: Ecce ipse est in manu tua, tantum animam ejus serva.*

גג. Executionem vs. 7. *Et exivit Satanas a facie Domini: & percussit Ijobum ulcere maligno, a planta pedis usque ad verticem ipsius.*

דד. Eventum in Patiente qui est Humiliatio vs. 8. *Et accepit sibi testam, qua se scaberet: Et ipse sedebat in cinere vel sedebat in Cinerem.*

c. Tentatio per suggestiones Uxoris. Hic est

אא. Suggestio per reprehensionem humiliationis religiosae vs. 9. *Et dixit ipsi uxor ipsius: adhuc tu tenes integritatem tuam, benedicendo Deo & moriendo!* vel: *age vero Deo benedic & mo-*

morere, quasi sarcastice diceret, egregium sc. ab illo refers praemium, dum mori & perire te misere nunc sinit. Alii *maledic* vel *valedic Deo & morere*.

בב. Eventus qui ostenditur

αα. In responsione Jobi, qua damnat Uxoris sermonem, reddit rationem facti sui sive instituit illam de officio vs. 10. p. 1. *Et dixit ad illam: ut loquitur una stultarum, loqueris. Simul bonum accipiemus a Deo, & malum non accipiemus?*

ββ. In judicio Spiritus S. vs. 10. p. 2. *In omni hoc non peccavit Job in labiis suis.*

II. In Parte secunda quae continet Jobi afflictiones cum externas cum internas aggravatas durante septiduo & ulterius, observentur

A. Praesentia Jobi Amicorum. Hic est

א. Occasio. Nimirum Visitatio officiosa Amicorum quae describitur

α. Ut suscepta vs. 11. *Et audiverunt tres amici Ijobi omne malum hoc, quod ipsi evenerat: & venerunt quisque ex loco suo, Eliphas Themanita, Bildad Suchita, Tsophar Naamathita & in condicto convenerunt una, ut venirent quo complorarent ipsum & consolarentur ipsum.*

β. Ut peracta

A. Cum Testimonio Condolentiae vs. 12. *Et sustulerunt oculos suos eminus, & non agnoverunt eum, & sublata voce plorarunt, sciderunt que quisque tunicam suam, & sparserunt pulverem in capita sua caelum versus: & consederunt cum ipso in terram septem diebus & septem noctibus.*

B. Cum silentio vs. 13. *Et non erat, qui loqueretur ad ipsum verbum. Nam videbant, ingentem dolorem esse admodum.* Durante hoc septiduo afflictiones Jobi cum externas cum internas insigniter auctas fuisse patet ex Jobi Querimonia & sermonibus. Hactenus Labiis suis non peccavit. Sed deinceps utut rectè de Deo loquitur, tamen subinde Consilium Dei obscurat verbis sine scientia.

B. Querimonia Jobi. Hic

א. Summa Verborum vs. 14. *Postea aperuit Job os suum, & maledixit diei suae.*

CAPUT TERTIUM.

ב. Verba ipſa Cap. III.

α. Jobus nativitatem ſuam, quin & conceptionen ſuam deteſtatur. Non una autem eſt haec deteſtatio.

A. Vellet vel non eſſe conceptus, vel non natus, phraſibus ſignificantiſſimis diei & nocti illi maledicens a vs. 1-9. vs. 1. *Et reſpondit Ijob & dixit*, vs. 2. *Pereat dies, qua naſcebar, & nox, de qua dixit* aliquis, *conceptus & natus eſt maſculus.* vs. 3. *Dies ille ſit tenebrae, ne requirat Deus eum ſuperne & ne eluceat ſuper ipſum ſplendor.* vs. 4 *Vendicent eum tenebrae, & umbrae mortis. Habitet ſuper eo nubes. Terreant ipſum vapores.* Alii *nigredines*, *atrores*, alii *amaritudines* כמרירי יום. Quandoquidem jam in praecedentibus ſenſus atroris ſive caliginis & tenebrarum emphatica ſynonymia ſatis fuit expreſſus h. m. *vendicent eum*, diem, *tenebrae & umbra mortis* i. e. denſiſſimae & palpabiles, quales AEgyptiacae, vel quales ſunt in ſepulchris, *permaneat ſuper eum nubes* ſpiſſa & atra; quare novam dubiamque vocem τα כמרירי fingemus, quum realis & certior jam proſtet? Nempe מרירי Deut. XXXII. 24. ſignificatione pariter optime quadrante. Senſus itaque verborum hic eſt: *Terribilem reddant eum amariſſima quaeque* (כ enim eſt ſaltem veritatis) *diem*, quae nempe diei alicui accidere poſſunt infortunia malaque omnia. Ita *Starckius* in *Notis Selectis*. Mavelim tamen cum *Schmidio* vertere *terreant eum*, ſic ut terrendus ſit ipſe Dies, per proſopopiam, quaſi dies ipſe ſuas tenebras terribiles ſentire & horrere poſſet. τo כמרירי יום. *Schimdius* etiam *amaritudines* vertit. Alii τo כמרירי derivant a radice כמר *incaleſcere*, *denigrare*; & intelligunt *atros vapores* a calore excitatos & lucem obſcurantes. Nihil verat triſtiſſimas illas tenebras non una dictione exprimendas aliis atque aliis dici. vs. 5. *Nox illa! capiat illam caligo, ne gaudeat inter dies anni; in numerum menſium non veniat*; vs. 6. *Ecce Nox illa ſit ſolitaria: ne veniat jubilatio in eam.* vs. 7. *Deteſtentur illam, qui execrantur diem: qui excitaturi ſunt balaenam.* Vel *execrentur eam* (noctem) *execratores diei! qui parati ſunt excitare Leviathan*; quum idem praedicatum Verbi de ea Cap. XLI. vs. 1. adhibeatur: *nemo eſt tam*

 ferox,

ferox, *ut excitet* (i. e. in praelium concitet) *eum*, simplicior tutiorque est ista expositio quae scripturae quoquomodo innititur. Est igitur excitare Leviathan, tentare rem impossibilem, periculique plenissimam; adeoque hic emergit sensus: *execrentur eum qui maledicunt Diei* natali (ut patet ex vs. 1. & Cap. 1. 4. Itaque, dies non sumenda indefinitive) vel *tempori vitae suae* (diem enim sumi etiam pro *tempore* notissimum est) adeo ut ex desperatione *parati sint excitare Leviathan*, i. e. praesentissimo periculo se exponere spe finiendae vitae miserrimae. Alii putant haec desumpta ex superstitiosorum orientalium moribus, ac per *maledictores* intelligunt incantatores audacissimos & exercitatissimos, qui clara luce & in meridie in omnium conspectu magiam exercere, immanissimos serpentes & Crocodilos effascinare, imo Diabolum ipsum provocare non vererentur. vs. 8. *Tenebrentur stellae ejus: expectet lucem, & non sit: & ne videat palpebras aurorae.* vs. 9. *Quia non clausit valvas uteri mei: Nam abscondisset aerumnam ob oculis Meis.* vs. 8. Radii comparantur palpebris ob celerem eorum vibrationem & crispationem. Vel quod micet tantum in aurora per radios Lux solis, ut si aliquis per palpebrarum pilos videat, non apertis plene oculis.

ℵ. Vel si concipi & nasci necessum fuerit, vellet mox ab utero mortuus fuisset vs. 10. *Cur non ab utero moriebar? ex utero egressus sum & exspirabam?* vs. 11. *Cur occurrerunt mihi genua? & quid uber, ut sugerem?*

ℵℵ. Etenim si obdormivisset mox ac editus erat, in morte jam requies esset, illeque expers afflictionum, quibus jam premebatur.

αα. Si jam pauper bonis exutus omnibus, in morte pauperior non erat futurus vel *ipsis Regibus & Consiliariis terrae, qui aedificant heic solitudines sibi, aut Principibus, qui domos suas heic implent argento*, quique tamen ut nudi huc venerunt sic nudi hinc abierunt, quare pauperrimus Job in statu mortis, quae sceptra ligonibus aequat, pauperior illis futurus non erat vs. 12. 13. 14. *Nam si cubuissem, quietus essem: obdormivissem, tum requies esset mihi.* vs. 13. *Cum Regibus & consiliariis terrae: qui aedificant solitudines sibi.* vs. 14. *Aut cum principibus, qui aurum habent: qui implent domos suas argento.*

ββ. Qui

ββ. Qui heic ab improbis & ab hominibus commovebatur illic erat requiem habiturus, *improbi illic sunt sine commotione, hinc illic cessant & ibi requiescunt fessi viribus.* Nullus illic miseros turbat, vexat. vs. 16. 17. *Ibi, inquit, improbi sunt sine commotione, & ibi requiescunt fessi viribus.* vs. 17. *simul vincti tranquille agunt: non audiunt vocem exactoris.*

γγ. Si e magna dignitate ejectus, mors infimos exaequat summis. vs. 18. *Parvus & magnus ibi est: Et servus liber est a Domino suo.*

בב. Si vero natus non fuisset ipsique *valvae uteri clausae fuissent*, quod dicit vs. 9. *futurus fuerat ut abortus abditus, aut infantes, qui non viderunt lucem, non extitisset sicque fuisset abscondita aerumna ab oculis ejus.* vs. 15. *Aut*, inquit, *ut abortus abditus, non fuissem: aut infantes, qui non viderunt lucem.* Hic versus 15. fuit velut parenthetice interjectus post quem vs. 17. seq. redit ad Sepulchri privilegia.

c. Vel quia jam vitam huc usque protraxerat

אא. Optat sibi mortem querula voce, & velut cum Deo contendens, vitam talibus non abrumpi vs. 19-24. vs. 19. *Quare dat aerumnoso lucem? & vitam amaris animae?* vs. 20. *Qui praestolantur mortem, & non adest: effoderent illam e thesauris.* vs. 21. *Qui laetarentur usque ad gaudium: hilararentur, si invenianti sepulchrum.* vs. 22. *Homini, cujus via tecta est, & quem circumsepivit Deus.* vs. 23. *Nam ante panem meum gemitus meus veniebat, & manebant instar aquae rugitus mei.*

בב. Simulque indicat harum afflictionum suarum fuisse velut praenuncium pavorem aliquem vs. 24. 25. *Nam pavorem pavi, & venit mihi; & quod formidavi, oblatum est mihi.* vs. 25. *Non fueram tranquillus, & non fueram quietus, & non requieveram: & venit commotio.*

CAPUT QUARTUM.

B. Sermones Amicorum Jobi

א. Primus est Eliphasi. Hic attendatur

α. Sermo ipse

A. Reprehendit *Eliphas* Jobi sermonem, ut indicem impatientiae, quam in Jobo, qui aerumnosos ante firmarat malis nunc ipse succumbens, perstringit a vs. 1. ad 6. vs. 1. *Et respondit*

Eliphaz Themanites, & dixit: vs. 2. *Num si proferamus verbum ad te, lassaberis? & continere vocem quis potest?* vs. 3. *Erudisti multos: & manus remissas firmabas.* vs. 4. *Offendentem erigebant eloquia tua: genua labantia statuminabas.* vs. 5. *Sed nunc venit ad te, & defatigaris? pertigit ad te, & consterneris?*

B. Ex hoc impatiente Deoque obmurmurante animo, simul & ex afflictione illa, extraordinaria plane, Jobum premente colligit ejus hypocrisin. Persuadere conatur, Jobi Fiduciam, in Relligione Ejus hypocritica & imaginaria Ejus Viarum integritate fundatam, vanam esse, quod nisi sit Deum injustitiae posse postulari, quasi homo sit justus prae Deo, quod & Jobus suis querelis satis innuat; sed quod ab omni vero & experientia abludat. Quare.

אא. Jobum erga Deum impietatis postulat vs. 6. *Nonne Timor tuus, Relligio tua* hypocritica *est fiducia tua* vana, stultitia tua, stulta confidentia? *exspectatio tua integritas viarum tuarum.* Sic ad haec verba *Starckius*: non recte vocabulo כסלה tribuunt significatum *Spei* vel *fiduciae*, quum tamen radix כסל & cognata transpositis Literis סכל cum derivatis suis habeat notionem nativam & primariam stultitiae, vel si omnino derivatum nostrum, etiam *Spei* uti Cap. VIII. 14. quod vult exegeticum ejus מבטח/ erit, vi radicali haudquaquam exuta, nonnisi spes stolida, non שכל prudentiae verae innixa, siquidem in l. c. describitur ut talis, quae *fastiditur* cum tela aranei comparatur. Menti igitur Eliphasi conformius reddidit *Kortumius*: *numquid igitur tuus Dei timor est stultitia*, i. e. hypocrisis, nempe *spes tua, & integritas viarum tuarum stultitia tua* i. e. non quam ego tibi ex malitia quadam affingo, sed *tua*, quam tuam fecisti, tuaque mente tute concepisti & efformasti, eique fixè hactenus insedit.

בב. Eam probare conatur

aa. Ex Dei cum hominibus piis & impiis via, quae bonis bene, malis male facit esse a 7. usque ad 12. vs. 7. *Recordare, quaeso, quis innocens periit? & ubi recti excisi sunt?* vs. 8. *Quemadmodum vidi arantes vanum, & seminantes aerumnam, qui metebant illam.* vs. 9. *Ab halitu Dei peribant, & a spiritu nasi ejus conficiebantur.* vs. 10. *Rugitus Leonis & vox immanis Leonis: & den-*

domes juvenum leonum commolebantur. vs. 11. *Senex Leo peribat ob penuriam cibi, & catuli animosi leonis dissipabuntur.*

ββ. Ex Jobi sermone cum Deo contendente & expostulante, quo ipso Deum injustitiae postulare seque prae Deo justum habere videtur, quod grativer damnat Eliphas.

a. Ex oraculo per visiones nocturnas audito a ℣s. 12. ad Cap. v. vs. 12. *Et ad me verbum furtim delatum est, & accepit auris mea particulam de eo.* ℣s. 13. *Inter cogitationes ex visionibus noctis, cum cadit sopor in homines.* ℣s. 14. *Pavor invasit me & tremor, & quam-multum-est ossium meorum expavefecit.* ℣s. 15. *Et spiritus contra faciem meam pervadebat:* idque *horripilare faciebat pilos carnis meae.* ℣s. 16. *Stabat (& non agnoscebam speciem ejus) forma coram oculis meis, auram & vocem audiebam.* ℣s. 17. *Numquid homo justificabitur prae Deo? an prae factore suo purus erit vir?* ℣s. 18. *Ecce servis suis non fidit, & in angelis suis non fidit, & in angelis suis ponit stultitiam.* Vel *ecce! Servis suis non fideret*, vel *ecce! in Ministris ejus non erit consistentia*, intuitu nempe infinitae ejus justitiae & sanctitatis: *& in Angelis suis poneret stultitiam*, si nempe cum Deo de majore justitia & sanctitate contendere vellent. ℣s. 19. *Quanto minus* justificabuntur *habitantes Domos luteas? quorum fundamentum est pulvis. Quos enervant coram vermes?* ℣s. 20. *A mane ad versperam contunduntur Sine curam adjiciente etiam atque etiam pereunt.* ℣s. 21. *Nonne migravit* vel ablata est *praecellentia quae in eis? Moriuntur, & non in* vel *cum sapientia* vera, salutari?

CAPUT QUINTUM.

b. Ex consensu sanctorum in terris, quorum nemo hanc veritatem tenens Jobum sit absoluturus vel illi patrocinaturus. Cap. v. 1. *Age, voca, estne, qui respondeat tibi? Et ad quem sanctorum respicies?* vel sic interpretare: *Nomina quaeso* (aliquem qui pius fuerit, & tamen a Deo afflictus sit) *num sit qui respondeat tibi?* (vel attestetur, vel qui similis sit tibi) *& ad quem sanctorum respicies?* (cujus exemplum producere poteris? Nullius)

c. Quare, quia mala hominem prementia fructus sunt impietatis & hypocrisios ejus, Jobum monet ut se coram Deo

humiliet, impietatem a se amoveat, quando benedictionem Dei & liberationem ex non uno malo praestolari possit. Hinc

אא. Thesin de poena impios manente confirmat testimonio experientiae a vs. 3-7. vs. 3. *Ego vidi stultum radicem agentem, & detestatus sum commodam mansionem ejus derepente.* ℣s. 4. *Longe aberant filii ejus a salute, vexabantur in porta, & non erat, qui eriperet.* vs. 5. Adeo *ut messem ejus famelicus comederet, & usque a spinis eam auferret, & hauriret comatus copiam ejus,* vel *Cujus Messem famelicus* (hostis) *consumebat, etiam super spinosa capiebat & illam* (i. e. ne exiguo quidem proventu ejus relicto) *& anhelabit* (avide hauriet *praedo*): cum respectu ad turbas praedatorum Arabum & Caldaeorum cap. 1. 15. 17. (*Opes ejus*) & similium vi suffixi pluralis, stultorum i. e. vera sapientia timoreque Dei carentium. vs. 6. *Nam non exit a pulvere vanitas, & de tellure non germinat aerumna.* vs. 7. *Sed homo ad aerumnam nascitur: & filii prunae sublime volant*; vel *sicut filii prunarum* (i. e. scintillae) *elevant volatum.* Causa mali non quaerenda extrinsecus, sed in ipso homine, quoniam nuturâ malus est, natus peccaminosus a parentibus peccaminosis, quemadmodum ab igne scintillae ascendunt, quodque initio scintilla erat, deinceps flamma evadit. Ita Kortumius.

בב. Suadet resipiscentiam verae fiduciae fundamentum

αα. Quod facit. vs. 8. *Enim vero ego quaererem, reciperem me, ad Deum fortem: & ad Deum dirigerem eloquium meum,* hypocrisin confitendo & serio resipiscendo

ββ. Allegat fundamenta spei in Deo, petita à Dei

a. Potentia vs. 9. *Qui facit magna sine vestigatione, mirabilia adeo ut non sit numerus.*

b. Cura rerum omnium vs. 10. & 11. *Qui dat pluviam super faciem terrae, & mittit aquas super faciem platearum.* vs. 11. *Ut ponat humiles in celso, & atrati sublimentur salute.*

c. Judicio quod est in eos, qui se ipsis nituntur vs. 12-14. vs. 12. *Qui irrita facit cogitata callidorum, ut non efficiant manus eorum quicquam rei.* vs. 13. *Capit sapientes in astu suo: ut consilium versutorum sit praeceps.* vs. 14. *Interdiu incurrunt in tenebras, & ut in nocte palpant in meridie.*

d. Sal-

d. Salvatione humilium a malo vs. 15. *Et salvat a gladio, ab ore ipsorum, & a manu forti egenum.*

e. Illorumque exaltatione & praemiatione ỳs. 16. *Et extitit tenui expectatio, ut injustitia clauderet os suum.*

γγ. Subjicit thesin tanquam conclusionem ex praemissis eam per admonitionem applicans ỳs. 17. 18. *Ecce, beatus vir, quem Deus redarguit: & disciplinam omnipotentis non spernas.* ỳs. 18. *Nam ipse cruciat & obligat: vulnus facit, & manus ipsius sanant.*

ℵ. Pollicetur mala avertenda omnia, quorum censum init a ỳs. 19. ad 24. vs. 19. *In sex angustiis eripit te, & in septem non attingit te malum.* ỳs. 20. *In fame redimit te a morte, & in bello a manibus gladii.* ỳs. 21. *In flagello linguae occultaris, & non times a destructione, quum venerit.* ỳs. 22. *Destructioni & annonae caritati riseris: & a bestiis terrae ne metueris.* ỳs. 23. *Nam cum saxis agri* est *pax tua: & bestiae agri pacatae sunt tibi.*

a. Bona danda etiam enumerata allegat a ỳs. 24-27. vs. 24. *Et scies quod pax sit tabernaculum tuum, & visitabis mansionem tuam, & non eris frustra.* ỳs. 25. *Et cognosces, quod amplum sit semen tuum, & proles tua ut herba agri.* ỳs. 26. *Venies in senio ad sepulcbrum, quemadmodum tollitur manipulus in tempore suo.*

b. Concludit commendatione hujus ceu exploratae veritatis. ỳs. 27. *Ecce hoc exploravimus id ita esse, Audi hoc, & tu, nosce tibi.*

D. Errat autem Eliphas non uno modo.

ℵℵ. Patientem vel impatientem Jobi animum aestimare is non potest, qui statum Jobi, a Deo derelicti, gravissimis tentationibus Diabolicis expositi, vexationibus inenarrabilibus cruciati, neque intelligit neque expertus fuit.

בב. Benedictiones externas benevolentiae Divinae, atque afflictiones praesertim extraordinarias semper indices esse *υπομονης*, impietatis atque offensi numinis male statuit Eliphas, dum viae Dei longe sunt aliae.

גג. Oraculum ad se delatum frustra allegat, de quo suo loco jam vidimus; vel enim suspecta est apparitio spiritus non boni, vel verum si fuerit oraculum, illo abutitur, quasi vero Deus injustus sit, & homo Deo justus magis sit, si causa tam tremen-

mendae afflictionis non esset *υποκρισις* vel enorme peccatum, possunt esse aliae rationes, quas deinceps intelligemus.

E. Animadvertimus facile, qualis in hoc Eliphasi sermone nova fuerit tentatio.

נא Illud Jobo persuaderi si potuisset, anteriorem integritatem *υποκρισιν* fuisse, omni sane fulcro destitutus fuisset; omnis enim spes in statu hoc projectissimo fundari debuit in gratiae, quam sibi collatam noverat, certa reminiscentia; in hoc rerum statu, quo Deus illi ceu hostis occurrebat, ad Deum se vertere non poterat, nullam sibi ab illo polliceri gratiam, nisi ob radicem verbi, semen Dei quod sciebat in se esse, hoc si falleret, spes omnis decollata erat.

בב. Si liberatio a malis illis externis, & collatio bonorum ab Eliphaso recensitorum indicium esset conversi ad Deum animi, ergo Dei via mala illa non auferentis & bona opposita non adferentis indicium fuisset impoenitentis atque animi cum Deo non reconciliati: Quando vero horum malorum exitum in hac vita neque videre neque sibi polliceri poterat Jobus, ex hac Eliphasi *υποθεσει* plane desperandum illi fuisset.

F. Discimus ergo quam prudenter circa tentatos desertosque sentiendum sit, inter graviores illas tentiatones atque afflictiones atque *υποκρισιν* & impietatem vel gravius aliquod crimen, sive ante sive post conversionem admissum, necessarius statuendus non est nexus, sed quandoque tantum faciunt ad gloriam gratiae divinae adserendam adversus calumniam Satanae, uti patet in hac historia; Deus immediate ante has tentationes Jobo perhibet luculentum integritatis testimonium, & describitur cura ipsius circa cultum divinum tentationes immediate antecedens.

CAPUT SEXTUM.

ß. Jobi ad *Eliphasi* sermones responsio cap. VI. ℣s. I. *Et respondit Job ac dixit.*

A. Quod ad impatientiam exprobratam, reponit ille.

אא. Malum suum non ponderari & intelligi vs. 2-4. *Utinam librando libraretur aegrimonia mea, & casum meum in-*

infelicem in bilancem conferrent simul! ℣s. 3. *Nam tum arenae maris praeponderaret. Ideo verba mea absorpta sunt.* ℣s. 4. *Nam tela omnipotentis apud me sunt, quorum ardor haurit spiritum meum: terrores Dei structa acie oppugnant me.*

בב. Se querelas praeter caussam non effundere, nisi exquisitissimus dolor illas exprimeret, non magis se querula voce aëra impleturum, quam rugit onager apud gramen, aut bos mugit ad farraginem suam; vel si mavelis, verba, censente Coccejo, innuunt, ineptos esse amicos ad judicandum de ipso propter incolumitatem & abundantiam rerum, uti ineptus est, qui judicet de misero, nisi qui ipse miser fuerit vel saltem affectu condolentiae passionem alienae infirmitatis in se trahat. ℣s. 5. *Num rugit onager apud gramen? an mugit bos ad farraginem suam?*

B. Amolitur a se crimen ὑποκρισεως & carpit ineptum sermonem Amici omni sale verae scientiae & amore cassum vs. 6. &. 7. ℣s. 6. *Numquid editur fatuum sine sale? Est ne sapor in albumine vitelli?* ℣s. 7. *Spernit attingere anima mea verba vestra ut cibum insipidum. Illa sunt, ut fastidia panis mei.*

C. Malum suum tale esse pertendit, ut non possit non petere vitae finem, attamen se spem consolationemque in integritate sua fundatam non abjicere, sed vel in ipsa morte retenturum vs. 8. 9. 10. vs. 8. *Utinam veniat petitio mea, & exspectationem meam det Deus.* ℣s. 9. *Et velit Deus, & enervet me: abducat manum suam & finiat me!* ℣s. 10. *Et erit adhuc consolatio mea (etiamsi induresc am prae dolore; non parcat) quod non occultavi dicta sancti.*

D. Praecipitati voti mortis cum rejectione spei in praesens rationem allegat ℣s. 11. 12. ℣s. 11. *Quid est vis mea, ut sperem? & quis est finis meus ut sustineam animam meam?* ℣s. 12. *Numquid robur lapidum est robur meum? num caro mea aenea est?*

E. De injuria ab amicis sibi facta graviter conqueritur, protestatus, se, desertum licet a Deo, & ab amicis omnem exspectationem, quam de illis concipere potuisset, ludentibus tam male habitum, a veritate & timore Dei non omnino sejunctum esse; quod adversus amicos dictionibus emblematicis pulchre urget. vs. 13-23. vs. 13. *An, si non est auxilium meum in me,*

 etiam

etiam veritas a me propulsa est? vs. 14. *Qui tabescit ab amico suo probrum fit, & timorem omnipotentis relinquit.* Non uno modo vertunt atque accipiunt verba: vel sic *contabescenti* vel *colliquescenti* ab amico fit *pietas* vel *charitas*, *at* nunc *timorem Dei* ille amicus *deserit*: ubi quod solet & decet afflictis ab amico charitatis officium solvitur, erga me illud omittitur. Vel, *liquescenti* ab amico fit *probrum*, *injuria* (vide hunc τ8 חסד significatum per antiphrasin Lev. xx. 17. Prov. xiv. 34.) & sic *timorem Dei*, qui proximi & amici charitatem requirit, *omittit*. Utraque versio respondet *perfidiae* quam vs. 15. seqq. amicis exprobrat. Nisi sic velis accipere: *liquescenti ab Amico fit probrum*, perfide agit amicus vel collectivè amici, charitatis loco injuriam rependunt, *sed an ille* liquescens, contabescens, etiam perfide agit, *timorem Dei omnisufficientis relinquit?* Nullatenus. vs. 15. *Fratres mei fefellerunt ut torrens: ut alveus torrentium, qui transeunt.* vs. 16. *Qui nigri sunt a glacie, quibus se insternit nix.* vs. 17. *Quo tempore incalescunt, abolentur: illius calore extinguuntur a loco suo.* vs. 18. *Retrahuntur itinera* viae *illorum: ascendunt in inane & pereunt.* vs. 19. *Spectaverunt viatores Thema, proficiscentes Saba exspectarunt illos.* vel *Circumspiciunt acri ac micante acie oculorum.* vs. 20. *Pudet, quod fisum est, veniunt illo & confunduntur.* vs. 21. *Nam nunc extitistis nihilum: vidistis consternationem & metuistis.* Ad hos vss. ita *Starkius.* vs. 16. dicuntur torrentes eleganti tropo obscurè sive pullatè stantes eo quod laetus eorum decursus per congelationem praepeditur (quemadmodum & terra dicitur lugere Joel. 1. 10.) *qui obscurantur a gelu sive glacie, super eos occultat se nix* i. e. longius durat quam in locis editis & collibus, ubi vento & soli magis est exposita, adeoque citius propellenda atque absumenda. vs. 17. *Tempore quo diffluunt exscinduntur* (exarescunt per metaphoram catachresticam) *incalescente eo* (sive tempore calido) *extinguuntur* (alia metaphora catachrestica) *e loco suo.* vs. 18. *Declinant* (huc illuc divertunt) *semitae*, viae *eorum*, *adscendunt in solitudinem* (inviam coll. Cap. xii. 24.) *Et pereunt.* vs. 19. *Respexerunt eas viae, itiones* (i. e. viatores, abstractum pro concreto sicut & in seqq.) *Themae* i. e. Arabiae desertae sic dictae a filio Ismaelis Thema Gen. xxv. 15. *Ambulationes* (viatores) *Schebae* (dictae a Nepote

pote Abrahami ex Ketura Gen. xxv. 3.) *expectarunt sibi eos*, cum desiderio scil. sperantes se ex iis sitim levaturos. vs. 20. *Pudefacti sunt, quod confisum sit* (sive confisus sit quisque eorum, in eis) *veneruntque usque ad eos* (s. locum eorum) *& erubuerunt* (ob spem frustratam). Hucusque protenditur protasis comparationis qua Jobus amicos suos tepidos torrentibus comparat, hoc sensu: etsi torrentes ocyus inundant vs. 15. suntque hieme conglaciati, ita ut videantur duraturi etiam aestate, & glacie resoluta potum praebituri sitientibus vs. 16. tamen res longe secus se habet, nam aestate diffluunt & exarescunt vs. 17. quapropter homines ex aestu laborantes siti, quum potum ex iis torrentibus petere cupiunt vs. 18. 19. spe sua frustrantur vs. 20. 21. *Nam nunc adestis ei!* (ceu Phrasis sumitur Gen. xxxi. 42. & Ps. cxxxiv. 1. Et loquitur Jobus de se in tertia persona) *videtis terrorem* (terribilem plagam meam) ideo *timetis.* vs. 22. *Num quod dixerim, date mihi, & de viribus vestris muneramini pro me?* vs. 23. *Et liberate me ex manu hostis: aut e manu violentorum redimite me?* Numquam hoc petii.

F. Vanitatem sermonis ab Eliphaso habiti explodit, sanos sermones verè arguentes illi opponit, judicium atque affectum corrigant serio admonet, atque attentionem ad sermones suos ceu verissimos provocat. vs. 24-30. vs. 24. *Docete me, & ego silebo, &, quidnam erraverim, facite me intelligere.* vs. 25. *Quam acria sunt dicta recta! Et quid arguet arguendo aliquis vestrum.* Vel *At quid arguet arguendo* (quispiam) *ex vobis.* vs. 26. *Num arguendos esse sermones* (meos) *putatis? & in Vanum* (nihilum) *esse verba hominis desperati*, (qui obnubilata ex sensu mali mente, nescit quid loquatur? Vel potius qui non loquatur ex sincerae in Deum pietatis conscia Mente? Vel *Numquid arguere verba putatis? & pro vento dicta desperati reputatis?* vs. 27. *Iram in pupillum effunderetis? Et foderetis foveam contra socium vestrum?* Aliter vertit Starckius. *Quinimo super pupillum* (me auxilio solatioque orbum) *projicere vultis* (scil. sortem. Quod vocabulum sortis non raro est ellypticum vide Jos. vii. 14. 1 Sam. x. 20. xiv. 41. 42. in quo ult. itidem in hiphil הפילו *projicite* adhibetur defectivè sed plene 1 Chron. xxvi. 14. Jon. 1. 7. Jes. xxxiv. 17.) *& epulari*

lari super amicum Vestrum Cap. XL. 3. ubi idem verbum in eadem constructione, num convivantur super ipsum consociati? nisi quod heic agatur de convivio laeto super captura piscis, in nostro autem de lugubri, sic oratio eleganter mediante particula אף assurgit a *τῳ* נואש homine in extremis spei spirante ad *τὸ* projicere sortem super eum ad inter se partienda ejus bona, & habendum funebre convivium. Sed haec quaesitiora videntur. Simplicius Schmidius: *An super* me *orphanum cadere facietis* nempe quod facere solent cadere, retia vel capiendi instrumenta, quando manet in metaphora *& foveam foditis* amico vestro. vs. 28. *Nunc autem inducite animum, & respicite me: & coram vobis erit, si mentiar.* vs. 29. *Revertimini, ne existat injustitia: imo convertimini: adhuc justitia mea* est *in me.* vs. 30. *Estne in lingua mea injustitia? num palatum meum non internoscit noxia?* Ita *Starckius* vs. 28. *Nunc vero velitis respicere ad me*, an praecipitanter & inconsideratè locutus fuero? *& num ad faciem vestram mentitus fuero?* vs. 29. *Revertimini quaeso* (ad vos ipsos) *ne sit iniquitas*, iniquum perversum (judicium) *revertimini inquam denuo, justitia mea erit in ea re.* vs. 30. *Num erit in lingua mea* (sermone meo) *iniquitas? num palatum meum non intelligere faciet* (declarabit) *aerumnas* (meas) conf. Cap. VII: 11. & sic optime etiam cohaeret cum seqq. At vs. 29. Schmidius: *iterate* modo Disputationes, porro objicite si quid habetis, *absit tamen perversitas* i. e. sinisterior in disputando methodus & affectus.

CAPUT SEPTIMUM.

G. Docet hominibus esse luctam, ex ea non concludi *ὑποκρισιν* & enorme crimen sed divinam destinationem Cap. VII. 1. 2. vs. 1. *Nonne Lucta est homini in terra, & tamquam dies mercenarii* sunt *dies ejus?* vs. 2. *Ut servus anhelat ad umbram & ut mercenarius exspectat mercedem operis sui.*

H. Suam in specie luctam esse gravissimam talemque ut in hac vita restitutionem sperare non possit, quare mortem merito optet. vs. 3-18. vs. 3. *Sic hereditandos accepi mihi menses vanitatis, & noctes aerumnae assignarunt mihi.* vs. 4. *Ubi decubui, dixi, Quando surgam, emensusque fuerit vesper? Et satior jactationibus usque*

ad

ad crepusculum. Vel. *Quum cubitum eo, tum dico* (sive ore sive mente) *quando resurgam & emensa erit nox? nam satur sum crebris jactationibus* (np. in Lecto ab uno latere ad alterum) usque ad crespusculum matitunum (coll. 1 Sam. xxx. 17. Ps. cxix. 147.) ✝s. 5. *Induit caro mea vermes & ramentum pulveris, cutis mea discessit & tabuit*, vel *Induit caro mea putredinem & aestuantem pulverem* vel *purulentiam: cutis mea inhorruit, & vulneribus hiat.* vs. 6. *Dies mei leviores extiterunt textu & confecti sunt, ita ut non sit, quod exspectem.* ✝s. 7. *Memento, quod halitus* sit *vita mea, non iterum videbit oculus meus bonum.* ✝s. 8. *Non lustrabit me oculus ejus; qui videt me; si tuus oculus ad me* sit, *non ero.* ✝s. 9. *Consumitur nubes, & abit: sic* est, *qui descendit ad inferos, non adscendit.* ✝s. 10. *Non redit imposterum Domum suam; neque agnoscet eum amplius locus suus.* ✝. 11. *Etiam* igitur *ego non contineo os meum, loquar in arcto spiritus mei, dissero in amaritudine animae meae.* ✝s. 12. *Numquid ego sum mare, an balaena: ut ponas apud me custodiam?* ✝s. 13. *Quum dixi, consolabitur me sponda mea, feret de questu meo lectus meus.* ✝s. 14. *Tum me consternas somniis, & visionibus me perterres.* ✝s. 15. *Atque adeo elegit suffocationem anima mea, mortem prae ossibus meis.* ✝s. 16. *Tabui? non in saeculum vivam. Desine a me. nam vanitas sunt dies mei.* ✝s. 17. *Quid est homo, ut magnum facias ipsum? & ut advertas ad ipsum? & ut advertas ad ipsum cor?* ✝s. 18. *Atqui visitas ipsum singulis matutinis, in momenta exploras ipsum.*

1. Cum Deo condendit, cur sibi qua foederato, peccatori licet quod non negat, peccata & noxias peccati sequelas non remittat, cur tam dure agat, qui id cum oeconomia cum foederatis consistere possit? vs. 19. 20. vs. 19. *Quantum* est, quod *non respicis a me! non omittis me, dum deglutiam salivam meam.* vs. 20. *Peccavi tibi, quid faciam tibi, ô qui custodis homines? Quare posuisti me in offendiculum tibi, ut sim mihi oneri?*

CAPUT OCTAVUM.

2. Sermo secundus Bildadi ad eumque Jobi Responsio.

a. Sermo est Cap. VIII.

A. Quasi Jobus cum Deo contendendo se omnino pro

 justo

justo haberet, & sic agendo Deo injustitiam tribueret nisi se impium agnoscat vs. 1. 2. 3. vs. 1. *Et respondit Bildad Suchaeus, & dixit.* vs. 2. *Quo usque fabulaberis haec? Etenim ventus vehemens sunt dicta oris tui.* vs. 3. *An Deus perverteret judicium, & an omnipotens perverteret justitiam?*

B. Eadem cum Eliphaso corda oberrans arguit, Deum justis benedicere, impios plectere; quare Jobum ad poenitentiam graviter monet, exemplis dicta sua confirmat, comminationes promissis oppositis urget, a vs. 4-22. vs. 4. *Si liberi tui peccaverunt ipsi, dimisit illos in manu defectionis suae.* vs. 5. *Si tu requiras Deum, & omnipotenti Supplicaveris.* vs. 6. *Si tu purus & rectus sis, sane tum vigilabit super te, integrabit mansionem justitiae tuae.* vs. 7. *Et, si fuit initium tuum purum, tum finis tuus abundaret valde.* vs. 8. *Nam roga, age, aetatem priscam, & dirige te ad ultimum patrum eorum.* vs. 9. (*Nam hesterni nos sumus, neque scimus. Nam umbra sunt dies nostri in terra.* vs. 10.) *Nonne docebunt te, dicent tibi, & ex corde suo proferent voces?* vs. 11. *Numquid extollitur papyrus sine caeno: crescit ulva sine aquis?* vs. 12. *Dum est in virore suo, non caedatur, &* nihilominus *ante omnem herbam arescit.* vs. 13. *Sic sunt itinera omnium oblitorum Dei: & exspectatio hypocritae perit.* vs. 14. *Quod* quis *fastidiat,* est *confidentia ejus.* vs. 15. Si *innitatur domui suae, non stat; si apprehendat, non manebit.* vs. 16. *Succosa est illa ante ortum solis* cujus aestum ferre nequit *& per hortum suum stolo ejus prodit* posteritas vel alius qui in locum ejus venit conf. vs. 19. vs. 17. *Per acervum radices ejus implicantur, domum lapidum videt.* vs. 18. *Si eam exscindat e loco suo* Deus *abnegabit illam* Locus *dicens non vidi te:* vs. 19. *Ecce haec* est *alacritas viae ejus, & ex pulvere regerminant.* vel sic vs. 17. *Juxta scaturiginem radices ejus implicantur:* attamen *locum* (fundum) *lapidosum videbit* (experietur) Aptior omnino heic est significatio *scaturigenis* in voce dubia גל obtinens quoque Cant. IV. 12. coll. Jer. XVII. 8. quam *acervi lapidum* quandoque sic membra non sunt bene distincti sensus sed perplexi & ferè tautologici; Hemistichium primum adhuc cohaeret cum versu praeced. 16. describens ulterius bracteatam felicitatem hypocritae cum frutice vel arbore comparati coll. Ps. XXXVII. 35. nempe non est illa vera scaturigo bene

maledictionis divinae. Ita *Starkius*; alii, esse impium similem plantae, quae terram quidem radices admittentem habeat, mox vero infra illam Lapides multos aut Petram, in quas radices suas immittere nequeat, ita ut succum ex inferiori parte attrahere non possit, atque adeo quando sol urit & superficiem exsiccat exarescere cogatur. vs. 18. Si *absorbebit eum* (absorbens nempe Deus) *tum negabit eum* (locus ejus quasi dicens) *numquam vidi te*: vs. 19. *Ecce hoc gaudium viae ejus* sed loco eorum *ex pulvere* (i. e. ex statu misero & abjecto conf. 1. Sam. 11. 8.) *alius* (hic ille iste pius) *efflorebunt* conf. Sirac. x. 18. Hanc antithesin exigit scopus Bildadi utpote qui non tantum impiorum exitium, sed e contrario etiam piorum restitutionem probare volebat. vs. 20. *Ecce Deus non spernit integrum, neque apprehendit manum maleficorum.* ℣s. 21. *Adeo ut Impleturus sit risu os tuum & labia tua jubilatione.* ℣s. 22. *Osores tui induendi sint pudore, & tabernaculum Improborum non sit futurum.*

CAPUT NONUM.

ב. Jobi Responsio. Respondet Cap. IX. sermones suos perperam accipi.

A. Se non negare hanc veritatem, Hominem apud Deum non esse justum, cum Deo non posse contendere. vs. 2. *Certe novi, quod ita sit. Et quid justificaretur homo cum Deo?*

אא. Cum propter hominis delicta plurima. ℣s. 3. *Si velit contendere cum ipso, non respondebit ipsi ad unum e mille.*

בב. Cum propter Dei sapientiam & robur, quod ipse abunde demonstrat in operibus suis ℣s. 4-9. vs. 4. *Sapiens corde & robustus viribus est. Quis durum se praeberet illi & pace frueretur?* vs. 5. *Qui transfert montes, & non sciunt; qui evertit illos in ira sua.* vs. 6. *Qui facit terram moveri de Loco suo, ut columnae ejus contremiscant.* vs. 7. *Qui dicit soli, & non oritur, & obsignat stellas.* vs. 8. *Qui extendit caelum solus, & calcat celsa maris.* vs. 9. *Qui fecit Arctum, orionem & plejadas & penetralia Austri.* De his deinceps dicemus Cap. XXXVIII. 31.

גג. Cum propter hominis ignorantiam; vs. 10. *Qui facit magna, adeo ut non sit pervestigatio; & mirabilia, adeo ut non sit numerus.*

דד. Cum

דד. Cum propter Dei absolutum jus. vs. 11. 12. vs. 11. *Ecce praeteribit praeter me & non videbo, transibit & non sentiam.* vs. 12. *Ecce rapiat, quis coget eum restituere? Quis dicet ipsi: Quid facis?* vel *Si* Deus *rapuerit* quidquam (ut opes & liberos conf. Cap. 1. 21.) *quis restituere faciet eum*, vel *avertet eum?*

B. Nolle se Deo responsare, quasi plane peccati purus esset (quamquam justus sit imputata sibi justitia) se potius gratiam ejus imploraturum vs. 13. 14. 15. vs. 13. *Si Deus non avertat iram suam, sub ipsa humiliantur omnes adminiculatores ferociae.* vel. *Adjutores superbiae.* רהב bellica vox respiciens superbiam magnatum, quorum alii aliis suppetias ferre dicuntur, proximo unicè nocendi studio, neque tam belli caussam considerantes, quam propriae auctoritatis augmentum quaerente. conf. 1 Chron. XII. 1. ubi in bonam partem vel praescindendo vocantur *adjutores belli*; sic & passim antonomasticè AEgyptus propter summam suam superbiam nuncupatur רהב Ps. LXXXVIII. 4. & LXXXIX. 11. Jes. XXX. vs. 7. & LI. vs. 9. vs. 14. *Tantum abest, ut ego ipsi responsurus sim, delecturus verba mea cum ipso.* vs. 15. *Qui, si justus sim, non respondeam, judicanti me supplicem.*

C. Tantam agnoscit Dei absolutam potestatem, ut Jobum *affligat absque caussa*, id est tali quae cum tam dura conditione nexum habeat; facit ille hoc pro absoluto suo jure, eousque ut in hac vita liberationem sibi spondere non possit, siquidem tam projecto ut qui in hac afflictione, si Deus ipsi responderet, non crederet tamen se exauditum vel liberatum iri pro eo quo nunc est statu a vs. 16-18. vs. 16. *Si vocem: ut respondeat mihi, non credam, quod auscultaturus sit voci meae.* vs. 17. *Qui potius in turbine attereret me, & multiplicaret vulnera mea sine causa.* vs. 18. *Non permitteret reducere spiritum meum, sed satiaret me amaritudinibus.*

D. Ponit ergo & Dei robur invictum & jus absolutum, ut communis judex & arbiter nullus futurus sit, qui Jobo securitatem praestet vs. 19. *Si vires: contentissimas ecce! & si ad judicium: quis condicet mihi?*

E. Agnoscit itaque defectum justitiae illius, qua Deo con-

contendenti satisfacere possit, si absolutum ejus jus spectes, adeoque hoc intuitu, sit justus integerque licet, causa tamen cadet ℣s. 20. 21. vs. 20. *Si justum adsfererem me os meum condemnabit me: integer sim, pronunciabit me perversum.* ℣s. 21. *Integer sim, non agnoscam animam meam, reprobo potius vitam meam.*

F. Hoc tamen non obstante verum manet, quin & hinc deduci posset, quod Deus & justos & impios plectat, & judicia externa, quin & tentationes & afflictiones occultae certa non sint criteria vel hominis impii & hypocritae vel integri (secus quam voluerant Eliphas & Bildad.) Hoc autem unum justam existimat esse quaerimoniae Materiem quod Deus ita justos & injustos sine discrimine habeat, in quo certe durius loquitur. ℣s. 22. *Hoc unum est, propterea dixi: integrum & improbum ipse conficit.*

G. Hinc redit

ℵℵ. Ad judicia generalia ℣s. 23. 24. ℣s. 23. *Si flagrum interimat subito, tentationem innocentium ridet.* ℣s. 24. *Terra data est in manum improbi,* qui *faciem judicum ejus tegat. Si non* ita est: *ubi quisnam est?* Exhibeamus hic quae habet *Starckius* ad vs. 16-24. *Si clamarem ut responderet mihi, non crederem quod attenderet voci meae*, quando bene cohaeret cum vs. praeced. *quod si vel justam causam habeam, non ausim responsare contra judicem meum* &c. Nec minus cum vs. seq. 17. in sensu adversativo: *qui potius turbine* (tempestate procellosa & horrida ob cognationem radicum סער & שער) *contriturus esset me, & multiplicaturus vulnera mea sine omni gratia*, sic *το* חנם heic vertendum, dum *το gratis* heic non quadrat; ita *Starckius*. Sed quia de eo significatu nondum constat, potius *το* חנם erit *ultro*, nempe a me non lacessitus provocatus. vs. 18. *non sineret mihi reducere spiritum meum, sed satiaret me amaritudinibus.* ℣s. 19. *si ad vires*, sive *robur robusti* (sc. venit)? *ecce habet*; *aut ad judicium, quis litem contestabitur mihi.* ℣s. 20. *Si justum adsfererem me, os meum condemnaret me*; *si integer ego, tamen perversum faceret* declararet *me* sc. os meum, vel Deus, quod perinde. vs. 21. *Posito etiam perfectum me esse. Non novi animam meam*, ut principium ejus; quod Apostolus forsan huc respiciens, eodem sensu explicatius effert *ουδε εμαυτον ανακρινω*, *neque me ipsum judico*; quantum nempe boni &

doni

doni Dei gratia in me operata sit, posueritque, licet nihil mihi conscius sim, תם אני, non tamen in hoc justificatus sum propter relliquias adhuc veteris Adami 1 Cor. IV. 3. 5. sic ille; simplicius tamen est: *non agnosco animam meam*, non omnino adprobo, potius *reprobo vitam meam*, non omnis labis expertem. ỷs. 22. *Equidem unum hoc secundum veritatem dixerim, pium & impium ille consumit.* vs. 23. *Si flagellum occidit* (hominem repente) *tentationem etiam innocentium ridet* i. e. non curat. vs. 24. *Terra datur in manum impii* (tyranni) *qui facies judicum ejus operit* i. e. deponit, damnat, exilio & morte mulctat. Mœrorum enim & damnatorum facies operiebantur; sicque justitia defensoribus caret, & pii opprimuntur. *Nonne heic* (in negotio poenarum temporalium) est *quisquis fuerit.* Ita simplicius & scopo Jobi conformius redditur. Atque pathetico epiphonemtae vehementem asseverationem & persuasionem valente probatam thesin suam claudit, quam tamen in seqq. ab exemplo suo mediante copula ו etiam *dies mei* felices *velociores fuerunt cursore* &c. ulterius illustrat. Coeterum de particula אפו commodum observat *Varenius* in Com. ad Jes. XXII. 1. Semper ei inesse, sive suppositionem topicam sive ipsius argumenti, ut sit: *in hoc negotio, hac in re*, idque vi compositionis ex אי פה. Ita Starckius. Alii tamen *si non ergo* Deus est, qui illa omnia ita dirigit, *ecquis* alius ille est. Vel *si non ita, ecquis est ille* qui me falsi convincat?

בב. Et suam in specie afflictionem vs 25-28. vs. 25. *Et dies mei leviores fuerunt cursore: evaserunt, non viderunt bonum.* ỷs. 26. *Praetervecti sunt cum navigiis secundo vento utentibus: ut aquila*, quae *volat ad cibum.* ỷs. 27. *Si dicam: obliviscar querimoniam meam, deponam vultum meum, & respirabo*: vel *Faciem meam nubilam mittam eamque serenabo, Renidentem dabo.* vs. 28. *Timeo omnes dolores meos: novi quod non sis me liberum dimissurus.*

H. Quare sic concludit.

אא. *Sim ergo reus*, nempe pro illa absoluta potestate & defectu justitiae vel puritatis talis quae Deo contendenti facere possit satis ỷs. 29-31. ỷs. 29. *Sim igitur reus: cur in vanum laborabo?* ỷs. 30. *Si lavi me aquis nivis, & mundavi puritate*

tate manus meas: ỷs. 31. *Tum in foveam me demergis, ut abominentur me tunicae meae.*

בב. Et, si vel ex alio jure, nempe quod fluit ex foedere gratiae, contendere cum Deo vellet, *non est arbiter inter utrumque* vs. 32. 33. vs. 32. *Sed non homo, ut ego, respondebo ipsi, non veniemus una in judicium.* ỷs. 33. *Non est inter nos arbiter*, qui *injiciat manum utrique nostrum.*

גג. At vero si terribili illa majestate, quae nunc illum attonitum reddit, non terreretur, existimat se cum Deo foederato suo posse contendere & innocentiam suam probare. vs. 34. 35. vs. 34. *Auferat a me virgam suam, & terribilitas ejus non perterrefaciat me:* vs. 35. *Tum loquar: & non timebo eum, quod non sim talis* vel *ita apud me.* Vel *Nam non sic* (si tremendam majestatem ejus. ỷs. 34. vereri debeo) *ego sum penes me*; tunc mihi compos non sum, non enim vult cum Deo litigare, sed majori cum parrhesia causam suam agere. Notanda hic est vox עמדי quod non comitatum modo sed etiam potestatem in aliquem notat, cf. Ps. L. 11. *Fera agrorum est mecum* i. e. in potestate mea. Ita *Starckius.* Alii tamen. *Non ita sum*, talis, qualem me criminantur, non sum apud meam conscientiam.

CAPUT DECIMUM.

1. Interim pergit ille queri de gravissima sua afflictione sine causa sibi immissa Cap. x. vs. 1. 2. vs. 1. *Taedet animam meam vitae meae: relinquam apud me querimoniam meam; loquar in amaritudine animae meae.* vs. 2. *Dicam ad Deum: noli me condemnare*, sed *notifica mihi, cur mecum litiges.*

א. Expostulat cum Deo, rationibus petitis

אא. A gloria Dei, cujus interfit, ut gratiam Jobo collatam non spernat & ad consilium improborum ne alluceat. ỷ. 3. *Num bonum tibi* est, *ut opprimas, ut spernas laborem manuum tuarum? & ad consilium improborum alluceres?*

בב. A discrimine, quod est inter Deum atque mortalem judicem, cum a Deo omnis affectus, inconstantia, non-cognitio causae & necessitas quaestionem habendi per tormenta longe absit vs. 4-7. vs. 4. *Num oculi carnis sunt tibi?*

 Num-

Numquid, ut videt homo, vides? ℣s. 5. *Numquid ut dies mortalis sunt dies tui: an anni tui, ut dies hominis?* ℣s. 6. *Ut requiras pravitatem meam, & peccatum meum exsequaris?* ℣s. 7. *Tibi constat quod non sim improbus & non est, qui e manu tua eripiat.*

ℵℵ. Ab amore erga se Dei creaturam, & quidem talem, quae ad imaginem Dei renovata est. vs. 8-12. vs. 8. *Manus tuae elaborarunt me & perfecerunt me, simul undiquaque destruis me.* vs. 9. *Memento, quaeso, quod ut lutum feceris me: & in pulverem rediges me.* vs. 10. *Nonne ut lac fundebas me, & ut caseum coagulabas me?* vs. 11. *Cuti & carne induebas me, & ossibus ac nervis texebas me?* vs. 12. *Vitam & gratiam fecisti mecum: & visitatio tua conservabat spiritum meum?*

L. Dicit haec praecognita fuisse, sed ante eventum abscondita, quamquam de illis jam antequam nasceretur constituisset Deus vs. 13. *At haec condidisti in corde tuo*, (*novi quod hoc apud te fuit.*)

M. Redit ad suam cum Deo expostulationem, quasi diceret, *si peccarem*, i. e. plane a foedere & justitia tua aberrarem, *tu me observares, & a pravitate mea non absolveres*, si רשע / *si impius essem*, plane destitutus justitia quae per fidem est, *vae mihi!* heic equidem nexum viarum tuarum assequor; sed *justus sum* per justitiam fidei, & purus sceleris, quod de me suspicantur, *& tamen caput non attollo*, heic haereo. Preces intermiscet, *satis habeas ignominiae & vide impotentiam meam; an erigeretur; attolleretur*, subaudi caput meum, *contra ut Leo robustus venaris me* &c. Sic ergo denuo in querelas erumpit. vs. 14. 15. 16. 17. vs. 14. Nimirum, *si peccem, observaturum te esse me, & a pravitate mea me non absoluturum.* vs. 15. *Si improbus essem, vae mihi! Etiam ubi justus sum, non attollo caput meum.* (*Satis habeas ignominiae, & vide impotentiam meam*) vs. 16. *Et, putasne, erigeretur. Ut robustus leo venaris me, & identidem-mirifice-impetum-facis in me.* Ita *Starckius: si attollit se, sicut leo venaris me*, quae verba immediate excipiunt cum prono quidem nexu vs. 15. *Si impius sum vae mihi! si justus, nec attollere queo caput meum* utpote qui *satur sum ignominia & videndo afflictionem meam.* Quorsum referendum est verbum *& attollit se.* De eo est diffidium, aliis ad proximum subjectum *afflictio* aliis ad remotius *Caput* referentibus. Placet autem

tem posterior constructio, quum in propatulo sit verbum istud altitudinis, elevationis, magis proprie competere capiti quam afflictioni de qua adhiberetur potius vel crescere augeri &c. vs. 17. *Immovas testes tuos adversum me & multiplicas indignationem tuam mecum, permutationes, vicissitudines eaeque militares sunt mecum.* Vel. *Instauras testes tuos contra me & multiplicas indignationem tuam in me. Vicissitudines & statio* sunt *apud me.*

N. In graviore παροξυσμῷ effusae videntur querelae. vs. 18. 19. vs. 18. *Et quare ex utero eduxisti me: expirassem: oculus non vidisset me.* vs. 19. *Quasi non extitissem, fuissem, ab utero ad sepulchrum delatus fuissem.*

O. Ad se rediens respirationem aliquam, aliquem gratiae influxum petit, ne absque gratia reddita decedens abeat in atrae & infelicis mortis loca. Scit equidem, qui redemptorem amplexi sunt ab inferno liberatos esse, sed novit simul nexum esse inter gratiam interque de orco victoriam vs. 20-22. vs. 20. *Nonne parum dierum meorum deficiet? Ergo castra tua move a me, ut respirem paululum:* vel *recedas a me ut paulisper renidescam, vultum nubilum differenem.* Starckius: *nonne paucitas* pauci *dierum eorum desinet?* Vel secundum alteram lectionem *nonne pauci sunt dies mei? Desine ergo* O Deus, *deponat se* vel depone te a me, vs. 21. *Antequam abeam (& non revertar) ad regionem tenebrarum & umbrae mortis.* vs. 22. *Regionem vertiginis, ut in caligine, umbrae mortis, sine ordinibus: &* quae *si luceat, ut caligo est.*

CAPUT UNDECIMUM.

3. Sermo tertius qui est Sopharis & Jobi ad illum Responsio.

a. Sermo est Cap. XI.

A. Jobum reprehendit indefinite ob multiloquium & jactantiam intolerandam vs. 1-3. vs. 1. *Et respondit Tsophar Naamathaeus, & dixit:* vs. 2. *An multitudo verborum sine responsione erit? & an vir labiorum justus erit?* vs. 3. *Num jactantias tuas homines silentio praetermittent? &, quum subsannaveris, non erit confundens?*

B. Definite in Jobo culpat

אא. Quod dixerit doctrinam suam de Deo, nempe de Dei circa homines viis, esse puram. vs. 4. p. 1. *Nam dixisti: pura est oratio mea,*

בב. Quod dixerit se mundum esse in oculis Dei vs. 4. p. 2. *Et mundus extiti in oculis tuis.*

C. Quare optat ut Deus Jobo indicaret arcana sapientiae suae, quae fulget in operibus providentiae, vel in hoc mundo gubernando, cui Deus ceu sapiens justusque Rector praesidet, existimat tam longe abesse Jobum ab arcanis viarum Dei intelligendis, ut ne dimidium quidem certae cognitaeque veritatis attigerit, Jobum vel hac paesumtione, quam aluerit apud se, adeo graviter peccasse, ut calamitas illa peccato isto vix digna haberi mereatur, cum Deus ipsi quasi de summa debiti indiem adhuc credere videatur vel foenerare de pravitate ejus, vide Cocejum. vs. 5. 6. vs. 5. *Enimvero, utinam Deus loqueretur & aperiret labia sua tecum!* vs. 6. *Nam alterum tantum est in veritate.* Vel *duplicia* i. e. multiplicia sunt לתושיה *sapientiae solidissimae* divinae, quae nempe tibi reponat. Aliter *Starckius.* Dubia haecce verba ita interpretor: *& indicaret tibi profundissimam* (vi pluralis abstracti) & hinc tibi absconditam Sapientiam suam) de profunditate corruptionis humanae. De hac namque occulta sapientia, non qua Jobo tot mala infligi passus sit, potissimum agi certum est tam ex scopo, quam consequentibus. Constitutum enim erat Zopharo Jobi thesin subvertere vere asserentis supra Cap. x. vs. 7. *Secundum notitiam tuam* est ô Deus! *quod non sim impius*, quam vero perperam acceperat Sopharus, acsi dixisset: *Pura est Doctrina mea* seu institutum vitae meae *& purus sum in oculis tuis* i. e. judicio tuo, vs. 4. quasi prorsus immunem se professus esset a peccato contra innoxiam sane mentem Jobi verborumque ejus. Commisit igitur fallaciam ignorationis elenchi: *quod duplicitates* i. e. duplo majores sint iniquitates tuae, ex fine versus, *juxta solidam sapientiam* ejus. Ita convenientissime vocabulum תושיה exponi fatemur cum *Geiero* ad Prov. 11. vs. 2. aliisque locis plurimis. Sic ille, sed prius illud simplicius est.

D. Quod autem purum se dixerit esse in oculis Dei, adeo.

adeoque plecti tantum pro abſoluta Dei poteſtate, non juſtitia aliqua, quae inter has afflictiones & gravius aliquod peccatum vel *υποκρισιν* nexum fecerit, affirmat Sophar, Jobum in eo temerarium eſſe admodum, qui exiſtimet ſe intelligere ſcrutinium illud Dei, quo ille corda & renes ſcrutatur, & per operea providentiae ſuae hominum interiora detegit, hoc Dei ſcrutinium ſibi arrogare qui tam audacter de cordis ſui munditie coram Deo pronunciat. Quam vero ſtolidum ſit hominem de ſe praeſumere perveſtigationem illam Dei ſe aſſequi.

אא. Docet vs. 7-9. vs. 7. *Numquid perveſtigationem Dei aſſequeris? an uſque ad finem omnipotentis pertinges?* vs. 8. *Altitudines caeli ipſi ſunt quid facies? profundius inferno quid noſces?* vs. 9. *Longior terra* eſt *menſura ejus & latior mari.*

בב. Infert, ſicut omnia pendent ab abſoluta Dei poteſtate, ſic a juſta & ſapiente ejus providentia. Sic ut nemo hunc mundi Rectorem retroagere poſſit, nemo contra illum reſponſare. Dum hominum, quos plectit, animum novit, nullamque infert poenam niſi ob juſtas rationes. Sic etiam hominem ex his Dei viis debere diſcere ſit ne purus an impurus, non vana ſua debere ſtare opinione de cordis ſui puritate, per inflictas poenas *virum inanem & qui naſcitur pulli onagri adiſtar ſapientem reddi.* vs. 10-12. vs. 10. *Si pervadat* vel *ſi abierit* ab homine eum deſerendo *& includat* in manum hoſtium vel afflictionum *& caetum congreget* ad quem accuſandum. Aliter *Starckius*: vs. 10. *Si mutaverit* elementa *aut clauſerit* ita ut caelum non pluat 1 Reg. VII. vs. 34. & ſit ſicut aes & terra ferrum Deutron. XXVIII. vs. 23. ut aquae exſiccentur Job. 12. vs. 15. *Aut rurſus congregare fecerit* in unum nempe corpus ſive Chaos & in primum. תוהו ובוהו. Dijudicet exercitatus Lector utra acceptio ſit ſimplicior, an non prior illa? *Quis retroaget eum?* vs. 11. (*Nam ipſe novit homines temerarios: & videt vanitatem, & non animadverteret?*) vs. 12. *Et ſic vir inanis cor accipit, & pullus onager homo naſcitur. Starckius: nam ille novit homines falſitatis, & videt vanitatem* iniquitatem (ut ita inter שוא & און ſit elegans diſcrimen nexus, ut *defectus & effectus* iſque primus, ſequitur alter.) *& non animadverteret.* vs. 12. *Et vir vacuus* concavus confer Exod. XXVII. vs. 8. ſicut

cut tibia fistula sc. corde i. e. sapientia quod nomen latet in verbo *sapiens fit* nempe ex animadversionibus & poenis divinis, Deumque ut justum agnoscit & praedicat, *quum ceu pullus onager* ratione stuporis & intractabilis indomitique genii *nascitur homo* adeoque duris plagis coercendus & mitigandus.

E. Quare Jobum admonet injustitiam suam agnoscat, condemnet, coram Deo confiteatur, quando benevoli & condonantis numinis benedictionem in se sit derivaturus, quae sors beata procul absit ab iis, qui in improbitate sua perstant a vs. 13-19. vs. 13. *Si tu direxisti cor tuum, expandas, licet, ad ipsum palmas tuas.* vs. 14. *Si vanitas* est *in manu tua, elonga illam; neque committas ut habitet in tentoriis tuis injustitia,* vs. 15. *Tunc enim attolles faciem tuam ex labe, & eris firmus, non timebis.* vs. 16. *Nam tu aerumnam oblivisceris, ut aquas praeterlapsas recordaberis.* vs. 17. *Et supra meridiem stabit vitae lux: sit obscurum, ut mane erit.* vs. 18. *Et eris securus, quia est exspectatio: & protegeris, secure cubabis.* vs. 19. *Et recubabis, neque erit turbans: & supplices tibi erunt multi.* vs. 20. *At oculi improborum contabescent & effugium peribit ab ipsis: & exspectatio eorum erit efflatio animae.*

CAPUT DUODECIMUM.

B. Jobi Responsum. *Jobus*, divinam providentiam agniturus, & multo rectius quam fecerat Sophar descripturus, negat tamen consequentiam ex illo dogmate a Sophare deductam, docetque nullo modo sequi vel benedictiones vel afflictiones in hac vita indices esse animi vel projecte impii vel admodum pii.

A. Retundit vanam sapientiae praesumtionem Cap. XII. vs. 1-3. vs. 1. *Respondit Ijob & dixit.* vs. 2. *Certe, Nam vos estis populus & vobiscum morietur sapientia.* vs. 3. *Et mihi tantumdem cordis est ac vobis: non sum inferior vobis, & cum quo non sunt talia?*

B. Et queritur se ab amicis male habitum & simul hoc suo ipsius exemplo ostendit falsitatem consequentiae, quam Sophar nexuerat, se nempe justum integrumque hominem (quidquid contra sentiant amici) ridiculum esse, esseque hanc nonnunquam communem piorum sortem vs. 4. 5. vs. 4. *Deri-*

di-

diculum amico suo, qui est, *is ego extiti: invocans Deum, cuique is respondet: deridiculum* est *justus integer.* vs. 5. *Ad calamitatem contumelia apud nitelam tranquilli parata est vacillantibus pede.* vel *Fax, lampas, contemta juxta cogitationes* (vel ex usu verbi Hebraei *respectu nitoris*) *tranquilli* (more tranquillorum seculi) *positus ad nutantes pede* sive nutationes pedis, lapsui proximus est aeque ac lampas contemta extinctioni.

c. Contra asserit impiis plerumque tranquilla esse omnia; at vero cum ratione nemo neget per divinam providentiam benedictiones illas in manus ipsorum adduci, qui dubitat roget pecudes, alites coeli, pisces maris hominum impiorum usibus tam lautis cedentes, terramque ipsam proventu tam ubere illos beantem, an quis neget manum Dei, providentiam ejus, haec omnia facere, ut illis tam abunde prospectum sit? vs. 6-9 vs. 6. *Tranquilla sunt tabernacula vastatoribus, & res securae irritantibus Deum: illi cui Deus* haec *venire fecit*, adduxit, *in manum ejus posuit.* vs. 7. *Enim vero roga, age, pecudes, & docebunt te: & alites coeli, & indicabunt tibi:* vs. 8. *Aut colloquere cum terra & docebit te: & narrabunt tibi pisces maris.* vs. 9. *Quis non novit per omnia haec, quod manus Dei fecerit hoc?*

D. Docet omnimodam rerum omnium a Deo dependentiam vs. 10. *In cujus manu est anima omnis viventis & spiritus omnis carnis viri.*

E. Verum enim vero in hoc dogmate *probe* sapiendum esse & pulcre discernendum *sicut auris verba probat & palatum cibum gustat*, hoc longo usu acquiri. Nisi vs. 11. verba vertas *num in Decrepitis est sapientia*, an certandum est non rationibus sed Auctoritate & vetustate, quam Amici Jobi crepabant? vs. 11. 12. vs. 11. *Annon auris verba probat, ac palatum cibum gustat sibi?* Nempe utrum bene an male aliquid dicatur ut homo prudens non tam auctoritate senum quam judicio proprio niti possit & debeat, *nonne auris sermones probat? &* vel *sicut palatum cibum gustat sibi.* vs. 12. *In vetustis* est *sapientia & in longaevis prudentia.* vel interrogative: Num in Vetustis est? vel *Num in decrepitis est sapientia* & *in longitudine dierum intelligentia?* Putatisne sapientiam consistere in aetate grandaeva ac proinde sapientia antiquorum nitendum esse? vs. 13. *Penes eum* Deum est *sapientia*

tia vera folida perfecta &c. Significat plus nitendum esse verbo divino vs. 13. & prudenti ratione vs. 11. quam auctoritate antiquorum vs. 12.

אא. Propterea allegat Dei Sapientiam & potestatem vs. 13. 14. 15. 16. p. 1. vs. 13. *Cum ipso est sapientia & praepollentia: ipsi* est *consilium & prudentia.* vs. 14. *Ecce evertat, & non aedificatur: includat quemquam, & non relaxatur:* vs. 15. Ecce, *coerceat aquas, & exsiccantur: & dimittat illas, & evertent terram.* Alluditur forte vs. 14. ad turrim Babelicam & vs. 15. ad diluvium. vs. 16. p. 1. *Cum ipso* est *robur & res,*

בב. Dependentiam rerum omnium; malorum etiam.

αα. Cum turpium: vs. 16. p. 2. *ipsius enim est qui errat & qui seducit.*

ββ. Cum Tristium, quod patet ex providentia ejus circa calamitates quas cum populi rectoribus, a quibus malum in subjectos manat, cum ipsis populis (mutante tamen aliquando vicissitudines Deo) immittit vs. 17-25. vs. 17. *Qui ducit consiliarios spoliatos, & judices facit insanire.* vs. 18. *Cingulum regum solvit, & stringit lumbos eorum cingulo.* vs. 19. *Ducit sacerdotes spoliatos & strenuos intricat.* vel. *Qui Principes traducit exspoliatos, & Perennes i. e. opulentos, copiosos, omnibus fortunis circumfluentes subvertit.* vs. 20. *Qui avertit labium iis, qui in fide sunt, & judicium seniorum tollit.* vs. 21. *Effundit ignominiam in principes, & cingulum promtorum laxat.* vs. 22. *Revelans profunda ex tenebris,* & qui *educit in lucem umbram mortis.* vs. 23. *Qui multiplicat gentes, & eas perdit: qui condit gentes, & ducit eas.* vs. 24. *Qui transversa agit corda capitum populi, & facit illos errare in informi, invio.* vs. 25. *Palpant tenebras & non est lux: & facit eos titubare, instar ebrii.* Exemplo sint AEgyptii & Jsrael.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

ף. Quare ex his patet, si divinae providentiae subsint omnia, mala etiam turpia & tristia, effecta providentiae divinae communis perperam confundi cum illo justitiae divinae actu, qui hominis animum vel integrum vel impium declaret; concludit contra, se hoc dogma melius perspicientem ex

illo

illo argui non posse. Cap. XIII. vs. 1. 2. vs. 1. *Ecce omnia vidit oculis meus: audivit auris mea, & consideravit sibi.* vs. 2. *Quantum vos scitis, novi & ego: non sum inferior vobis.*

G. Causam suam apud Deum ipse agere cupit, dum pessimi hujus rei arbitri sunt amici ejus vs. 3. 4. 5. vs. 3. *At enim ego ad omnipotentem loquor, & cum Deo argumento disceptare cupio.* vel: *Attamen ego ad omnipotentem loquerer & demonstrationibus vera evincere Deo* sive *apud Deum cuperem*; ita rectius pro virtute verbi redditur, minus bene disceptare cum Deo. Non enim dicitur עם אל cum Deo quod Jobus tamen alias facit, sed non recte, sed אל apud Deum. vs. 4. *Enim vero vos estis sarcinatores falsitatis, medentes nihilum omnes vos* estis. vs. 5. *Utinam silendo sileretis, id foret vobis pro sapientia.*

H. Causam suam perorat, futilitatem & impietatem, quae est in rationibus amicorum, detegit: ut illi quasi vero Deo patrocinentur, falsissima de eo praedicant, sic contumeliosi in gratiam Dei quam consecuti sunt pii a manu Dei durius pressi, & perperam Dei amorem favoremque transferentes ad homines externa benedictione mactatos, impios plerosque, quod utrumque Deo quam maxime invisum est; an stolidus ille error, & haec in gratiam Dei Sanctosque contumelia Deo placebit? ut sic Deus absolvatur, an illi opus est tali auxilio vel defensionibus illis, an non haec est προσωποληψια quamquam erga ipsum Deum? Non vult Deus absolvi nisi per argumenta verissima, quare minatur Jobus, qui hoc modo luditur frivolas atque impias illas rationes & sententias abominaturum Deum. ℣s. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. ℣s. 6. *Audite, agite, demonstrationem meam, & disceptationes labiorum meorum advertite.* vs. 7. *Numquid Deo loquemini injustitiam, & ipsi loquemini fraudem.* vs. 8. *Numquid faciem ejus accipietis? an Deo patrocinabimini?* vs. 9. *Eritne bene, cum scrutatus fuerit vos? An ut luditur homo, ludetis eum?* vs. 10. *Arguendo arguet vos, si in occulto faciem acceperitis.* vs. 11. *Nonne majestas ejus terret vos & pavor ejus cadit in vos?* vs. 12. *Memoriae vestrae* sunt *sententiae cineris: in umbones testaceos umbones vestri vertunt.*

I. Removet a se temeritatem dum suo loquitur periculo, nihilque sibi ab his dictis metuit; contra scit, *Deum sibi sa-*

saluti fore, quod nulli contingit Hypocritae, qualem perinde se non esse satis scit. vs. 13-16. vs. 13. *Silete a me, & loquar ego: & invadat me quidvis.* vs. 14. *Quare prehenderem carnem meam ponerem in palma mea.* Versio literae vs. 13. clara haec est *& transeat super me quidvis*, si Deo placet etiam gravius me affligat; non propterea patiar mihi a vobis persuaderi me esse impium. vs. 14. *Propter quid auferam carnem meam dentibus meis*, cur in proprium corpus injurius ero & saeviam; *si occiderit me* tamen *in eum sperabo*; *nihilominus vias meas coram facie ejus demonstrabo*, *etiam ille mihi erit in salutem.* vel vs. 15. *Ecce occidat me, non sperem* amplius: *tamen vias meas coram facie ejus demonstrarem.* vs. 16. *Etiam ipse mihi saluti* est. *Quia non coram ipso hypocrita veniet.*

ꝁ. Invitat amicos ad audiendam novam disputationem. vs. 17-19. vs. 17. *Audite audiendo verbum meum, & indicationem meam auribus vestris.* vs. 18. *Ecce, age, institui judicium. Novi, quod ego causam obtinebo.* vs. 19. *Quis est, qui litiget mecum? Nunc enim silebo & exspirabo.* vel melius *Ecce nunc si ordinavero judicium novi quod ego justificer, quis ille est ex vobis* qui *litigare vult mecum?* & mecum hanc litem ejusque definitivam experiri? *Quia nunc si tacuero tum expiravero.*

אא. Stipulatur conditiones, sub quibus disputationem cum Deo sit suscepturus, ne nempe terribili illa praesentia se terreat. vs. 20-22. vs. 20. *Verumtamen duo ne facias mecum: tum a facie tua non abscondar.* ℣s. 21. *Manum tuam longe amove a me, & terribilitas tua ne percellat me.* ℣s. 22. *Et* sic *voca, & ego respondebo: aut loquar, & responde mihi.*

בב. Queritur dure secum agi, & velut *constitui haeredem pravitatum juventutis suae*, quasi illae expiatae non essent ℣s. 23-27. vs. 23. *Quantum est mihi pravitatum & peccatorum? defectionem meam & peccatum meum notifica mihi.* ℣s. 24. *Cur faciem tuam occultas, & reputas me pro inimico tibi?* ℣s. 25. *Num folium de ussum agitares? & paleam aridam persequereris.* ℣s. 26. *Quia scribis contra me amarores, &* sic *heredem me facis pravitatum juventutis meae*, ℣s. 27. *Et ponis in cippo pedes meos, & observas omnia itinera mea, & ad radices pedum meorum facis tibi notam*, impressionem firmissimam. vs. 28. *Quum tamen ipsa*, utraque pedum radix, *veterascat* & *sicut vestem comedat eam tinea.*

CA-

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

גג. Queritur de sorte mortalis hominis, cujus vita brevis atque aerumnosa est, & Deum se talem in judicium trahere, cum satis sciat, Jobum integrum licet atque Dei foederatum non omnis labis purum esse, dum *purum ex impuro nemo dabit, vel unum.* ℣s. 1. 2. 3. 4. vs. 1. *Homo natus de muliere brevis est vitae, & satur commotionis.* ℣s. 2. *Ut flos exiverit, carpitur: & fugit, ut umbra, & non subsistit.* ℣s. 3. *Etiam super isto acuis oculos tuos & me trahis in judicium tecum.* vs. 4. *Quis dabit purum de impuro? non unus.*

דד. Vitam hominis adeoque & suam arctis limitibus non transiliendis circumscriptam esse, quare petit, ut absolvat tanquam mercenarius diem suum. vs. 5. 6. vs. 5. *Siquidem decisi* sunt *dies ejus, numerus mensium ejus* est *tecum, limites ejus fecisti & non transibit.* vs. 6. *Respice ab ipso (ut desinat esse) & absolvat tanquam mercenarius diem suum.*

הה. Sed illud heic deplorat, hominem qui moriens hinc abit in hac vita non denuo efflorescere, inque eo sortem ejus vel ipsa arbore in stolone repullulascente deteriorem esse. Qui vero cum ignomina decedit non evigilabit, non efflorescet ante συντέλειαν τȣ αἰῶνος τȣτȣ, donec hi coeli terraque haec praeterierint. vs. 7-12. vs. 7. *Profecto est arbori, quod exspectet. Si exscindatur, repullulescet, & stolo ejus non deficit.* vs. 8. *Si consenuerit in terra radix ejus & in pulvere moriatur stipes ejus:* vs. 9. *Ab odore aquae florescet, & faciet segetem ramorum, ut planta* recens. vs. 10. *At homo moritur & debilitatur: &* ubi *exspiraverit homo, ubi est?* vel *At homo moritur & plane debilitatus est,* i. e. nullas retinet vires reviviscendi, sese annovandi, sic servatur naturalis ordo & propria vis verbi חלש quam quoque requirit praevia similitudo arboris cum allusivo respectu hujus ad חלף vs. 7. & פרח vs. 9. collato etiam qua sensum vs. 14. vs. 11. *Abierint aquae de mari, tum* demum *fluvius arebit & siccabitur.* vs. 12. *At vir cubuerit* &c. Alii *Quemadmodum abeunt aquae e mari* vel *lacu:* quemadmodum maria parva vel Lacus quandoque exsiccantur, *& sicut fluvius* quandoque *siccatur ut arescat, sic etiam homo quum*

 occum-

occumbit non resurgit. Donec non sit caelum non evigilabunt, non excitabuntur, a somno suo.

ιι. At vero existimat plane, se hanc miserrimam conditionem suam in hac vita penitus eluctaturum non esse, adeoque cum ignomina discessurum sub suspicione enormis peccati, atque υποκριτευς; contumeliosum illud fore gratiae divinae, si ipse sic praeter causam hinc abeat, in hac vita causa integritatis suae succumbat. Quare.

αα. Affirmat se ipsam mortem non reformidaturum si modo detineretur in statu mortis donec ira Dei transiisset, sibique redire integrum esset ad integritatem suam gratiamque divinitus sibi collatam in hoc seculo adserendam. Sic enim Deus ipsum ex mortuis revocaret ante communem illum resurrectionis Diem, & ipsi resurgens responderet. vs. 13. 14. 15. vs. 13. *Utinam in sepulchro absconderes me, donec averteretur ira tua: poneres mihi modum, & recordareris mihi!* vs. 14. *Quum mortuus fuerit homo, an vivet?* si ita esset, *omnes dies Militiae, stationis, meae durarem, donec veniret Mutatio mea.* vs. 15. *Vocares enim, & responderem tibi: opus manum tuarum expeteres.* Starkius ita: *cunctis diebus militiae meae expectabo donec veniat mutatio mei*; sensum Loci praeclare aperit Scultetus: Haec est spes & expectatio mea in hac tam dura militia. Cap. VII. 1. aliquando me in melius mutandum, in futura resurrectione. Cap. XIX. 25. Jam sequitur cum eleganti nexu vs. 15. *Vocabis me & respondebo tibi* omnipotenti tua voce ex sepulchro me evocabis & ego tibi obediam Joh. XI. 43. 44. *opus manum tuarum expetes*, corpus quod primum creasti reduces & restitues ipsique benevolentiam tuam exhibebis. Ita *Starckius*, sed voces illas emphaticas nos etiam accipimus de Resuscitatione ex Mortuis, sed tali quae heic supponitur & frustra optatur ut quae fiat ante illum resurrectionis diem quo coeli hi transibunt.

ββ. At vero Deus rigidius quod existimat secum agit, infirmitates suas ita puniendo, ut ante vitae finem non restituatur, & sic hypocrisios nota immerito infamis in hac vita apud homines non justificetur.

γ. Quod

a. Quod dicit vs. 16. 17. vs. 16. *At nunc dum gressus meos numeras, an non observatorem agis super peccato meo?* vel *Enim vero nunc gressus meos exacte numeras non nisi observas peccatum meum.* Opponit hic Jobus actionem Dei suo voto vs. 13. quasi diceret optarem equidem me in statum mortuorum abscondi usque dum transiret ira tua, sed enim tu longe aliter agis mecum: quomodo versibus 14. & 15. parenthesi inclusis, connexio erit manifesta. vs. 17. *Obsignata est in crumena*, vel *quasi in sacculo* aut *fasciculo Defectio mea, & agglutinas ad pravitatem meam.* Vel *Et filum quasi nectis super delictum meum*, ne forte quid excidat aut dimittatur inultum.

b. Et de eo graviter queritur, quia spes nulla est hominem ante Resurrectionis diem in fine seculorum quo Coeli transibunt, ad hanc vitam redeundi vel quidquam cum ea commune habendi, sicut ubi mons & Petra loco moventur spes non est restitutionis in illum, vel Lapidi excavato spes integritatis, vel inundato frugum proventu spes messis. vs. 18-22. vs. 18. *Et Profecto mons cadens diffluit, & Petra transfertur ex loco suo.* vs. 19. *Lapides cavat aqua: inundat sponte nata sua pulvis terrae: sic exspectationem hominis abolevisti:* ỳs. 20. *Duriter tractas eum, etiam atque etiam, (& abit) varians faciem ejus, & abigis eum.* ỳs. 21. *Augescent liberi ejus, nescit: & minuentur, non animadvertit.* vs. 22. *At caro ipsius apud ipsum dolet, & anima ipsius apud ipsum luget.* Vel Ita vertimus: *certe caro illius propter ipsum* (neutraliter cum respectu ad omnia praecedentia quod nempe spem hominis de ablatione plagae tuae ac diuturniore vita perire facis vs. 19. *quod praevales ei perpetuo* ut moriendum sit ei *quod mutas faciem ejus & dimittis eum.* vs. 20. *Quod non novit* (post mortem) num filii sui sint honorati, an viles contemtique vs. 21. proter ipsum inquam *dolet & anima ejus propter ipsum luget.*

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Π. Sermonem Eliphasi alterum

a. *Eliphas*, eadem fere jam ante dicta repetens, Cap. XV.

A. In Jobo reprehendit.

ℵℵ. Quod

אא. Quod Dei justitiam negando religionem tollat. Et sic se indigna & inutilia loquatur. vs. 1. 2. 3. 4. vs. 1. *Et respondit Eliphas Themanita, ac dixit*: vs. 2. *Numquid sapiens eloquetur sententiam venti, & implebit Euro ventrem suum?* ℣s. 3. *Arguendo* arguet *ratione*, quae *non proficit, & verbis, quibus non proficiet?* ℣s. 4. *Etiamne tu aboleres timorem*, vel *Religionem*, *& tolleres orationem* preces *coram Deo?*

בב. Sermonem ejus callide quidem instructum; quod arguit ipsum esse *αυτοκατακριτον*, sed pravitatis manifestum esse vs. 5. 6. vs. 5. *Nam pravitatem tuam docet os tuum, & eligis linguam astutorum.* vs. 6. *Damnabit te os tuum & non ego, & labia tua respondebunt contra te.*

גג. Arrogationem singularis sapientiae, quasi vero homo nudius-tertius natus supra omnes sapiat veluti hominum non modo primus sed ante colles natus. vs. 7-10. vs. 7. *Num in secreto Dei audivisti & detraxisti ad te sapientiam?* vs. 8. *Num prior Adamo natus es? Et ante colles genitus es?* vs. 9. *Quid nosti, quod non norimus: percipis: quod non penes nos* sit? vs. 10. *Etiam canus etiam vetustus* est *inter nos, major patre tuo diebus.*

דד. Contemptum consolationum divinarum i. e. sermonum ab amicis habitorum ad solandum Jobum. vs. 11. *Numquid parum prae te sunt consolationes Dei, & verbum, quod clementer agit tecum?*

הה. Temeritatem periculosam, qua se Deo opponat, cum illo contendat. vs. 12. 13. vs. 12. *Quid aufert te cor tuum, & quo collineant oculi tui.* vs. 13. *Quod refundis in Deum spiritum tuum, & protulisti ex ore tuo verba?*

b. Refutat simul Jobum & ad se humiliandum monet, dum hominis nullum jus est apud Deum. Repetens fere eadem quae cap. IV. ex oraculo illo allegata fuerunt. vs. 14-16. vs. 14. *Quid est homo deploratus, ut illi sit, &, ut justus sit, natus muliere?* vs. 15. *Ecce sanctis suis non credit: & caeli non sunt mundi coram ipso.* vs. 16. *Quanto minus abominabilis & faetidus: vir bibens instar aquae injustitiam?*

c. Consulit illi rursus, ad Dei vias Improbos plectentis, bonos praemiantis, ut attendat, hanc esse priscam sapientum traditionem; & forte quod vs. 18. & 19. de *sapientibus terrae* recto-

rectoribus allegat, ferit ea quae Capite XII. Jobus de *consiliariis spoliatis & judicibus insanientibus*, &c. dixerat. Longa serie Eliphas improborum mala recenset, ipsos Improbos depingit, unde facile patet, quo loco Jobum habeat vs. 17-35. vs. 17. *Indicabo tibi, ausculta mihi, &, quod vidi, enarrabo.* vs. 18. *Quod sapientes indicant, neque celarunt*; acceptum *a patribus suis.* ℣s. 19. *Illis solis data erat terra, neque transit peregrinus per medium illorum.* ℣s. 20. *Omnibus diebus improbi ipse cruciatur, & numero annorum*, qui *reconditi sunt violento.* vs. 21. *Sonus pavorum est in auribus ejus: in pace vastator invadit eum.* ℣s. 22. *Non credit, se reversurum e tenebris, & praestolatur gladium.* vs. 23. *Jactatur ob panem, ubinam? Novit, in promtu sibi adesse diem tenebrarum.* vs. 24. *Percellunt eum arctum & angustia: prehendit eum, ut rex instructus in acie.* vs. 25. *Nam extendit ad Deum manum suam, & contra omnipotentem se effert.* vs. 26. *Currit contra illum cum cervice, cum crassitie umbonum clypeorum suorum.* vs. 27. *Quum operuerit faciem suam adipe suo, & fecerit striam ad ile.* vs. 28. *Et inhabitarit urbes deletas, domos non habitatas, quae dispositae erunt in acervos:* vs. 29. *Non ditescet, neque permanebunt opes ejus nec extendet se per terram plenitudo eorum.* ℣s. 30. *Non egredietur e tenebris, stolonem ejus exarefacit flamma, & retorrescit spiritu oris ejus.* ℣s. 31. *Ne confidat nihilo, qui deceptus erat. Nam nihilum erit ejus pensatio.* ℣s. 32. *Die non suo consummatur, & non viret ramus ejus. Ne confidat* Id est; impius &c. *in vanitate* in opibus suis & potentia sua *per quam* seducitur, *quoniam vanitas erit merces ejus. Etenim cum nondum* est vel impletus est *dies ejus tunc.* ℣s. 33. *excutit, ut vitis omphacem suum, & projicit, tanquam olea, florem suum.* ℣s. 34. *Nam coetus hypocritae solitudo est: & ignis vorat tabernaculum muneris.* vs. 35. *Praegnans est labore; (& parit nihilum) Et venter eorum instruit dolum.*

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

B. *Jobus* Cap. XVI. reponit jam eadem sa pius audita esse, quare Amicos

A. Culpat ceu molestos vanosque consolatores vs. 1. 2. 3. vs. 1. *Et respondit Job, ac dixit.* vs. 2. *Audivi talia multa;*

ta; consolatores molestiae omnes vos estis. vs. 3. *Est ne aliquis finis rationibus venti? aut quid te incitat, ut loquaris?*

B. Aliter se, si ipsi suo essent loco, se instituturum spondet vs. 4. 5. vs. 4. *Etiam ego, ut vos, loquerer? si esset anima vestra loco animae meae: necterem contra vos verba, & caput meum quassarem super vobis?* vs. 5. *Roborarem vos ore meo, & comploratio labiorum meorum parceret.*

C. Fusas querelas defendit:

אא. Si vel sermo ad levamentum non prosit, etiam silentium non profuturum vs. 6. *Si loquor, non coërcetur dolor meus. At, si abstineam, quid a me abibit?* vel *Si loquor non cohibetur dolor meus; si cessavero, quomodo a me abibit* dolor?

בב. Caussam denuo reddit querelarum suarum. vs. 7-17. vs. 7. *Enimvero, quandoquidem me defatigavit* dolor meus, *desolasti omnem coetum meum*: vs. 8. *Et quod me corrugasti, id testis factum est, & surrexit contra me macies mea, in faciem meam dicit.* vs. 9. *Ira ipsius laniat, & infestat me: frendet contra me dentibus suis, hostis meus acuit oculos suos in me.* vs. 10. *Pandunt in me os suum, per contumeliam percutiunt malas meas: pariter contra me impendunt se totos.* vs. 11. *Tradit me Deus iniquo, & per manus improborum incurrit in me.* vel *Et inter manus impiorum implicavit me.* vs. 12. *Tranquillus fui, & conquassavit me. Et deprehensa cervice mea, dissipavit me. Et posuit me sibi in scopum.* vel *Arripuit cervicem meam & diffregit me violentus.* vel *Et apprehendit cervicem meam & concutiendo dissilire fecit me.* Phrases sane valde emphaticae, quarum prior desumta est a luctatoribus, posterior eaque praegnans a testa. vs. 13. *Circumdederunt me sagittarii ipsius, fidit renes meos, neque pepercit, effudit in terram fel meum.* vs. 14. *Dirumpit me ruptura supra rupturam: currit in me, ut heros.* vs. 15. *Saccum assui super cutim meam, & foedavi pulvere splendorem meum*: vel Centonem consui super cutim meam: & haustus sum in pulvere cornu meum, hoc est quo ad cornu meum, *cornu meum*, opes, vires, dignitates, potentia, multo vulnere stratum, confectum exhaustumque, in pulvere & sordibus volutatur. vs. 16. *Facies mea collutulata est a fletu, & in palpebris meis est umbra mortis.* vs. 17. *Vice ejus*, quod *non* est *injuria in manibus meis, & oratio mea pura* est.

ℷℷ. Sco.

גג. Scopum sermonis sui apud Deum exponit, ut nempe ad aures divinas innocentiam suam alleget & probet vs. 18-22. vs. 18. *Terra, ne operias sanguinem meum, & ne sit locus* intercipiens *clamori meo!* vs. 17. *Eo quod non violentia est in manibus meis.* Alii *O terra ne tegas sanquinem meum! neque sit locus clamori meo.* Dixerat Jobus: *nulla injuria est in manibus meis:* jam ait: *O terra ne tegas sanguinem meum!* hoc est si injuria est in manibus meis nolo ut illam seu meum sanguinem i. e. graviora mea scelera terra tegat. Prius praeferimus & forte alluditur ad Abelem. vs. 19. *Etiam nunc, ecce, in caelis est testis meus, & conscius meus in excelsis.* vs. 20. *Illudunt mihi amici mei. Ad Deum stillat oculus meus.* vs. 21. *Ut ille* Testis meus *apud Deum* mihi misero *viro jus curet, &* idem pro me *Proximo suo* agat *filius hominus.* Versionis rationem infra dabo, vel & sic: *Ut ille* Testis & Servator meus in Coelis vs. 19. *Jus* & vindicias *paret* mihi misero *viro apud Deum, sicut homo* quis facit *proximo suo.* vs. 22. *Nam* quum *anni pauci venerint, viam, qua non revertar, ibo.*

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

דד. Continuat argumentum suum Cap. XVII. calamitatem suam enarrando atque justitiam causae & victoriam abdicando amicis suis provocatione ad sponsionem. vs. 1-4. vs. 1. *Spiritus meus destructus est: dies mei extincti sunt, sepulchra mea sunt.* vs. 2. *Annon ludibria apud me sunt, etiam in exacerbatione eorum pernoctat oculus meus?* vs. 3. *Pone, quaeso, fidejube pro me. Quis manui meae complodet* manum? vel *Interpone Te* quaeso custos & servator hominum, & *sponde pro me apud Te, ecquis* enim alius is est *qui manui meae* sua infixa manu *obligetur* vel spondere mihi possit hic, nisi Tu unus? Sic Schmidius Aliique. Sed ubi locum utrumque Cap. XVI. vs. 21. & Cap. XVII. 3. diu satis perpendi, videbar (quia Jobus graviter protestatur de innocentia sua, quam coram hominibus manifestam cupiebat ante suum ex hac vita exitum, quem prope abesse existimabat) verba modo sic simpliciter accipere (quemadmodum non aversor sensum mysterii plenum sed lubentissime ubi clatus est agnos-

co, ſic non ſine evidentiſſima ratione amplector) ſic inquam ſimpliciter accipere: utinam quis *arguat* diſceptet pro viro, cauſam ejus optimam adſerat, demonſtret *apud Deum*, *ſicut Filius hominis*, homo aliquis *pro proximo ſuo* arguit, ſubaudi apud judicem humanum, ea nempe parrheſia quis agat pro me coram Deo & rationibus illi extorqueat bonitatem cauſae meae publice coram hominibus declarandam, qua parrheſia & quo ſucceſſu quis inſtituit apud judicem hominem. Locum autem ſecundum ſic reddere: *pone*, interpone te, tuam fidem, *fide jube mihi* pro bonitate Cauſae amicorum meorum me cujuſcunque ſceleris poſtulantium, age hoc ſi quis audes, ſed ſat ſcio nullus erit; *quis ille* qui faciat *ut manus mea conplodatur*, qui pro illis ſpondere poſſit? Sed quia quod ad Locum priorem ellipſis id reticeret in quod heic rei momentum incumbit, nempe apud Deum agere ſic, *ea parrheſia* ut apud *judicem hominem*, Ellipſis illa admittenda non eſt. Quia etiam verba haec omnino videntur eſſe argumentum precum Jobi cujus oculus ad Teſtem ſuum in Coelis, Deum ſuum, ſtillabat, ut ille faciat, ne Gratia divina ignominiam pateretur per falſiſſimas amicorum de Jobo ſuſpiciones & criminationes, certe nihil ob eſt ſed omnia ſuadent ut illud יכח referatur ad Teſtem illum quem & vocat Deum ſuum, & quia optat orat ut ille cauſam ſuam agat apud Deum, occurrunt heic duae divinae hypoſtaſes; ſtillat igitur oculus ejus ad Deum ut *ille* pro ſe miſero *viro* cauſam ita apud Deum judicem peroret ut ſententiam coram hominibus pronunciandam qua Jobus abſolvatur obtineat. Et quid tunc vetat per *Filium hominis* בן אדם intelligere illum Filium hominis *κατ᾽ ἐξοχὴν* Pſal. VIII. in carne aliquando manifeſtandum, Meſſiam, Jobo utique cognitum, Redemptorem illum ſuum conſanguineum de quo ad Cap. XIX. qui Jobo jus procuret tamquam Amico, proximo ſuo, ipſi ab omni aeternitate a Patre dato, ſuo non uno nomine fratre & propinquo, quando *το* ובן אדם & ſimilitudinis & veritatis erit, agat is cauſam meam apud Deum tanquam Filius hominis qui & reſpectu divinae gratiae & naturae quam aliquando aſſumet me propinquum ſuum agnoſcit. Vel, ſi per Teſtem illum & Elohim ad quem ſtillat oculus ejus, intelligere velis ipſum ſpiritum

ritum S. Operis Divinae Gratiae in Jobo auctorem, & per Filium hominis secundam Hypostasin: Et per Elohim apud quem Causa disceptetur, jus procuretur, Patrem, habebis heic S. Triados Mysterium. Certe Spiritui S. (qui & alibi ceu advocatus, Causae Patronus occurrit, vide Zach. III. meumque ad illud Caput Commentarium) non sunt incongruae partes, Veram Jobo collatam Gratiam, quae ineptis ab Amicis Jobum hypocrisios & impietatis insimulantibus indigne habebatur, solidè adserere, eaque ut manifesta fieret procurare; quando, primum suum retinebit significatum. *Jus mihi curet ille* Testis meus, Elohim, *apud Elohim* Patrem, *&* idem agat *Filius hominis* (ille κατ᾽ ἐξοχὴν, quamvis ה non praefigatur uti neque Ps. VIII. 5.) pro me suo propinquo cujus causam velut consanguineus Vindex adserat. Quod ad Locum alterum Cap. XVII. 3. Quia το ערבני vertendum est si confers loca parallela Ps. CXIX. 22. & Jesaj. XXXVIII. vs. 14. *sponde pro me*, existimo, post interjectas querelas de citatissimo cursu appropinquante morte sua, ante quam causae suae decisionem publicam cupiebat, preces continuare ad eundem goelem suum, *pone*, vel interpone te, *sponde pro me*. Sed sequentia verba non ita accipio ac viri Docti quorum interpretationem adduxi. Ob nexum cum sequente vs. 4. sic mavelim: *Quis ille qui manui meae complodat* manum vel complodatur, qui, si Tu o! Deus causam meam publicè agere velis, pignore aliquo mecum contendere ausit, vel Amicorum meorum aliquis, vel alius pro illis, non meam sed ipsorum causam victuram? Nam Tu vs. 4. *Cor ipsorum abscondisti ab* illa *intelligentia*, qua opus divinae gratiae, Lucis & tenebrarum terminos, dignoscant, & de Tuis mecum viis recte judicent, *ideo non facies ipsos superiores* in hac causa. Ego certè pro causa mea triumphatura confido me sponsorem habiturum te ipsum, Dei hominisque Filium, si modo jam publicum de Causa mea arbitrium facere voluerit Deus Pater. Illi sponsorem pro se in hac Causa sua habebunt nullum vel hominum, vel & quod majus est divinarum personarum. vs. 4. *Quia cor ipsorum abscondisti ab intelligentia, ideo non facies superiores.*

חח. Fallaces amicorum de benedictionibus illis ex-

 ternis,

ternis, Jobo malis hisce in hac vita liberato adserendis, pollicitationes seu blandimenta ipsis auctoribus noxia futura rejicit vs. 5. *Per blandimentum indicant cogitationes:* Alii *ad praedam indicabit* Deus tales *Amicos*, *& filiis ejus oculi consumuntur.*

αα. Qui nunc est rerum status vetat omnino tale quid sperare. vs. 6. 7. vs. 6. *Et posuit me ad id, ut exemplum usurpent* (vel *dicterium ferant*) *populi: ut qui execrabile spectaculum*, tophet quoddam, turpissimus hypocrita per manifestissima judicia divina detectus, *olim* praeterito tempore, fuerim, pro tali me habebunt posteri. Ita Starkius ad hunc l. Vulgo interpretantur tympanam acsi תף sit a radice geminata תפף, ast nobis cum Sebastiano Smidio in annot: ad 2 Reg. XXIII. vs. 10. plane non videtur probabilis haec derivatio pugnantibus videlicet principiis Philologicis ipsisque Linguae Sanctae fundamentis. Putamus itaque cum eodem recte derivari a תוף quod juxta Schindlerum significat Syris removere, Rabbinis expuere, ut *tophet* sit piaculum aliquod removendum igne aut expiandum ut removeat poenas & secum afferat. Quare versio erit: & piaculum ad faciem omnium esse cogor. vs. 7. *Et hebuit prae aegritudine oculus meus & lineamenta mea ut umbrae* sunt *omnia.*

ββ. Erit quidem ille ex hac vita exitus, res, quae pios in stuporem det, attamen a via justitiae, que per fidem est, & semita recti tristis haec scena integros corde purosque manibus non dimovebit. Norunt illi rectius gravissimas in animo & corpore afflictiones electis etiam posse contingere vs. 8. 9. vs. 8. *Obstupescant recti super hoc, & innocens in hypocritam se concitet.* vs. 9. *Et teneat justus viam suam, & purus manibus addat fortitudinem.*

γγ. At vero aliud sentientes amicos a vera sapientia disjunctos pronuntiat. Talia polliciti cum tenebris lucem confundebant, dum omnis Jobi exspectatio est in morte, rebusque post fata futuris, conclamato omnino rerum suarum in hac vita statu vs. 10-16. vs. 10. *Et enimvero, omnes illi vos, redite & venite, agite: & non inveniam in vobis sapientem.* vs. 11. *Dies mei transierunt, cogitationes meae ruptae sunt, possessiones cordis mei.* vs. 12. *Noctem faciunt, ut sit dies; lucem propinquam* ex

ex praesentibus tenebris. Starkius: *Noctem equidem in diem posuerant*; *Lucem* (posuerant) *propinquam propter tenebras*. i. e. Cogitationes meae me dulci spe lactaverant, fore ut calamitas mea (quae nomine noctis & tenebrarum venit) convertatur in omnigenam prosperitatem) quae per diem & lucem indicatur, quinimo diem istam & lucem gaudii & pacis jam prope esse propter agmen tribulationum mearum. Ita *Starkius*; sed potius haec referimus ut habet versio nostra ad Jobi Amicos pollicitantes praesentissimam Status immutationem si ab Hypocrisi sua se convertat Jobus. vs. 13. *Quamvis exspectem; orcus fuerit domus mea, in tenebris stravero lectum meum*; vel: Et si expectavero (felicem rerum mearum catastrophen) status mortuorum erit domus mea. ℣s. 14. *Foveam compellavero, Tu es pater meus, matrem meam & sororem vermes*: vs. 15. *Tunc ubi*; *ubi locorum erit exspectatio mea? & exspectationem meam quis videbit*? vs. 16. In *ulnas* & amplexum *orci descendent*, credo: *si etiam in pulvere quies* est. vs. 15. *Vectibus* status mortuorum (i. e. feretro) *descendent mecum* scil: *spes* & omnia sperata vel si mavis vocem בדי derivare a radice ברד quod utique & forma & significatio permittit commode vertere licet: *in solitudines* status mortuorum *descendent si una mecum in pulverem erit descensus*.

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

℣. Bildadi sermo alter.

a. *Bildad* ad Jobi sermones Cap. XVIII. reponens:

A. Culpat in illo multiloquium & fastum, qui ipsos ceu brutos ac impuros contemtissime habeat vs. 1. 2. 3. vs. 1. *Et respondit Bildad Suchita, & dixit*, vs. 2. *Quousque provferetis fines verborum? considerate, & post loquamur*. vs. 3. *Quare reputamur, ut pecus? sordemus in oculis vestris?*

B. Acriter in Jobum ceu ferocientem invectus criminatur, quasi Jobus negando bonis semper bene, malis male esse, ipsam velut naturam, constantissimumque a Deo fixum rerum ordinem everteret vs. 4. *Lanians animam suam per iram suam, o! qui laniat animam suam ira sua, numquid propter te deseratur terra, & recedet petra a loco suo?*

C. Adversus Jobum id negantem Theses jamsaepius

us propositas de Dei in impios judiciis multo eoque emphatico sermone urget, ex quo denuo patet, quid de Jobo illiusque instituto sentiant amici vs. 5-21. vs. 5. *Etiam lux Improborum extinguitur, & non splendet* vel *scientilla ignis ipsis:* vs. 6. *Lux tenebrosa est in tabernaculo ejus, & lucerna ejus apud eum extinguitur.* vs. 7. *Artantur gressus roboris ejus, & posternit ipsum consilium ejus.* ℣s. 8. *Nam it cum reti in pedibus suis, & in perplexo ambulat.* ℣s. 9. *Tenet calcem laqueus: cui manum injicit horridus.* ℣s. 10. *Absconditus est in terra funis ipsius, & decipula ejus ad semitam.* vs. 11. *Undique terrent eum densae nebulae, & disjiciunt eum secundum pedes ejus.* vs. 12. *Fit famelica vis ipsius: & Calamitas parata est ad claudicationem Ejus.* vel *Fiet famelica vis ejus* hoc est succi nativi & spirituum subministratio deficiet, *& calamitas parata* est *ad claudicationem ejus* i. e. ex debilitate ea sponte sequetur ruina. vs. 13. *Vorat ramos corporis ipsius, vorat ramos ejus primogenitus mortis.* ℣s. 14. *Avellitur a tentorio ejus fiducia ejus, atque* id ipsum *adigit eum ad regem caliginum.* ℣s. 15. *Habitat in tentorio ejus nihil habere, spargitur in mansionem ejus sulfur.* vel *Habitabit terror* in *tentorio ejus propter consumtionem ejus: Spargetur super habitaculum ejus sulphur* cum respectu ad incendium sodomiticum ut & ad oves & pascentes servos igni combustos Cap. 1. 17. vs. 16. *Inferne radices ejus arescunt, & superne deciditur messis ejus.* vs. 17. *Memoria ejus perit ex terra, neque est ipsi nomen in publico.* vs. 18. *Trudunt illum de luce in tenebras, & ex frugifera abigunt eum.* ℣s. 19. *Non* est *ipsi filius aut nepos in popularibus suis, neque est superstes in peregrinationibus ejus.* vs. 20. *Super die ejus obstupescunt posteri, & priores occupat horror.* vs. 21. *At illa* sunt, inquient, *tabernacula injusti, & ille est locus ejus, qui non novit Deum.*

CAPUT NONUMDECIMUM.

β. Jobi Responsum

A. Jobus Cap. XIX. querelas suas continuat

ℵℵ. Amicos afflicti morbum tam exasperantes, manum Dei durius prementem, hanc Dei cum suis viam, ignorantes, graviter culpat a vs. 1-4. vs. 1. *Et respondit Job, ac dixit.* vs. 2. *Quousque marrore afficietis animam meam, & conteretis me verbis?* vs. 3. *Jam decies me ignominia affecistis. Non pudet vos,*

vos, me fodicare?

כב. Si vel erraſſet, ſuo periculo erraſſet, erraſſet ex humana infirmitate. Quare erroris tanto faſtu ab illis arguendus non erat, ſed potius condolendum erat Homini graviſſime afflicto. Quare anteriorem felicitatem cum triſtiſſima hac ſorte ſua, quam fuſe denuo proſequitur, commutatam commemorat vs. 4.-20. vs. 4. *Atque etiam revera erraverim: mecum manebit error meus.* vs. 5. *An ideo revera i. e.* jure merito *contra me grandietis os, & faſtuoſe arguetis contra me probrum meum*: vs. 6. *Noſcite omnino, quod Deus curvarit me, & rete ſuum circumcluſit mihi.* vs. 7. *Ecce clamem, opprimor, non reſpondetur mihi: ſi quiritem, non eſt judicium.* vs. 8. *Iter meum interſepſit, ne tranſeam: & in ſemitis meis tenebras ponit.* vs. 9. *Gloriam meam a me detraxit, & abſtulit coronam capitis mei.* vs. 10. *Diruit me undiquaque & evanui. Et abegit inſtar arboris exſpectationem meam.* vs. 11. *Et accendit in me iram ſuam, & reputavit me ſibi, ut hoſtes ſuos.* vs. 12. *Pariter veniunt turmae ejus & aggerant in me viam ſuam: & caſtra locant circa tentorium meum.* vs. 13. *Fratres meos a me elongavit, &, qui noverunt me, alienati ſunt a me.* vs. 14. *Nulli ſunt propinqui mei, & noti mei obliti ſunt mei.* vs. 15. *Inquilini domus meae & ancillae meae pro alieno reputant me: peregrinus factus ſum in oculis eorum.* vs. 16. *Servum meum vocem, non reſpondet: ore meo ſupplico ipſi.* vs. 17. *Anima mea putet uxori meae, &* ad huc *miſeror filios ventris mei.* vs. 18. *Etiam pueri me ſpernunt: ſurgam: obloquuntur mihi.* vs. 19. *Abominantur me omnes homines ſecreti mei, &, quos dilexi, in me verſi ſunt.* vs. 20. *Cuti meae & carni meae agglutinatum eſt os meum: evaſi cum cute dentium meorum.*

גג. Amicorum, qui manum Dei heic tandem agnoſcant, commiſerationem implorat vs. 21. 22. vs. 21. *Miſeramini me, miſeramini me, o vos amici mei: quandoquidem manus Dei percuſſit me.* vs. 22. *Cur perſequeremini me, ut Deus, & de carne mea non ſatiaremini?*

דד. Utque evincat ſe non tractandum ceu impium cui viſcera occludantur

הה. Aperte profitetur, quo ſit in Deum purioremque doctrinam animo, qua in Deum Goëlem, Mediatorem illum inter Deum hominesque, fide & ſpe, Goëlem illum, in-

 quam,

quam, humanos artus olim indutum cum serpente luctaturum, velut victorem e pulvere mortis resurrecturum, superque illo staturum, cui redemptori suo ipse aliquando conformis evadet, etiam resurrecturus, & ex hac carne Deum suum visurus, unde sane intelligere debeant amici, non esse quod tam orthodoxum numinis cultorem futuraeque post fata felicitatis haeredem persequantur vs. 23-28. vs. 23. *Utinam aliqua scriberentur verba mea! utinam in libro exararentur!* vs. 24. *Cum stilo ferreo in plumbo in perpetuum, in rupe inciderentur!* vs. 25. *Sane ego novi* Quod *vindex meus vivit: & postremus supra pulverem stabit.* ℣s. 26. *Et postquam cuti meae destrinxerint hoc, etiam ex carne mea videbo Deum.* vel *Et post cutim meam exederint & pertusam exsuxerint medullitus machinam hanc*, nempe vermes; *attamen ex carne mea adspiciam Deum.* ℣s. 27. *Quem ego videbo mihi, & oculi mei viderunt, & non alius, confecti sunt renes mei in sinu meo.* ℣s. 28. *Nam confido, dicetis: quid persequimur illum? siquidem radix sermonis invenitur in me.*

ββ. A judicio divino certo certius futuro sibi metuant tam imprudenter & pervicaciter agentes cum Dei foederato homine, graviter monet ℣s. 29. *Metuite gladium. Nam aestus sunt delicta Gladii* quae gladium merentur: *ut noritis, quod judicium sit.*

Ob materiae dignitatem subnectatur huic Capiti

Oraculi Jobaei vs. 25. 26. uberior Expositio.

SI beata Corporis resurrectio fluit ex ipsa Foederis Gratiae formula: *ero Tibi in Deum*, quod Christus contra Sadducaeos arguit Matt. XXII. 32. haud dubie Sancti omnis temporis Dei Foederati veritatem hanc suavissimae omnis Consolationis fundamentum tenuerunt. In ipsa promissione Paradisiaca in conclucando serpentis capite per Semen Mulieris continetur & Christi ipsius & ipsorum qui Christi sunt beata resurrectio; per eam demum plenus de Serpente triumphus agitur. Enochus vivus in coelum sublatus perenne testimonium est totius Hominis & in amnia & in Corpore suo victuri. Si Dei ad Abrahamum verba: *ero Tibi in Deum* etiam dicunt *corpus tuum resuscitabo, Deus enim non est Deus mortuorum*

sed

sed viventium. i. e. Deus Foederatus in exanime cadaver benignitatem suam exercere nequit, quare ut totius Hominis sit Deus beneficus, oportet alteram illam Hominis partem resurgere & vivere. Certè Abrahamus hanc veritatem intellexit, *credidit* enim, teste Paulo Rom. IV. 17. *in Deum qui mortuos vivificat.* Si credidit Abraham, quidni familiam suam hanc veritatem docuit, quod testimonium ipsi perhibet ipse Deus Gen. XVIII. 19. Ergo & docuit illam Fratrem suum Nachorem ex cujus Nachoris familia recte deducunt viri Docti Jobum nostrum. Hanc de Carnis resurrectione doctrinam ipse jam professus fuerat Capite XIV. 11. Sed tam apertam tam plenam hujus doctrinae propositionem vix apud priscos Sanctos invenias quam apud Jobum nostrum, qui tamen tempora Mosis vivendo antegreditur.

Hanc vero materiam non Ego meis verbis sum commendaturus, audiamus ipsum Jobi Elogium, qui ỳſſ. antecedentibus 23. & 24. satis innuit se grande quid loquuturum perpetua dignum memoria, aliquid aere perennius futurum: *Utinam*, inquit, *jam scriberentur sermones mei in Libro & sculpantur.* i. e. distincte & indelebili scriptura in Libro exarentur, *& Stylo ferreo* aut Chalybeo, durissimo instrumento, *incidantur in plumbo, in rupe*, vel in plumbea lamina (plumbum enim hic non est instrumentum, plumbo enim nihil potest rupi incidi) sed in plumbea tabula, vel si mavelis plumbo Characteribus in rupe incisis infuso. Cujus voti sui compos factus est vir Sanctus dum tempus per omne sonuerunt sonant & sonabunt haec Jobi verba. Quando igitur tam grande quid subest his verbis, verba haec pertractandi methodus oportet ut sit alia quam si alios vel Jobi vel amicorum Sermones pertractes: Quidquid ex hisce verbis erui potest, si vel quid Sapientiam profundissimam spiret, inde eruendum est. Loquitur enim hic Jobus ipso Spiritu S. inspirante, quod ex Elogio manifestum est, secus ac quando Jobus infirmitatem suam non semel prodit, & Jobi amici non recte de Deo loquuntur.

Distinguimus in hoc Sermone: Fidei Confessionem ℣s. 25. Spem expectationemque Jobi fundatam in hac Fide vs. 26. 27. Prior pars etiam bimembris est, Propositio *Novi Goëlem meum vivere*: Et propositionis dilucidatio & confirmatio, *Et* vel *etenim postremus stabit super pulverem.*

A. Quod ad Hanc confessionem, attendimus

א. Ipsam ejus propositionem, Et in ea

α. Personam quae hanc Fidei Confessionem edit

A. *Vaani Et Ego*, vel *etenim Ego*, vel, de quo deinceps, *quod Ego.* Emphasis in eo est quod non simpliciter dicat ידעתי *scio* vel novi, sed *ani.* Nempe *Ego* ille tot malis jactatus, a Diabolo tentatus, vexatus, a divina manu durissimè pressus, spiritualiter nonnunquam desertus, ab uxore, domesticis, civibus, contemptus illususque, Amicis meis hypocriseos & impietatis gravissimae suspectus. Ego tamen ille

B. Hanc edo confessionem

β. Novi Goëlem meum vivere.

A. Commemorat aliquem *Goëlem* suum

אא. *Goël* Legalis, de quo vid. Lev. XXV. 25: 26. XXVII. 13. 27. 28. Num. XXXV. 12. 19. non figit equidem primum hujus vindicis vel adsertoris, Goelis, significatum, dum Jobi aetas Legem latam antevertit. Attamen significatum admodum illustrat atque illo mediante ad primigenium significatum adscendere licet. Quia Legalis Goël jure Consanguineitatis quem liberabat ex servitute interposito pretio, bona redimebat, injurias imo mortem vindicabat & quia is alio nomine designari non potuit, rectius hinc infero primum τυ *Gaal* unde *Goël* significatum esse *liberavit*, *adseruit quem*, *vi arctissimae cujusdam relationis quam habet ad Liberandum*, & quidem *adseruit soluto aliquo lutro.* Quis vero qualisque ille Jobi vindex sit, age discamus ex hoc ipso ejus sermone

αα. Certe non adsertor aliquis Homo qui externam Jobo salutem praestet, sed talis cujus vindiciae aeternitati sunt consecrande vide quid diximus ad ℣s. 23. & 24.

ββ. Qui

ββ. Qui deinceps *Elohim* Deus audit: *Ego ex carne mea videbo Deum*, certe de uno eodemque Subjecto Jobum loqui omnis cohaerentia Sermonis arguit. Deus igitur

a. Sed neque prima neque tertia in essentia divina hypostasis.

b. Sed illa hypostasis quae ad liberandum Jobum arctissimam habet relationem, quae vindex est jure aliquo consanguineitatis, quod est secunda in essentia divina hypostasis, quae ab aeterno se vadem stitit pro Jobo, in tempore incarnanda, sicque quod ad naturam humanam Jobi Frater futura. Deus qui oculis etiam corporeis videri poterit; de quo videbimus ad vs. 26. Qui causa vitae & resurrectionis Jobo futurus est, quod esse nequit nisi mortis causam tollat & vincat peccatum & Satanam qui potestatem mortis habet, quod fieri nequit nisi obedientia numeris omnibus absoluta, & quae infiniti sit pretii, & pariter perpessionibus in corpore & animo ferendis divinae justitiae satis fiat. Certe dum in hujus Goëlis quod videbimus vita fundat Jobus Beatam resurrectionem corporis sui aeque ac perennem beatam vitam animae suae, haec omnia ad hunc Goëlem requiruntur quae diximus.

בב. Goëlem hunc dicit esse *suum*.

αα. Illum non modo per veram Fidem amplexus est per quam illum suum fecit, de qua Fide salvifica jam non disserimus, quia mox ad verbum ידעתי de eo explicatius quid dicendum erit.

ββ. Sed & habet hujus suae Fidei πληροφορίαν, qui Fidei gradus non contingit Credentibus omnibus. Cum παρρησίᾳ vocat illum Goëlem suum.

Β. De hoc Goële suo praedicat illum *vivere* & certa scientia id adfirmat: Ego *novi* Goëlem meum vivere.

אא. Adsertum igitur est: *Goëlem Vivere.* Quia jam visum & amplius videbitur ex praedicatis omnibus, Hunc Goëlem esse verum hominem, Jobi consangui-

 neum,

neum, & verum esse Deum, videndum quae illi vita sit adscribenda pro utraque Natura ejus.

αα. Qua verus cum patre Deus vivit absolutissime, quo sensu vita Deo passim tribuitur, ita vivit ut vitae suae rationem omnem in se habeat. *Quemadmodum pater vitam habet in se ipso sic & filio dedit Vitam habere in se ipso* Joh. v. 26. Ex hac Divina ejus vita consequitur vivificandi potentia, sic ut & suum ipsius corpus humanum aliosque resuscitare possit, velut arguit ipse ille Joh. v. 21. quod & deinceps audiemus Jobum hujus Goëlis vitam suae resurrectionis causam efficientem & fundamentum ponere.

ββ. Qua verus homo, quod ad vitam cum reliquis hominibus multa habet communia, sed qua homo singularissimus multa habet singularia.

a. Commune ipsi cum aliis hominibus est quod anima ejus rationalis vivat vitam rationalem in vero corpore organico eoque humano.

b. Singulare ipsi est quod supra naturae leges miraculosissime corpus ejus in corpore Virgineo conceptum formatumque est, quare non natus secundum constitutas naturae leges; animam corpori junctam habet non infectam labe originali, sed integra quae gaudet imagine Dei, unde colligis sanctas rectasque facultates ejus & operationes omnes, plene sanctum viventis hujus mentis in corpus imperium, sic ut menti per sensus nulla advenire labes possit.

c. Vivere in scripturis etiam dicit *reviviscere*, sic ipse de se hic Goël Apoc. 1. 18. *Mortuus eram & vivo* i. e. per resurrectionem redivivus sum. Posita igitur quam nunc dilucidamus & defendimus beata corporum resurrectione, id quidem commune habet cum toto vere credentium coetu quod post mortem (quae adeoque & hic supponitur) reviviscat. Sed illud iterum singulare ipsi est, quemadmodum ejus mors a credentium morte in eo distinguitur quod sit satisfactio Divinae Justitiae praestita, peccatorum expiato, mortis, & quidquid mor-

mortis causa est, victrix, sic & per resurrectionem ejus vita non uno modo distinguitur: Corpus ejus corruptionem experiri non potuit: Ante statum resurrectionis diem resurrexit: Ejus resurrectio fundamentum & causa efficiens est beatae fidelium resurrectionis, quare recte dicitur *primitiae eorum qui obdormiverunt* 1 Cor. xv. 20. respectu ad manipulum primitiarum qui postridie sabbathi paschalis coram Domino agitabatur & in quo agitata tota censebatur messis, quod pulchrum emblema est reviviscentis hujus Goëlis & in eo reviviscentis credentium multitudinis omnis. Si vel igitur ante ipsum resurrecturi sunt aliqui imo & per ipsum ante magnum judicii diem resuscitandi, ipse tamen est απαρχη eorum qui obdormiverunt, causa efficiens cur reliqui resurgant. De hac ejus in resuscitato Corpore vita & hoc attendi potest, quemadmodum (de quo dicimus alibi) beatae Mentes corporibus resuscitatis redditae non porro erunt modo animae viventes sed imaginem gerent ejus qui est πνευμα ζωοποιουν 1 Cor. xv. 45. Sic & heic praecipua hujus Goëlis erit Gloria & quod ad animam Corpori reunitam & quod ad Corpus non porro ψυχικον *Animale* sed πνευματικον spirituale. Fient equidem resurgentes sancti conformes Imagini filii Dei & humiliata ipsorum corpora ad glorificatum Corpus ipsius conformabuntur Phil. III. 21. Manente tamen discrimine quod est inter Glorificatos homines reliquos interque illam naturam humanam hypostatice cum divina junctam: Ita vivit ut mors ipsi nunquam imperet quod Paulus dicit Rom. VI. 10. & ipse in loco superius citato, *Vivo & Vivo* in omnem aeternitatem; vivent equidem & resuscitati omnes in omnem aeternitatem.

d. Sed ita ut perennatura Goelis vita vitae ipsorum perennaturae causa meritoria & efficiens sit, vita, inquam, Θεανδρικα.

e. Diximus equidem singulatim de Vita ejus divina humanaque, sed quia in hoc *Goële* humana divinaque natura sic sunt conjunctae ut unam mediatoris personam constituant, facile intelligimus vitam ejus & huma-

manae & divinae naturae esse in solidum vitam mediatoris, adeoque actum hujus personae vitalem omnem & ante & post resurrectionem ejus infinitae praestantiae esse, de quo jam non dicimus fusius.

בב. Quod adseruit de hoc suo Vivo Goele, adserit certa cum conscientia & sancto cum affectu omni: *Ego scio &c.*

αα. Vox Hebraea ידע significat scientiam certam, certe quae adseruit sciebat

a. Ex institutione domestica, dum ipse ex Nachoris familia natales trahens simul haeres fuit hujus doctrinae quam ex promissione Paradisiaca & revelationibus priscis sanctis factis repetitam, Abrahamus, quod supra vidimus, Nachori fratri instillavit propagandam aliquando ad Nepotes; Sicut Elihu ex eadem illa Nachoris gente oriundus noverat illum angelum interpretem qui redemptionis pretium adinvenit Job. XXXIII. ita non minus sancte Jobus tenuit hanc doctrinam divinam majorum.

b. Novit & forte plenius confirmatiusque ex revelationibus extraordinariis, quae priscis illis temporibus obtinebant.

c. Novit ex institutione & persuasione ipsius Spiritus S. quae litterali institutioni qualicunque accedens demum ingenerat veram πληροφοριαν.

d. Novit ex experimentis divinae gratiae hujus Goelis vitam arguentibus.

ββ. Sed ידע non modo significat theoretice quid cognovit, sed & practice agnovit; cognovit aliquid iis cum affectibus atque operationibus, quales natura rei cognitae & agnitae requirit. Ita cognovit Goelem vivum cum pleno adsensu, aestimatione, Amore, enixissimo studio, oblectatione. Ita cognovit non modo ante cum candidi soles ipsi orirentur in Spiritualibus & temporalibus, sed & nunc in mediis afflictionibus, tentationibus.

ב. Propositionis hujus vel dilucidationem deductionemve

nemve vel confirmationem, *nam ille postremus stabit super pulverem.*

α. Pulvis vel heic designabit hostem quocum hic Goël congreditur, & de quo plenum agit triumphum, sicque pulvis designabit mortem, omnemque mortis Caussam ab hoc Goële victam, sic quidem ut moriturus esset ipse Goël, sed morte sua mortem victurus, nequidem corruptionem visurus sed tertio die resurrecturus, staturus super mortem, eumque qui mortis imperium habet. Ita pulvis Cap. XVII. 16. venit pro morte vel sepulchro: in pulvere erit requies.

β. Attamen quia dicitur non tantum: stabit super pulverem sed אחרון postremus stabit super pulverem. Acharon autem necessario respicit multitudinem aliquam, hinc totam *pugnam* in complexu sumimus petitam a Palaestra ubi quis cum multis congressus hostibus tandem devictis omnibus stat postremus, victor triumphabundus. Quare

A. Concipienda heic est hostium aliqua multitudo. In his autem hujus Goëlis adversariis censemus

אא. Certo respectu ipsum Deum Patrem quocum, rigidissimo judice jus majestatemque Deitatis tuente justitiae suae satisfactionem praestandam exigente, ipsi colluctandum fuit, cujus iram adversus humanum genus accensam ferre & perferre & auferre debuit hic athleta.

בב. Legis maledictionem vincere quam debuit, factus ipse pro suis maledictio, ut ipsos ab ea liberaret.

גג. Habuit porro antagonistas

αα. Inferos: Diabolum cum omni spirituum infernalium Exercitu, eo praesertim tempore, cum esset hora atque potestas tenebrarum.

ββ. Terrestres

a. Hostes: Gentiles, Judaeosque.

b. Amicos: Discipulos nempe non leve pondus perpessionibus addentes, cum omnes fugerent ad ipsum offendentes, & unus illorum ipsum ter abnegaret.

א. Hanc contra multitudinem hic unus stat victor in pulvere vel in arena; sed tum demum

אא. Cum magnam pugnam pugnavit quae heic vel supponitur vel involvitur in his verbis.

αα. Patrem (liceat sic loqui) expugnavit justitiae ejus satisfaciendo, obedientia numeris omnibus absoluta, & in perpessionibus omnibus constantia invicta, cum Dei proximique amore conjuncta. Ea etiam amoris indivulsi constantia erga Deum Patrem ut etiam se ad tempus deserentem cum fiducia imploraverit: *Deus mi, Deus mi ut quid deseruisti me* Ps. XXII. 2.

ββ. Legis maledictionem ipse tulit in animo & corpore sentiens tristia peccati effecta, ita etiam ut mortis spiritualis consequentia expertus ipse fuerit, non modo a Deo ad tempus velut desertus, sed omni tentantis Diaboli furori objectus.

γγ. Adversarios homines sive hostes sive amicos excepit mansuetudine tali & patientia cujus Exemplum hactenus non extitit neque extiturum est.

δδ. Cum morte pugnavit ipse moriendo.

εε. Cum Diabolo, peccato, omnique peccati effectu quomodo dimicaverit modo defensive modo offensive liquet ex jam dictis.

ב. Post omnem hanc pugnam, cui similis nunquam extitit, cum coelo, Terra, & inferis postremus ipse stetit super arenam, & quidem

αα. Per suam ex mortuis resurrectionem per quam justificata est ejus causa demonstratusque ipse Filius Dei ἐν δυνάμει, mortis infernique victor qui vitam & immortalitatem attulit.

ββ. Per suam in Coelos adscensionem qua ipsum Coelum sibi suisque occupavit & expiante suo sanguine in Coeleste Sanctuarium illatum ipsum Coelum expiavit ut glorificandorum suorum omnium aptum sit domicilium, de qua coeli expiatione vide quae dicimus ad Epist. ad Heb. IX. 10.

γγ. Per suam in Electis credentibus tentatis

tis afflictis non una infirmitate laborantibus triumphum, sicut enim in illis adhuc certo respectu patitur sic & in illis vincit.

ב. Per suum e coelis reditum quando in arena stabit super ultimum hostem, mortem nempè tunc abolendam, plene inquam abolendam quod Paulus docet 1 Cor. xv. 26. 54.

II. Quod ad spem expectationemque Jobi in hac de vivo Goele confessione fundatam, attendimus: Ipsam expectationem: *Et Ubi* &c. Deinde nexum qui est inter id quod Jobus expectat interque id quod de Goele adserit.

A. Quod ad ipsam Expectationem, in ea attendimus tempus quando: Rem ipsam: Rei ulteriorem dilucidationem atque limitationem.

א. Quod ad tempus, inquit: *Et ubi post cutim meam exederint hoc*, h. e. ossa & quidquid reliquum est, nempe vermes exederint & pertusam exsuxerint medullitus machinam hanc, distrinxerint, perroserint omnia, tunc futurum est quod Jobus expectat. Tempus equidem quo id futurum sit praecisius non determiat, neque poterat nedum nostro tempore revelatum dum incertus est Christi redituri dies. Illud tamen generalius scivit, longe adhuc abesse, per saecula etiam quod praestolatur.

ב. Nempe *ex carne sua se visurum Deum.*

a. Expectat igitur visionem Dei, & quidem ex carne sua.

A. Dum qualis haec sit visio, merene spiritualis, an etiam corporalis, inde determinatur quod Deum visurus sit ex hac carne sua, de eo videamus prius.

אא. Supponitur heic, ubi Corpus moritur & vermibus fit esca, vivum superesse Spiritum, & quidem in statu locoque beato. Sequitur illud ex ipsa Goelis vita & hujus superstitis animae ad Goelem relatione. Locum si quaeris? Ubi aliter quam apud ipsum Goelem.

בב. Supponitur etiam hunc spiritum a corpore prorsus dissoluto disjunctum, & tempus per longum disjunctum mansurum corpori isti reunitum iri. Etenim

 si

si Spiritus videat ex hac carne, & quidem ubi caro haec excisa protinus fuerit, oportet vinculum illud animam inter corpusque instaurari.

B. Quod ad ipsam phrasin, duo dicit: *Ego*, hoc est Spiritus iterum in hoc corpore velut domo habitans *videbo*: Sed plus dicit, non tantum in carne videbo, sed *ex carne videbo* i. e. mediante hac carne, mediantibus hujus corporis oculis organicis.

C. Patet igitur ex phrasi recte sic accepta intelligi heic non tam visionem spiritualem vel saltem non solam visionem spiritualem quam non excludimus, sed visionem corporalem quae fit in corpore & mediante corpore. Igitur Deum videbit in specie aliqua visibili adeoque in redivivo illo & Glorificato corpore Goelis, videbit illum coelitus venientem cum angelis suis cum myriadibus sanctorum, quod Enochi vaticinium, eo tempore cognitum fuerit haud dubie. Servavit illud divus Judas non tantum in Epistola sua ♈. 14. sed & illud olim transcriptum fuit in Prophetiam Zachariae Cap. XIV. 5. Tunc veniet *Jehovah Deus meus: omnes tui Sancti tecum*, quae quod ad verba parum admodum a verbis Enochi vaticinantis absunt, quod ad rem ipsam, prorsus nihil.

β. Amplificat & dilucidat hanc visionem: *Quem videbo mihi*. Ne existimes illud לי *mihi* redundare quod existimant. Ejusmodi dictio in Cant. Canticorum saepissime occurrit: *Vade tibi: Veni tibi: fuge tibi*, quod existimant idem modo esse quod *Veni*, *fuge* &c. Ego autem in Commentariolo meo belgico ostendi non esse styli S. pleonasmum quendam, sed ubique habere maximam Emphasin & longe aliud quid dicere quam tantum *Venire*, *scire*, &c. Sed in suum commodum, suos usus haec facere. Quare sic accipe: Ego illum mihi videbo in bonum, in Salutem meam. Viderent & alii hunc de coelo venientem, vivos, mortuosque judicaturum, qui illum extimescerent montes collesque inclamantes, qui se obtegant adversus iram agni Apoc. VI. ♈♈. ultim. Longe alium sibi visurus est illum Jobus, sibi propitium, corpus suum re-

resuscitatum glorioso ejus corpori conformandum, se illi in occursum in aera rapiendum. Intelligis ex his qua admiratione, quo gaudio, ardentissimo amore hunc Goëlem suum sit adspecturus, & cum Goële suo angelorum Choros omnes, Sanctorum omnium myriadas, in quos affectus ad vivum exhibendos jam nos diffundere non licet.

γ. Limitat ulterius hanc visionem *quem oculi mei visuri sunt & non alieni* Scil. Oculi, in hoc ipsissimo corpore suo, non in Corpore alieno, h. e. novo corpore menti suae juncto; sed hisce oculis suis Goëlem suum visurus erat. Certè in eo magni solatii & gaudii momentum est, beatam mentem non modo revicturam in Corpore aliquo, sed in hoc suo Corpore.

A. Hoc corpus cum hac mente unum hominem, unam personam facit, quare hoc corpus amat homo velut integrantem sui partem; sic major est laetitia se resuscitari, quam novum aliquod corpus formari. Illustrari sed non nisi exiliter admodum potest amore *στοργῇ* illâ qua feruntur Parentes in dilectissimum aliquem puerulum, quem si ipsum illum ita in tenerrimis deliciis habitum fato suo concedentem divinum per miraculum redivivum accipiant, impensius gaudent quam si nova proles ipsis nascatur loco defuncti. Dico, illustrat equidem aliquid sed parum admodum. Dum proles post defunctam nascitura aeque futura est Caro & Sanguis ipsorum ac fuit proles defuncta, quod ita heic non habet, dum ad corpus quod per mortem cecidit relationem habemus tenerrimam, ad formandum hactenus nullam habemus.

B. Quam suave etiam est cogitatu, in ipsissimo hoc corpore in quo tantum dolorem, cruciatum, genus omne calamitatum subiit anima, in ipsissimo illo eodem numero Corpore sed glorificato se gavisuram, & genus omne satietates caelestes experturam mentem.

C. Deinde quid resuscitato homini gloriosius est & in eo conformem fieri Goëli suo, dum is non aliud Corpus aliunde adsumptum Glorificandumque sed idem

numero corpus de corpore Virgineo sumptum, in crucem actum, sepultumque, aeternum possidebit.

B. Habemus ipsas dilucidatas veritates quae spem expectationemque Jobi exprimunt, videamus nexum inter: qui stabit in arena, & inter spem expectationemque Jobi fundatam in hoc de Goële suo adserto. Quia gemina est positio, se victurum & in eodem corpore victurum, nexus quoad ad utrumque observandus est.

א. Quod ad prius..

α. Si Goël ille vivit vita absolutissima sicque fontem vitae aliis largiendae in se continet ut supra vidimus τo vivere hujus Goëlis involvere & vivificandi potentiam, ergo potest Jobum vivificare, sit licet corpus illud resolutum in pulvisculos nobis innumerabiles, certe illorum locus numerusque omniscium non latet, neque illorum omnium recollectio vim omnipotentis excedit, quare quia vivificantem potentiam habet idem illud corpus reconcinnat, suscitat, glorificat.

β. Sicut potest, sic & vult, si Goël sit, hoc est quod supra visum arctissimam tenerrimamque, quae ineffabilem benevolentiam includit, ad Jobum relationem habet. Si Deus est totius hominis, ergo vult & in altera hominis parte quae diu peresa jacuit, benignitatem suam demonstrare.

γ. Sicut potest & vult, sic & debet, si arctissima illa hunc Goëlem inter interque Jobum & Electos credentesque omnes relatio id infert Goëlem cum suis unum facere corpus cujus ipse Caput est, Certe plena non est Capitis vita si membra pariter non vivificantur.

ב. Fluit etiam ex iisdem illis veritatibus, Jobum in eodem illo corpore debere vivere, certe Goël redivivus est in eodem illo ex Sp. S. concepto & ex virgine nato corpore, ipse autem Jobus etiam quod ad corpus debet conformari imagini Goëlis sui.

Post dilucidatas ita veritates sua luce radiantes, nihil moramur Grotii aliorumque parermeniam verba haec Jobi accipientium de liberatore & liberatione aliqua ex prae-

praesentibus calamitatibus quae Jobo in hac vita contingeret, & visionem illam Dei rapientium ad Apparitionem illam divinam quae Jobo liberando oblata est, vid. Cap. XXXVIII. seq. Certe verborum omnium quod vidimus Emphasis majus quid sonat aevum per omne in Ecclesia commemorandum. Ipse Jobus non expectavit hic restitutionem, sed prorsus spem omnem abjecit quod ad liberationem quae sibi in hac vita contingat, de ea conclamatum esse tantum non omnes ejus querelae loquuntur, quare illam heic cum fiducia non expectat. Loquitur de visione Dei non in hac vita sed post peresam a vermibus cutim suam & quidquid de corpore reliquum est.

Haec Jobi confessio simul est Apologia adversus amicos Jobum pro hypocrita & insigniter impio habentes. Quare quod supra promisimus dicamus adhuc aliquid de connexione horum verborum cum antecedentibus & consequentibus. Missis aliorum de nexu Sententiis, Ego sic existmo, sequentem versum 28. connecti debere cum versi. 23. &. 24. hoc modo, *utinam verba mea scriberentur* &c. Connecte jam ℣s. 28. quem ita vertimus: Quia vos dicitis quomodo instabimus Ei: nempe persecutione verbali, cum tamen radix verbi vel rei in me inveniatur, h. e. omnis Doctrinae & praxeos salutiferae fundamentum in me sit. Verba intermedia ℣s. 25. 26. 27. quae Jobi confessionem faciunt parenthetice interjecta sunt, ut quae sunt ipsum argumentum istorum sermonum. Sic igitur accipe: *Utinam scriberentur verba mea* &c. nempe haec verba mea quod *Ego Novi Goelem meum. Vaani*, verte *nimirum, nempe, Ego Novi*, dum multiplex copulae *Vav* usus est. Quare ultima vs. 27. verba: *renes mei consumuntur in sinu meo* nempe prae *desiderio*, spectant ad eandem illam Jobi confessionem. Neque adsentimur Schmidio Cel. interpreti Lutherano, qui vult heic abruptum esse sermonem, cum antecedentibus non connexum, quando verba longe aliter interpretatur: Merito sane & jure indignor & succenseo vobis, adeo ut prae indignatione prope renes mei consumti

sumti sint super persecutione qua me persequimini, dicentes, quomodo persequemur eum & arguemus eum impium, quum tamen non sim impius sed fundamentum rei seu fidei in me sit salvum. Avellit ergo *renes* &c. a vs. 27. & conjungit cum vs. 28. consumptio renum illi indignationem h. l. significat collato Ps. LXXIII. 21. Putat ille nullam adesse conjunctionem, inde apparere novum quid in Posteriore hemistichio dici. Sed si vel maxime particula connexiva desit, cohaerent cum percedentibus per accentus, & a vs. 28. verba avulsa sunt per Sophasucum finem versus. Igitur id innuit Jobus se totum ferri desiderio in rem illam expectatam sic ut renes, sedes affectuum & intimorum desideriorum, velut consumantur. In eo igitur Jobi pro se Apologia est, pro hypocrita & flagitiose impio vos habetis qui radicem verbi tenet de Goële illo in quo Salus omnis est reposita. Qui tam significanter, tam distincte tam luculente tam brevibus verbis de omni hoc mysterio quam hactenus factum non fuit luculentius, imo forte non tam luculenter non tantum loquor sed viva fide amplector certaque expectatione & intimo desiderio futura haec beneficia omnia mihi certo certius conferenda praestolor. Haec mea verba in Ecclesia Dei perennatura testabuntur meam innocentiam & a vobis Gratiae divinae in me factam injuriam.

CAPUT VIGESIMUM.

I. Sopharis Sermo alter ad eumque Responsum.

a. Sophar castigationem Jobi adversus se ignominiosam esse autumans

A. Ad illam sibi reponendum esse ratus est Cap. XX. vs. 1-3. vs. 1. *Et respondit Tsophar Naamathaeus ac dixit:* vs. 2. *Ideo cogitationes meae reducunt me: Et propterea, quo festino in me.* vs. 3. *Castigationem ignominiosam mei audio, & spiritus ex consideratione mea respondet mihi.* Sunt qui vs. 3. sic accipiunt: *audio* & percipio in mente mea revelari & distinctis verbis suggeri divinitus *castigationem* & *confutationem ignominiae* calumniae

niaeque qua in me & socios invectus es, nec intermittere possum quin illam proferam. Alii tamen *Castigationem ignominiae meae* i. e. cum ignominia mea conjunctam *audire cogor. Sed spiritus* (Dei, absolute enim ponitur vox רוח) *ex intelligentia mea* (non vertendum in constructione spiritus intelligentiae meae quum repugnet accentus distinctivus) loquetur pro me. Quando tamen tZophar divinam heic revelationem craparet.

B. Urgens, quod jam plus simplice vice inculcaverat ipse atque amici, judicia Dei impiis incumbere, & si vel fortuna illis ad tempus blanditur, non diutinam, sed fragilem lubricamque esse felicitatem illam vs. 4-29. vs. 4. *An hoc notasti ab omni aevo, ex quo positus fuit homo in terra:* vs. 5. *Quod jubilatio improborum ex propinquo est, & laetitia hypocritae ad momentum?* vel gaudium hypocritae ad vibramen. vs. 6. *Si evecta fuerit in coelum celsitudo ejus, & caput ejus nubei tangat:* vs. 7. *Ut stercus etiam atque etiam perit. Videntes eum dicunt; ubinam est?* vs. 8. *Ut insomnium avolat, neque inveniunt ipsum, & dejicitur ut spectrum noctis.* vs. 9. *Oculus perstrinxerit ipsum: non addit: neque imposterum cernit eum locus ejus.* vs. 10. *Filii ejus propitiabunt tenues, & manus ejus reddent subsidia ipsius.* vel *Filii ejus placabunt conciliabunt tenues*, redditis nimirum opibus injuste illis a Patre extortis: *imo ipsius* adhuc viventis *manus restituere cogentur vim suam* i. e. bona per vim rapta. vs. 11. *Ossa ejus implentur occultis juvenilibus ejus* Peccatis: *& id cum ipso in pulvere cubabit.* vel *Ossa ejus plena erunt occultis juventutis peccatis & cum ipso super pulverem cubabit quodlibet ipsorum* propter verbum singulare. vs. 12. *Si dulcis fuerit in ore ejus malitia, abscondat eam sub lingua sua:* vs. 13. *Indulgeat illi, & non relinquat illam, & contineat illam intra palatum suum.* vs. 14. Simul *cibus ipsius in visceribus ejus mutatur*, simul est *amaror aspidum in medio ejus.* vel *Etiamsi dulce fuerit in ore ejus malum & celaverit illud* (est activum Hiphil non neutrum & intransitivum) *subter lingua sua.* vs. 13. *Etiamsi pepercerit ei nec dereliquerit istud sed cohibuerit intra palatum suum, panis ejus in visceribus ejus vertetur*, immutabitur in naturam contrariam, non modo nutritionem nullam dans sed ipsi etiam erit insalubris & noxius, *fel aspidum fiet intra illum.* vs. 15. *Opes absorpsit, & evomit eas: ex ventre ejus expellit eas Deus.* vs. 16. *Vene-*

nenum aspidum sugit: occidit eum lingua viperae: vs. 17. *Ne videat rivos fluminum, torrentium mellis ac butyri.* vs. 18. *Restituit laborem (& non absorbet) secundum copiam permutationis ejus* i. e. quantum justa rapti alieni Laboris compensatio requirit. vel &c. *Reddere cogetur laborem* i. e. metonymice opes labore partas. *& non deglutiet, imo juxta vim summam permutationis suae* reddet quod repetendum, *itaque non exultabit (neque exultat.)* ℣s. 19. *Quia concussit, destituit tenues: domum rapuit & non aedificat eam.* vs. 20. *Quia non novit tranquillitatem in ventre suo*, cupido ejus insatiabilis fuit, *per desiderabile suum* i. e. pretiosissima quaeque cimelia sua *non eripiet* ventrem suum, se ipsum vs. 21. Quia *nihil reliquum fuit* pauperibus ab illo afflictis, *ad comedendum.* vs. 21. *Ideo non manet bonum ejus.* vs. 22. *Quum plena est sufficientia ipsius, arctum ipsi est; omnis manus aerumnosi invadit eum.* vs. 23 Esto etiam aliquid *ad explendum ventrem ipsius, mittit in ipsum Deus aestum irae suae, & pluit super illos* impios *in concoctum* chylum *ejus.* vs. 24. *Fugiat ab armatura ferrea, & praevertit eum arcus aeneus.* vs. 25. Quum *eduxerit* Deus gladium *exit e corpore, & fulgur* acies gladii *ex felle ejus prodibit: erunt super eum terrores* infernales post mortem. Id quod eductum est *exibit*, non tamquam ex termino a quo sed tamquam ex termino per quem, quando ab una parte intrat & ab altera rursus exit cf. Jud. III. 22. vs. 26. *Omnes tenebrae absconditae occultis Ejus* peccatis; *devorabit illum ignis*, aeternus, *non exsufflatus* ab hominibus: *Male habebit superstes in domo ejus:* vs. 27. *Revelant caeli pravitatem ejus, & terra insurgit in ipsum.* vs. 28. *Migrat proventus domus ejus: diffluunt omnia in die irae ipsius* Dei. vs. 29. *Haec est portio hominis improbi a Deo* (judice) *& haereditas sermonis ipsius* impii qualis & ille Jobi, secundum illum, *a deo* (omnipotente.)

c. Quae omnia haud dubie applicata volet Jobo nuper rebus prosperis utenti, at jam derepente dignitatis fastigio bonorumque possessione deturbato; & forte splendida illa longaque oratio respicit ad ea quae Jobus Cap. XIX. vs. 9. commemoraverat de *gloria sibi detracta, & ablata corona capitis sui.*

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

ℵ. *Jobus* ad haec respondens, postulata audientia

A. Justum suum esse dolorem atque querelam (quam non ad hominem sed ad ipsum Deum allegat, proterea etiam justam) arguit, ex contemplatione mali sui, quod quemcunque considerantem in stuporem dare debet potius, quam praebere ansam curiosius Philosophandi de judiciis illis ob insigne facinus immissis. Cap. XXI. vs. 1-6. vs. 1. *Et respondit Ijob, ac dixit.* vs. 2 *Audite audiendo verbum meum: & sit hoc* audire *consolationes vestrae.* vs. 3. *Ferte me, tum ego loquar: &, postquam locutus fuero, subsannabis.* vs. 4. *Me* quod *attinet, estne ad hominem questus meus? si autem* sic, quod non ad hominem sed ad ipsum Deum querelas effundo: *quare non abbreviaretur spiritus meus?* vs. 5. *Respicite ad me & obstupescite, & ponite manum ad os.* vs. 6. *Etenim ubi recordor, consternor, & occupat carnem meam tremor.*

ב. Retundit denuo ineptos amici sermones inde quod Deus pro sanctissimo & sapientissimo suo arbitrio impios in hac vita non aequaliter tractet, his sortem in externis felicem illis infelicem immittat

ℵℵ. Demonstrat

aa. Improbos hos felices esse, ut ut Deum illiusque cultum verum rejicientes. Neque tamen fortunam impiorum esse in ipsorum potestate (quare impiorum institutum sibi quam maxime invisum esse vir sanctus liquido declarat) vs. 7-16. vs. 7. *Quare improbi vivunt, durant, etiam excedunt opibus?* vs. 8. *Semen ipsorum firmum coram ipsis* est *cum ipsis, & soboles ipsorum ante oculos ipsorum:* vs. 9. *Domus ipsorum* sunt *pacatae a pavore, neque virga dei super ipsis* est. vs. 10. *Bos ejus impraegnat & non fastidit* vaccam: *edit vacca ejus, & non abortit:* vs. 11. *Dimittunt, ut oves, pueros suos, & nati ipsorum saltitant:* vs. 12. *Ferunt tympanum & citharam, & laetantur ad vocem organi:* vs. 13. *Vetusti fiunt in bono: & momento* sine lento morbo *ad sepulchrum descendunt?* vs. 14. *Atqui dicunt deo: Recede a nobis: nam cognitione viarum tuarum non delectamur.* vs. 15. *Quid est omnipotens, ut ser-*

viamus ei: & quid proficiemus, si supplicemus ei? vs. 16. Attamen *ecce, non est in manu illorum bonum ipsorum* (*consilium ipsorum longe a me est.*)

ββ. Quod ultimum ostendit in Aliis impiis quibus & ipsis & in prosapia illorum male est. vs. 17-21. vs. 17. *Quoties enim lucerna improborum exstinguitur, & venit super ipsos calamitas eorum? dolores distribuit* Deus *in ira sua?* vs. 18. *Fiunt ut stipula coram vento, & ut palea, quam furatur ventus?* vs. 19. *Deus recondit liberis nequitiem ejus.* Imo *retribit & ipsi dum vivit & sentiat:* vs. 20. *Vident oculi ejus exitium suum: & de aestu omnipotentis bibit.* vs. 21. *Nam quae ipsius voluptas est in domo sua post se?* Nulla. *Nam quod attinet numerum Mensium ejus, truncantur* vel *dimidiantur.*

בב. Neque quemquam heic posse contendere cum sapientissimo Rectore, celsos omnes, in superis atque inferis, judicante, cui viarum suarum omnium constant rationes nobis ignoratae, quare conticescendum esse, dum cum aequalibus inaequaliter agit vs. 22-26. vs. 22. *An deum docebit* quis *scientiam? & ille celsos judicat.* vs. 23. *Hic moritur in ipsa integritate* nempe physica, felicitate *sua*, *& totus tranquillus & quietus.* vs. 24. *Mulctralia ejus abundant lacte & medulla ossium ejus irrigatur.* vs. 25. *At ille moritur in anima amara, & non comedit de bono.* vs. 26. *Pariter in pulvere cubant, & vermis operit illos.*

c. Occurit cogitationi ipsorum suae hypothesi litantium a notabili exemplo, & ut videtur proprio, nempe occisis Jobi liberis dirutisque illorum palatiis, quo ipso Deus pravitatem illorum manifestam esse voluerit. Respondet Jobus illud falso colligi, dum multi nocentes floreant, eorumque palatia viatoribus conspicua superbiant, quin & monumenta illorum magnifica omnibus in viis exstantia, quibus viatores pro signis uti soleant, contrarium docere, dum opportuno tempore decedunt improbi. vs. 27-32. vs. 27. *Ecce, novi cogitationes vestras, & commentationes*, quas *contra me rapitis.* vs. 28. *Nam dicitis, ubi domus principis? & ubi tentorium tabernaculorum improborum?* vs. 29. *An non interrogastis viatores? & signa illorum non agnoscitis?* vs. 30. *Nam ad* ante *diem calamitatis subtrahitur malus: ad diem irarum inferuntur* vel ante illum. vs. 31. *Quis* interea ante diem

diem illum divinae irae *indicat in faciem ejus viam ejus? &, ipse fecerit, quis retribuit ei?* vs. 32. *Etenim ille ad caemeterium honorifice effertur, & ad metam vigilat* custos vel ipse impius vivus adhuc *vigilat pro* tumulo. Aliter Starkius: hanc Phrasin cum ipso Jobo Cap. v. vs. 26. & nostro vs. 30. conferenti haecce subnascitur interpretatio *& juxta cum acervo frugum maturat* nempe עלות ascendere aggregari ante ingruentem tempestatem. Ita Jobus eadem utrobique eleganti ludit comparatione & voci גדיש eandem attribuit notionem quam Moses Exod. xxii. vs. 5. variate tamen etiam loquitur idque scite: particulam על adhibendo in similitudinis sensu pro כ quemadmodum infra Cap. xxviii. vs. 32. Pro verbis בעתו עלות ascendere inferri in tempore suo verbum ejusdem virtutis ישקוד substituendo, quemadmodum acervus frugum in tempore suo quo sunt maturae atque ante tempestatem pluviosam infertur in horrea ita hic & iste impius in tempore suo i. e. quando consenuit vs. 7. consumsit in bono dies suos vs. 13. ad diem calamitatis & furoris divini maturat ad sepulchrum veluti justus Lothus festinanter se eripiebat ante subversionem Sodomae. Ut adeo ejusmodi impius forte propria piorum fruens pro pio facile possit haberi speciesque extremae fallant. Nondum igitur & hunc locum quod ad τὸ ישקד abrabismis damus. Ita Starkius. Sed alii quod vidimus in versione reddunt *etiam pro tumulo vigilat*, de monumento sepulchrali splendide struendo ipse adhuc vivus mature sibi prospicit. *Coccejus* ad *metam vigilat* custos i. e. vigil cippo apponitur. vs. 33. *Suaves ipsi sunt glebae vallis* sepulchrum, *& post se omnem hominem trahit* funus comitantem: *& ante eum* sic mortuorum *non est numerus.*

D. Inde concludit sermones ipsorum vanos esse vs. 34. *Quomodo ergo me consolamini vanitate: quum responsiones vestras* quod attinet *relinquitur* in iis *praevaricatio.*

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

ח. Eliphasi Sermo tertius, ad eumque Jobi Responsum. Cap. xxii. vs. 1. *Et respondit Eliphas Themanita ac dixit.*

א. Eliphas Themanita adversus Jobum denuo insurgit.

git. Analysis hujus capitis pendet a vera Mente vss. 2. 3. Adeoque vel ita instituenda

A. Damnat Jobi doctrinam, sibi jus aliquod esse apud Deum, cum Deo proinde in judicium posse venire, quod duplici argumento enervare conatur.

אא. Deo ex hominis praestito officio nihil accedere, adeoque nos Deum ita non demereri, ut nobis in Deum ullum sit jus, sibi ipsi equidem prodesse recte instituentem hominem, dum Deus benefacta benigne praemiat pro ordine a se constituto, sed nullum jure aliquid a Deo posse exigere, cum Deo contendere, justitiam aliquam, qua Deum sibi devinctum habeat, arrogare vs. 2. 3. vs. 2. *Numquid deo utilis est homo? (si utilitatem procuret in illis prudens.)* vs. 3. *Numquid voluptas est omnipotenti, quum justus fueris? & an lucrum, ubi integras esse feceris vias tuas?* Alii: *an Proficit vir*, tu, *apud Deum* ubi proficit *illis*, nempe sermonibus apud se ipsum, quasi illis sermonibus alios *erudiens. Num voluptas est omnipotenti quod justus sis* in oculis tuis. *Et an Lucrum* Tibi erit apud *Deum quod integras judices vias Tuas?*

בב. Deum non judicaturum ex relligione, quae heic ut passim יראה *timor* audit, quae justitiam aliquam, quam talis Dei cultor apud Deum habeat, inferre possit, dum totum ipsius vitae institutum sit sordidum atque inquinatum, quo ipso talis religio, quae talem justitiam crepat, suspecta esse debeat (collige hinc an agnoverint an rejecerint justitiam fidei illi homines) heic jam acerbe in Jobum debacchatur, quodvis φαῦλον ipsi objiciens, suumque de viro sanctissimo judicium denudans ut qui atrocissime peccarit contra homines imbelles & afflictissimos, Deum nihil curans, ejus Providentiam & rerum humanarum inspectionem negans vs. 20. vs. 4. *An ex Religione tua te judicabit, tecum in judicium veniet?* Alii, *An quod revereatur Te tecum contendit* rationem judicii sui Tibi reddituru? vs. 5. *Nonne vitium tuum multum est, & infinita pravitas tua?* vs. 6. *Nam pignus cepisti a fratribus tuis sine causa, & vestes nudorum attraxisti.* vs. 7. *Aqua lassum non potasti, & a famelico cohibuisti panem.* vs. 8. At *viri brachii* fuit *terra & authoritatem habens sedit in illa.* vs. 9. Et *viduas dimisisti inanes, & orphanorum brachia*

con-

contrita sunt. vs. 10. *Propterea circa te sunt laquei, & perterruit te pavor subitus.* vs. 11. *Aut tenebrae* sunt, ut *non videas*, & *Agmen aquarum texit te.* vs. 12. *Nonne Deus* Excelsus ille adversus quem peccasti est in *altitudine caeli? & vide caput stellarum; quia sublimes sunt.* vs. 13. Nihilominus *dixisti: quid sciret Deus? Numquid per caliginem judicabit?* vs. 14. *Nubes ipsi* sunt *absconsioni, ne videat: & orbem caeli inambulat.* vs. 15. *An iter seculi observasti, quod calcarunt homines vani?* vs. 16. *Quod corrugati sunt ante tempus*, ceu *flumen effusum est fundamentum ipsorum*: vs. 17. *Qui dicebant deo: Recede a nobis. Ecquid enim praestaret ipsis* ex eorum opinione *omnipotens?* vs. 18. *Quum tamen ille impleverit domos illorum bono, sed consilium improborum longe abest a me.* vs. 19. *Vident justi & laetantur, & innocens subsannat illos.* vs. 20. *An non excisus est adversarius noster*, qui insurrexit in nos קימנו *adversarius noster* nomen participiale formae ציר שיר Legatus; *reliquum illorum voravit ignis.*

2. Quare consilium denuo Jobo suggerit resipiscendi prolixa pollicitatione velut ante confirmatum vs. 21-30. vs. 21. Quare *consuesce cum ipso, & habe pacem: per illa eveniet tibi bonum.* vs. 22. *Accipe, age, ex ore ejus legem, & pone dicta ejus in corde tuo.* vs. 23. *Si converteris ad omnipotentem, aedificaberis; elonges injustitiam a tentoriis tuis*, vs. 24. Sic *pones super pulvere aurum, & sicut silices fluminum ophirinum:* vel Et *pone* i. e. *sic pones* super pulvere aurum. Promittit Jobo tantam copiam auri ut quemadmodum alii asseribus aut lapidibus terram contegunt, sic ille eam auro obducat, uti postea factum in Adyto & Templo Salomonis 1 Reg. VI. 30. *Et sicut silices fluminum* quibus alii in plateis & Vestibulis pavimentum sternunt, aurum ex ophir pones. Quomodo elegans est hyperbole ad describendam Copiam auri, sicut Salomo dicitur dedisse aurum & argentum hierosolymis *ut lapides platearum* 1 Reg. X. 21. 27. vs. 25. *Et sic omnipotens* erit *aurum tuum copiosissimum & argentum firmitudinis tuae.* vs. 26. *Nam tunc in omnipotente deliciaberis: & attolles ad eum faciem tuam.* vs. 27. *Supplicabis illi, & audiet te, & vota tua solves.* vs. 28. *Et decernes dictum, & stabit tibi: & super viis tuis splendebit lux.* vs. 29. *Quum humiliaverint* Te Alii *& dixeris exaltatio* hoc mihi erit, *tum dejectum*

oculos

oculos servabit Deus. vs. 30. *Eripiet* non *innocentem*, *& eripietur in puritate manuum tuarum.* vel *Eripiet etiam non existentem innocentem* ubi אי est per apocopen pro אין uti semel punctatur 1 Sam. XXI. vs. 9. alternante, & idem recurret in nomine proprio איכבוד non est Gloria: Eripietur inquam puritate manuum tuarum, i. e. dum puras nec peccatis contaminatas manus tuas ad Deum elevas pro eoque intercedis.

Vel Analysis sic ordinabitur pro hac interpretatione

A. Pietas non potest non est summe utilis; quia autem proprie nullum Lucrum nulla voluptas a recto instituto ad Deum redundare potest, debet necessario omnis utilitas redire ad ipsum hominem, quem igitur necessario felicem etiam in hac vita praestat Deus ℣s. 2. 3.

B. Quare tam notabilibus judiciis divinis non affliguntur Pii, sic enim Pietas non esset utilis sed causa afflictionum. Tu igitur qui verè pium Te jactas aeque insanis acsi poneres te propter pietatem affligi.

אא. Quod tamquam absurdum interrogando rejicit ℣s. 4. *An propter pietatem tuam te castigat?*

בב. Atque arguit potius pessimum Ejus institutum esse malorum ejus omnium causam ℣s. 5-19.

גג. Monet Jobum ut a se, Amicis Ejus vere piis & propterea felicibus, dum adversarii ipsorum infelices sunt, veram pietatem discat tunc multis benedictionibus locupletandus vs. 20. seqq.

Vel ita

A. An proficies quidquam apud Deum, te integrum justumque praedicando ℣s. 2. 3.

B. An velut te reveritus tibi rationem reddet judicii sui contra te, cur ita agat cum justo? scilicet! ℣s. 4.

C. Contra allegabit tibi Pessimum Tuum institutum ℣. 5. seqq.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

§. *Jobus* ab iniquo illo amici judicio ad Dei tribunal provocat, a quo non pro stricto jure, sed pro justitia fidei se tractandum esse sciebat. A. Pro-

A. Provocat, inquam, ad Deum, qui hactenus se in causa Jobi occultabat, multa cum parrhesia integritatis suae causam agit Cap. XXIII. vs. 1-17. vs. 1. *Et respondit Job, ac dixit:* ℣s. 2. *Etiam hoc die contumacia* habetur *querimonia mea, manus mea* (i. e. manus me percutiens, adeoque plaga mea uti Cap. XXXIV. 6. *telum meum* est plaga injecti in me teli) *gravis est super gemitum* meum? ℣s. 3. *Utinam sciam* ubi *inveniam eum* ut *veniam usque ad locum ejus*: ℣s. 4. *Instituerem coram ipso jus* causam meam & *os meum implerem argumentis.* ℣s. 5. *Cognoscerem verba*, quae *responsurus esset mihi, & considerarem, quid diceret mihi.* ℣s. 6. *Numquid amplitudine virium contendet mecum* pro summa potentia, & non potius secundum gratiam? *Nonne certe ipse animum advertet ad me?* ipse saltem si vel omnes creaturae negligerent me. ℣s. 7. *Ibi rectus vindicatur apud ipsum. Et* causam *obtinerem omnino a judicante me.* ℣s. 8. Sed *Ecce antrorsum eam, non adest, retro, tum non percipio ipsum.* ℣s. 9. *Ad laevam* sit, *quum agit, non video:* ad *dextram* si deflectit, *non cerno.* Quamcumque in partem me verto nusquam mihi Deus comparet. Quem tamen judicem vellem. vs. 10. *Nam novit viam*, quae *penes me est*: *probavit me, ut aurum evasi.* vs. 11. *Gressum ejus tenuit pes meus, viam ejus servavi, & non declinavi*, vs. 12. *Praeceptum labiorum ejus, & non recessi: prae demenso meo recondidi dicta oris ipsius.* vs. 13. *Sed ipse unus est* per arabismum ubi ב redundat & nominativum dicit, unus est omnipotens independens, nullum habens parem, neque ulli ad reddendam rationem consiliorum obnoxius. Alii melius, *si contra unum*, aliquem, est *quis eum revocabit? Anima ejus cupit, & facit.* vs. 14. *Quum absolverit demensum meum, multa talia apud ipsum sunt.* In quibus mecum agat pro illa sua absoluta potestate; hoc Jobum turbat. vs. 15. *Quare a facie ejus consternor: conspicio, & paveo ab ipso.* vs. 16. *Et* enim *Deus mollivit* molle, timidum reddidit *cor meum & omnipotens consternavit me.* vs. 17. Quia *non excisus sum* ante *tenebras* harum afflictionum, *ita ut caliginem* hanc *abdidisset.*

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

B. Opponit Jobus Cap. XXIV. Eliphaso obscurita-

tem

tem judiciorum Dei, quorum agendorum opportunitatem sibi servavit, inde esse.

NN. Quod diu, atque aliqui semper, in hac vita floreant. vs. 1-17. vs. 1. *Quamobrem ab omnipotente non sint recondita tempora* agendorum in impios Judiciorum sic ut *noscentes eum non viderint* vel *videant dies ejus* judiciales? Cur ab omnipotente non essent recondita tempora quibus Judicia agit in impios, sic ut qui agnoscunt eum, Deum non semper videant & viderint dies ejus nempe judiciales? Contra ac Eliphas voluit Cap. XXII. 19. Caeterum cohaerere non cum vss. ultimis Cap. Praeced. non de piis sed de impiis intelligi haec tempora Judicialia patet ex vs. seq. vs. 2. *Terminos* tamen *movent* impii illi, *gregem rapiunt & pascunt.* vs. 3. *Asinum pupillorum ducunt, pignerantur bovem viduae.* vs. 4. *Declinant egenos a via: pariter occultantur inopes terrae.* vs. 5. *Ecce* Impii illi velut *onagri deserti exeunt in opere ipsorum quod est depraedatio, mane surgentes ad praedam, solitudo campestris,* Campus; *ei panis pro pueris.* vs. 6. *In agro farraginem ejus metunt, & vineam improbi vindemiant* subinde Inopes illi vs. 4. metunt & vindemiant sine mercede. vs. 7. *Nudum pernoctare faciunt,* pauperem nempe impii illi, *sine veste,* ob defectum vestis, *neque est tegumentum* ipsi pauperi *in frigore.* vs. 8. *Inundatione Montium,* quae ex aquis pluvialibus aut nivalibus a montibus venit *madescunt* Pauperes, *&, quia non est receptus, amplectuntur rupem.* Quod Domos aut aliud perfugium non habent in Cavernas petrarum se abdunt. vs. 9. *Ab ubere rapiunt Pupillum* in suum mancipium si vidua Mater quid debeat. *Inopem,* vel, quod est *super inopem, pignerantur.* vs. 10. *Nudos faciunt ire, sine veste: & famelici portant manipulum,* impiis illis adferre coguntur pauxillum frumenti & Messem suam ad redimenda pignora. vs. 11. *Inter Muros ipsorum oleum exprimunt* inopes nempe velut ergastulo inclusa mancipia ne sibi quid servent, *inter lacus calcant, & sitiunt.* vs. 12. *Ex urbe homines gemunt: & anima exanimatorum* implorat. *Et* tamen *Deus* non *proponit* vel *demonstrat ipsis* impiis *absurditatem* Ipsorum, per vindictam. vs. 13. *Cum* tamen *Illi exstiterunt inter rebellantes luci, non noverunt vias ejus* Dei *neque sederunt in semitis ejus.* vs. 14. *Ante lucem surgit latro, ut occidat impotentem & egenum:*

&

& de nocte, quo fit ut fur. vs. 15. *Et oculus adulteri observat crepusculum, dicens, non videbit me oculus: & velamen faciei suae ponit noctem.* vs. 15. *Perfodiunt in tenebris domos, quas de die designarunt sibi: non norunt lucem.* vs. 16. *Nam pariter matutinum ipsis est umbra mortis. Nam cognoscit nebulas umbrae mortis.* Amant & eligunt pro luce umbram mortis sive noctem densissimam ut alii amant matutinum tempus, nam adprobant terrores tenebrarum ut facinoribus suis patrandis aptissimos. At vero quod Jobus & supra fecit, aliud Exemplum adfert Impii alicujus graviter & heic puniti vs. 18. *Ille* vero, alius quidam impius, vel

כב. Alii exemplariter puniuntur vs. 18-25. vs. 18. *Levis* vel *celer* velut *super aqua*, celeriter praetervehitur, *detestationi est sors eorum in terra: non respicit, qua sunt vineae* vel ita ut *non* amplius *spectet viam vinearum*, vineas suas non amplius visitet. vs. 19. *Sicut arida, etiam aestus, rapiunt aquas nivis; Infernus* eos, qui *peccarunt.* vs. 20. *Obliviscetur Ejus Uterus*, Matrem pudebit eum peperesse *& suavis ei est vermis*, tam gravis poena est impio ut optet mortem prae vita, jucundumque ipsi sit si modo vermibus esca fiat. vs. 21. *Pascit* dum vivit *sterilem, quae non parit*, per maledictionem divinam improlis est, *& viduam* per anticipationem sic dictam *cui nemo benefacit* vs. 22. Imo per miram Dei Providentiam *attrahit potentes facultate sua*, per opes honores, quae ostentat, & quibus potentiores invident. *Surgit* de lecto, aut ad opus aliquod, *nec fidit*, securus aut certus non est *de vita* vs. 23. *dat ipsi* interdum Deus ad *confidentiam* vel *securitatem* usque, *ita ut innitatur*; sed interim *oculi ejus* dantis Dei *sunt super Vias ejus* ut ipsi tandem rependat. vs. 24. *Tolluntur in altum parumper* impii, *ita ut* mox *nullus eorum supersit, dejiciuntur sicut omnes* alii homines, *& sicut summitas spicae abscinduntur* nullo negotio repente & totaliter. vs. 25. *Sin igitur ita non est? Quis mendacem me faciet, ut ponat in nihilum sermonem meum?* Sensus & experientia testantur, rem ita ut dixi se habere.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

ח. Bildadi sermo tertius, ad eumque Jobi responsum

α. Bildad Suchita Cap. xxv. pergit Jobum temeritatis accusare quod sibi jus apud Deum arroget, illum convenire postulet, velut injustitiae accuset. Cum tamen Deus

A. Quamvis sit Ejus summum Robur & tremenda penes eum Majestas omnia tamen beneficentissime & ordinatissime gubernet

אא. Et in Coelis: vs. 2. *Imperium & pavor cum ipso* est. Et *facit pacem in supernis suis.*

בב. Et sub Coelo. vs. 3. *Numquid est numerus turmis ejus? Et cui non* exoritur *lux ejus?*

B. Ita sanctus & purus ut cum illo nulla puritas comparari possit; & apud talem sibi jus arroget, cum tali velut minus sancto & justo contendat a natalibus impurus homo? Qui velut vermis est, animal quod nascitur in excrementis, animal coecum & surdum, informe & inerme, quantum quantum humi postratum, & aliorum injuriis expositum. vs. 4. 5. 6. vs. 4. *Et qui justus esset homo cum Deo, & qui mundus esset natus muliere?* vs. 5. *Ecce a* terra *usque ad lunam, ne ibi quidem tentorium figit* יאהיל. Tanta est ejus sanctitas ut nec coelum sydereum & quae sub illo sunt digna sint in illius comparatione ut sint habitaculum congruum: *& stellae non sunt mundae in oculis ipsius.* vs. 6. *Quanto minus homo miser, vermis; & filius hominis, lumbricus.*

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

β. *Jobus* contra

A. Bildadi orationem rejicit ut nec solatio aegri, nec instutioni errantis, nec controverso argumento ut scopo destinato convenientem.

אא. Fusius ipse de efficacia voluntatis Dei, deque tremenda ipsius majestate differit eundo ab invisibilibus ad visibilia, in creatione conservatione & gubernatione universi unde intelligant. Jobum haec non ignorare, qui nolit inde colligi

ho-

homini credenti non esse jus in tam tremendae majestatis conspectum prodire. Cap. XXVI. vs. 1. *Et respondit Ijob, ac dixit.* vs. 2. *Quam juvisti destitutum viribus: servasti brachium sine robore.* vs. 3. *Quam consuluisti destituto sapientia! & veritatem amplissime explicasti.* vs. 4. *Apud quem indicasti verba? & quis halitus* verba quae formantur per halitum *exiit a te?* vs. 5. *Inferi, manes, gigantes,* violenti homines, *cruciantur desubter aquis,* quo significatur Locus damnatorum, vide me *Homo Vetus & Novus* p. 157. vs. 6. *Nudus est orcus coram ipso, & non est tegmen loco perditionis.* vs. 7. *Qui tetendit Aquilonem super inani. Suspendit terram super nihilo.* Extendit admirando opere Coelum ita, ut nobis Aquilo adsurgat sursum, nec tamen fulcrum habeat: ut cortinae expansae illo opus habeant, nec decidant. vs. 8. *Constringit aquas in nubibus suis, ita ut non findatur nubes sub ipsis.* Aquas nimirum natura fluxiles, & deorsum vergentes in nubibus quasi constringit Deus, ibique pendulas diu detinet, ne uno impetu in Terram effundantur, sed paulatim in guttas resolutae destillent, velut per cribrum pressae ad foecunditatem Terrae conciliandam. vs. 9. *Facit Nubem suam apprehendere* vel *attingere faciem solii sui, & expandit super illud* solium *Nubem suam.* Nubes eousque evehitur ut ipsum Coelum aethereum prope attingat: Ita ut intervenientibus Nubibus Coelum non amplius videatur. vs. 10. *Modum circinavit super faciem aquarum, usque ad finem lucis cum tenebris.* Mare includit littoribus quae aestu & incremento suo non transgrederetur, donec finem suum habeant Lux & tenebrae i. e. usque ad finem hujus seculi. vs. 11. *Columnae caeli agitantur, & stupent ab increpatione ejus.* i. e. Coeli ipsi uti columna Nubis est Nubes ipsa Exod. XIV. 19. In vehementiore aeris concussione inter tonitrua & fulgura videtur Coelum quasi nutare & contremiscere, ut Domus concussis columnis. vs. 12. *Vi sua movet mare, & adversione sua frangit ferociam.* vel *Robore suo convibrat, inhorrescere facit mare.* Fluctuum excitatione commovet totum ac vastum mare, quod, quum quiescit, magnitudine sua immobile videri possit. Frangit superbos fluctus maris; vel cetos & monstra marina quibus in mari nihil est superbius, quando eos allidit in commotione maris ad scopulos, & ita vulnerat ut moriantur: aut in loca

conjicit ubi fat aquarum non habent nec evadere possunt. vs. 13. *Per spiritum suum caelum ornavit, manus ejus cruciat serpentem transfugam, apostatam.* Miro ac vario stellarum ac syderum ornatu decoravit vel ipsos Coelos, Locum beatorum, elegantissimum & gloria & gaudio plenum fecit habitaculum Angelorum & hominum electorum, e contrario dolore afficit aeternorum Cruciatuum *Serpentem illum transfugam.* LXX δρακοντα αποστατην a ברח *fugit* qui a Deo defecit, Diabolum cum angelis ipsius. vs. 14. *Ecce, hae sunt orae* extremitatis *viarum ejus, & quantillus est susurrus verbi, quod de illo audivimus, tonitrua fortitudinum ejus quis intelligat?* Certe nemo.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

B. Jobus magna cum parrhesia integritatis suae patrocinium repetit. Cap. XXVII.

אא. Graviter significat se numquam id concessurum quod sit hypocrita, quo ipso factae sibi gratiae divinae maximam faceret injuriam quod toto corde refugit. vs. 2-7. *Vivit Deus, qui amovit judicium meum, & omnipotens, qui amaritam fecit animam meam.* vs. 3. *Quamdiu halitus meus in me erit, & spiritus Dei in naso meo.* vs. 4. *Si loquentur labia mea injustitiam, & lingua mea si proferet dolum.* Si confitear id quod Vos vultis me esse hypocritam, impium, quia a Deo affligar. vs. 5. *Apage, ut justificem vos, donec exspiravero. Non removebo integritatem meam a me.* vs. 6. *Justitiam meam teneo, & non dimittam, non convicia bitur* vel nihil mihi exprobabit *cor meum ullo dierum meorum.* vs. 7. *Fiat ut improbus inimicus meus, &, qui insurgit in me, injustus.* Ii potius pro impiis & cassis justitia quae per fidem est habebuntur qui me impietatis tam audacter insimulant.

בב. Se hypocrisin semper detestatum fuisse quod tristissima ejus damna intelligat

aa. Spiritualia vs. 8-10. *Nam quae est exspectatio hypocritae, quum lucratus fuerit: quando expellet Deus animam.* vs. 9. *At clamorem ejus audiet Deus, quum supervenict ipsi angustia?* vs. 10. *Numquid in omnipotente delectabitur, invocabit Deum omni tem-*

tempore? In mediis etiam afflictionibus uti ego facere possum qui proinde hypocrita non sum.

88. Corporalia vs. 11-22. *Monstrabo vobis manum Dei* incommoda impietatis quae sunt a manu Dei: *quod penes omnipotentem est reconditum* ut impiis inferat *non celabo*. vs. 12. *Ecce, vos omnes vidistis, & quare vanitate evanescitis*? Non opus hac in re mihi erit prolixa probatione, ipsi talia nostis, nisi quod in applicatione evanescitis. Vel hic erit verborum sensus: vidistis equidem pleraque judica divina in Impios acta quae saepenumero allegastis; *sed cur ita vanitate vanescitis*? Tam vani estis, quod futiles sermones vestri arguunt, ut non observaveritis ingens illud Discrimen quod est inter gravissimis malis pressum hominem hypocritam qui sine spe fideque in Deum a Deo excutitur; interque hominem Pium qui mediis in afflictionibus erga Deum recto erectoque manet animo, illo etiam tempore Deum invocat, quae dum in me animadvertere debueratis, quique sunt termini Lucis & tenebrarum, Hypocritae, & sinceri foederati gratiosi Numinis; inanes estis qui in malis ipsis quae justo & non justo contingunt haeretis, insuper habentes quo animo mala ferantur, & an omnis expectatio malis pressi pereat, an vero maneat regnetque inter omnia. vs. 13. Haec *est portio hominis improbi penes Deum*, & *haereditas violentorum*, quam *ab omnipotente accipiunt*. vs. 14. *Si multi* sunt *liberi ejus*, *ad gladium sunt*; & *progenies ejus non satiantur pane*: vs. 15. *Superstites ejus in morte sepeliuntur*. Dum morientur erunt simul sepulti nec aliam quam mortem habebunt sepulturam. *Et viduae ejus non flent*. Tum propria uxor tum uxores filiorum & nepotum illum non lugebunt ut infamem magnorum criminum. vs. 16. *Si cumulet instar pulveris argentum & ut lutum, parabit vestes*: vs. 17. *Parat*, & *justus induit*, & *argentum innocens partitur*. vs. 18. *Aedificavit ut blattae domum suam*, & *ut tugurium*, quod *fecit custos*. Domus quam parabit ita facile peribit quam tineae domicilium quod ipsa corrodit, & quasi custos rerum alienarum domum fabricat sed non inhabitat, vel velut Tuguriolum vel umbraculum quod pomis collectis diruitur aut negligitur. vs. 19. *Dives decumbit*, & *non aggregatur* non sepelitur cum honore in monumentis majorum, cum *oculos suos* quis *aperuerit*

fuerit non erit amplius. vel Aliquis *oculos suos acuerit, nuspiam* est. vs. 20. *Assequuntur eum, ut aquae, opacae nebulae: nocte furatur eum procella.* vs. 21. *Aufert eum Eurus* קדים ventus vehementissimus & rapidissimus simul graminibus inimicissimus quae subito arefacta aufferebat. *Et abit, & cum tempestate expellit eum ex loco suo.* vs. 22. *Et injicit in ipsum* Deus *& non parcit, a manu ejus fugiendo fugit.* Vel argumentatio Ejus talis est a vs. 8-22. magnum inter se & hypocritam Discrimen apparere in eo, si vel externis malis affligatur, quibus & saepe cruciantur hypocritae, se in malis spem fidemque servare, quod non facit hypocrita qui fiduciam in Deo numquam habuit. Et quod ad mala externa Hypocritae, in iis esse materiem Laetitiae vere Justificatis & piis, quod non erant Jobi afflictiones.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

c. Vir Sanctus Divinam illam Sapientiam, quae solum Deum habet auctorem; quae ab omni humano acumine, ab omni Philosophia infinite distat, orbi & orco ignorata, solis revelata filiis Dei, per quam solam agnoscere datur justitiam, quae per fidem est, multis encomiis celebrat. Ubi ad hujus Sapientiae praedicata omnia attendo, & praesertim ubi hujus capitis ℣s. 23-27. confero cum Proverb. VIII. ℣s. 22-32. omnino videtur non simpliciter intelligi rerum humanarum & divinarum scientiam; sed Sapientiam illam Hypostaticam, Filium Dei, qui nobis factus est Sapientia, adeoque Sapientia illa cum ejus effecto hoc est Sapientia illa quae hominem erudit ad salutem. Certe haec Sapientia jam aderat in opere creationis etiam ante creatum hominem, hoc Cap. vs. 23. seqq. & Prov. VIII. 22-32. Quousque etiam humana industria se penetret, hujus Sapientiae divinam ex Patre *originem* sine initio quod ad Naturam divinam, immaculatum & miraculosum ex Virgine ortum, *locum* ejus, coelum, unde descensura erat, & tamen etiam tunc in coelis futura Joh. III. ℣s. 13. Neque haec neque *vias* ejus i. e. opus redemptionis per ipsam efficiendum quisquam novit per Lumen Naturae Solus Jehova qui

qui jam in rerum omnium initio, & sic ante illud eam possidebat, etiam eam jam tunc praedicabat, scrutabatur i. e. intime cognitam habebat, confer 1 Cor. 11. 10. phrasin de Spiritu S. & aptabat, parabat, disponebat eam ad opus mediatorium. Atque in tempore Jehova homini dixit quod sit hujus Sapientiae, ejus qui homini factus est sapientia, effectum, nempe filialis Dei Timor, qui tantum nascitur ex hujus Sapientiae Merito per fidem apprehenso, atque sese exserit per fidei fructus in omni opere bono & vitiorum omnium fuga. Dum hanc Sapientiam tam magnifice praedicat Jobus, eo ipso ostendit illam Sapientiam etiam sibi factam esse Sapientiam & justitiam, & quam amicis suis in hac divinissima scientia praestet.

XX. Commemorat admiranda industriae humanae vs. 1-11. vs. 1. *Nam est argento vena, & locus auro fundendo.* vs. 2. *Ferrum ex pulvere sumitur & lapidem fundit* homo *in aes*: aes est velut lapidi incorporatum, solidioris naturae ut Hebraei etiam sub hoc complectantur Chalybem. vs. 3. *Finem imponit tenebris* i. e. locis tenebricosis metalliferis ut non amplius lateant sed oculis usuique pateant, & *usque ad totum finem* & perfectionem *ille* (non Deus quum de actionibus homini competentibus heic agatur, sed ex periphrasi Textus metallarius) *scrutatur lapidem caliginis & umbrae mortis* i. e. lapidem mineralem in tenebris & locis horrendis ac periculosis latentem. vs. 4. *Erumpat licet torrens* (nempe in fodinis istis aperta perfossionum fontis vena cfer. vs. 10. Ubi dicitur quod diffissione Petrarum eliciat rivos) *a vicinitate advenae* ibi laborantis & opus facientis. Revera enim fossor metallicus est hospes peregrinus in foraminibus terrae abditissimis ubi neque ille neque alius unquam commoratus est, ipse tamen commorari & opificium suum exercere necessum habet, ceu bene exponit *Rauppius* ad h. l. talis quidam torrens qui *oblivioni traditur a pede* i. e. quem pede transire nequit, ubi per metaphoram catachresticam pedi tribuitur oblivio, seu inexperientia: *Exhauritur* vel *exhauriendo attenuatur* (nam propria vis verbi est eximere seu proferendo sursum trahere, *& ab homine movetur* aliò, prudentia scilicet & arte humana atque industria. Sensus est: torrens si erumpit a vicinitate advenae & quidem tam profundus ut eum transire obliviscatur

vel

vel ab homine hoc illo exhauritur vel sursum trahitur vel aliò abripitur. Ita *Starckius*. Secundum Alios vs. 4. sic est accipiendus de illa humana industria quae *suffuratur fluvios* alveo aliorsum deflexo, ita ut nullus peregrinorum se amplius eo conferat aut aridum locum frequentet qui prius propter aqus expetebatur, quae nunc attenuatae vel alio protrusae sunt. vs. 5. *Terra: inde exit panis, & quod subtus eam est; vertitur tanquam igni.* Mirandum hoc est quod una eademque Terra superne frugum ferax subtus autem ignea velut & sulphurea est. vs. 6. *Locus sapphiri* sunt *lapides ejus, quique habet pulveres auri.* vel *Locus Sapphiri sunt Lapides ejus* i. e. lapides ejus, terrae, continent in se sapphirum & *pulveres auri sunt ei* videlicet sapphyro. At Gusset. Et *pulveres auri* non notat pulvisculos sed materiam ex qua, quae respecti auri est *gleba fodinae*, quam homo inde educit. vs. 7. *Semita, quam non novit ales, neque conspicatus est oculus milvi.* vs. 8. *Quam non calcant ferae, non pertransiit leo.* vs. 9. *In silicem porrexit manum suam, evertit ab radice montes.* vel *In petram immittit manum suam*, subaudi homo metallarius ille vs. 4. *subvertit suffodit eam a radice montium.* vs. 10. *In rupibus amnes excidit: & omne preciosum vidit oculus ejus.* vs. 11. *Ne lacrimam* mitterent, *fluvios obligavit, & sic secretum educit* in *lucem.* vel *a fletu* destillatione *flumina ligat* metaphora a Chirurgis petita cf. Ps. CXLVII. vs. 3. i. e. terrae poros coercet & obturat ne destillent aquas ceu lachrymas & operas metallicorum turbent. Sic igitur Jobus quaedam humanae industriae admiranda commemoravit, abscondita admodum in quae tamen humana sagacitas se penetrare potest. Elegantior descriptio videretur si sensum ubique satis adsequoremur.

כב. Quae tamen industria humana sine revelatione divina ex lumine naturae hanc Sapientiam vestigare nequit.

aa. Orbis & orcus originem, locum, effecta & pretium ejus ignorant vs. 12-22. vs. 12. *Sed sapientia unde invenitur, & quinam est locus prudentiae?* vs. 13. *Non novit homo, quanti ea sit, & non invenitur in terra viventium.* vs. 14. *Abyssus ait: non est in me illa: & mare ait: non* est *apud me.* vs. 15. *Non cum clauso* auro praestantissimo *commutabitur, neque appendetur*

bur argentum tamquam pretium ejus. vs. 16. *Non est auro ophirino aestia cara, vel solum* onyche *pretioso & sapphiro.* vs. 17. *Non aequat illam aurum & vitrum,* וזכוכית vel *adamas* vel *succinum*, vel *Crystallus* ut varie vertitur. Et non est *permutatio ejus vas auro compactissimo.* vs. 18. *Ramoth & Gabis non memoratur, & tractio vel extractio sapientiae est prae unionibus.* Alludi videtur ad modum quo conchae vel margaritae e fundo maris extrahuntur; Quod Veteres duplici modo faciebant: vel urinando: vel expiscando per retia. vs. 19. *Non aequiparat illam Topazius AEthiopicus, non est contra cara auro purissimo.* vs. 20. *Et sapientia unde venit, & quis est locus prudentiae?* vs. 21. *Etenim abscondita est ab oculo omnis viventis, & a volucribus caeli occultata est.* Dum nulla volucris in coelum, hujus sapientiae Locum, volatu adscendit. vs. 22. Locus *perditionis & mors* Locus Mortis *dixerunt: auribus nostris audivimus famam ejus.*

ββ. Solus Deus jam a diebus seculi illam possidebat vs. 23-27. vs. 23. *Deus novit viam ejus, & ille novit locum ejus.* vs. 24. Quum *ille ad fines terrae*, jam a se conditae, *prospiceret, sub omni caelo videret:* vs. 25. *Ut faceret vento pondus:* Vento pondus tribuit quia ventus rebus omnibus quasi incumbit & arbores ac plantas versus terram deprimit tamquam si pondere aliquo premerentur: quum *aquam libraret mensura.* vs. 26. *Cum ipse faceret imbri modum & viam fulguri tonitruum.* Definivit quo tempore, quo loco, qua copia, quo fructu & eventu defluere debeat Pluvia. Etiam via fulgetrorum & fulminum mirabilis est quando emittuntur ut mirari homines satis non possint. vs. 27. *Tunc vidit illam & praedicavit illam, & aptavit,* disposuit *illam & vestigavit illam.*

γγ. Et in tempore ejus effecta revelavit vs. 28. *Et dixit homini: Ecce timor domini est sapientia: & recedere a malo prudentia.*

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

D. Cap. xxix. & xxx. pristinam suam felicitatem auctoritatemque narrat, statumque suum praesentem pristino per omnia contrarium fuse persequitur; tum Cap. xxxi. sul-

 pi-

picionem amolitur de causa afflictionis, quam amici ejus animo admiserant; quam castigatae fuerit vitae, aliisque in exemplum positus, quam internae externaeque actiones suae fuerint castigatae multis multaque cum fiducia vir sanctus edisserit, quam ab hypocrisi fuerit alienus, tegendove peccato suo, quod fecerat Adam, enarrat ad gloriam gratiae divinae, quo ipso simul evincit illam suam religionem, quae justitiam, quae per fidem est, amplectitur, quam maxime abhorrere a pravo instituto omni & recta ducere ad vitam puriorem sanctosque mores. Igitur.

אא. Cap. XXIX. Pristinam suam felicitatem describit.

αα. A Singularissimo favore divino vs. 1-4. vs. 1. *Et addidit Job ferre sententiam suam, & dixit:* vs. 2. *Utinam sim, ut mensibus prioribus, ut diebus, quum Deus me custodiebat!* Quum *Deus custodiret me.* vs. 3. *Quum ipse splendere faceret lucernam suam supra caput meum: ad lucem ejus obirem tenebras;* in rebus in quibus nihil nisi merae tenebrae difficultatum, periculorum obversabatur oculis. vs. 4. *Qualis fui in diebus juventutis meae, inter secretum apud tentorium meum.*

ββ. A Familiae multitudine & promptitudine vs. 5. *Quum adhuc omnipotens esset mecum, circa me pueri mei.*

γγ. Ab abundantia butyri & olei vs. 6. *Quum Lavarem gressus meos butyro, & petra funderet apud me rivos olei.* Respicit ad conditionem suae Regionis utpote quae & pecoribus abundabat & oleum in petrosis etiam locis proferebat.

δδ. Ab honore in Republica.

a. Eum describit vs. 7-11. vs. 7. *Quum exirem portam ad civitatem, in foro custodiebam sedile meum:* vs. 8. *Videbant me juvenes & se occultabant, & annosi surgebant, stabant.* Auctoritate mea commoti juvenes certatim e via cesserunt & densi constiterunt ut posteriores videri non possent; Decrepiti etiam senes honoris & reverentiae causa adsurrexerunt donec sedeam mem occupassem. vs. 9. *Duces continebant verba & manum imponebant ori suo.* vs. 10. *Vocem principes occulebantur, & lingua illorum ad palatum ipsorum adhaesit,* primum in dicendo locum mihi lubenter concedebant. vs. 11. *Nam auris audiebat, &*

& beatum me praedicabat, & oculus videbat atque atteſtabatur mihi. Qui ex locis remotis veniebant ut meam felicitatem quam fama acceperant viderent.

b. Quam ſancte dignitatem omnem geſſerit, vel & ejus ſic amplificatae cauſam indicat vs. 12-17. vs. 12. *Nam faciebam inopem implorantem, ut evaderet, & pupillum ac opitulatore deſtitutum.* vs. 13. *Benedictio perituri in me redundabat; & cor viduae faciebam, ut jubilaret.* vs. 14. *Juſtitiam indui, & amicivit me: ut chlamys & mitra erat judicium meum.* Nominat forte has veſtes quia ipſi judici in uſu erant. vs. 15. *Oculi eram caeco, & pedes claudo.* vs. 16. *Pater eram inopibus. Et litem,* Ejus quem *non noram, perſcrutabar.* vel Litem quam non noram. Litem ignotorum etiam hominum. Cauſam eorum qui fori proceſſum non norunt, nec ſuam cauſam ſic proferre poſſunt, ut qualis ſit judex ſatis ex illis cognoſcere queat. Alii: Cauſas etiam ad me non delatas indagabam. Non expectabam meae opis implorationem ne mea mora cuiquam fieret injuria. Sunt qui prae metu aut pudore aut inopia judices non audeant vel non poſſint adire. Unde judicem decet non expectare ſemper implorationem ſui judicii, ſed pro officio inquirere in injurias, quae miſeris ac imbecillioribus inferuntur. vs. 17. *Et frangebam molares injuſti & ex dentibus ejus ejiciebam praedam.*

c. Unde nata ipſi ſpes perennaturae hujus felicitatis & tranquillitatis in hac etiam vita vs. 18-25. vs. 18. *Et dixi, in nido meo expirabo* tranquille in Domo mea *& ut ſabulum multiplicabo dies.* vs. 19. *Radix mea erit aperta ad aquas* excipiendas, humorem tranſmittens ut arbor ſemper floreat, oppoſita radici obturatae quae humorem non tranſmittit ad Truncum & ramos *& ros pernoctabit in ſegete mea* continua erit felicitatis innovatio. vs. 20. *Honor meus erit novus apud me, & arcus meus in manu mea proficiet.* vel Gloria mea recens mecum ſtabit, & arcus meus in manu mea reviréſcet, omne id per quod honorem & gloriam augebo, uti arcu bellico gloria conciliatur. vs. 21. *Me auſcultabunt & expectabunt, & ſilebunt ad conſilium meum.* vs. 22. *Poſt verbum meum non iterabunt, & ſuper ipſos ſtillabit verbum meum.* vs. 23. *Et ſperabunt, tanquam pluviam, ad me, & os ſuum pandent* tamquam ad *ſerotinam.* vs. 24. *Riſe-*

ro ipsis, non credent; humanus & hilaris fuero erga eos, de sua erga me reverentia nihil remittent, sicut alioqui familiaritas potenti parit contemptum. Quae maxime optamus, cum fiunt prae gaudio fere fieri vix *credimus*. *Et lucem faciei meae non facient cadere.* Numquam contrahendae frontis causam praebuerit, vs. 25. *Eligam viam eorum*, qua me ducem suum sequantur *& sedebo ut summus & habitabo ut rex in turma: ut, qui tristes solatur.*

CAPUT TRIGESIMUM.

33. Cap. xxx. Praesentis sui status infelicitatem deplorat. Hanc querelam instituit

αα. Partim de hominibus indigne ipsum tractantibus ℣s. 1 - 10. ℣s. 1. *At nunc irrident me, qui minores me sunt annis. Quorum parentes sprevissem, ne eos collocarem apud canes gregis mei.* Qui jam olim ad Gregis custodiam adhibebantur, ℣s. 2. *Etiam vis manuum ipsorum quo mihi?* Quum *super ipsis periit senectus*, tantum sibi non acquisiverant unde sustentarent senectutem suam. ℣s. 3. *In defectu & fame* quisque eorum *solitarius* erat, *fugientes in aridum, nuper vastitas desolatissima.* ℣s. 4. *Qui carpebant malvam ad frutices, quorum panis* erat *radix juniperorum.* ℣s. 5. *De corpore civitatis pellebantur: vociferabantur super iis, ut fure.* vs. 6. *In tremendo vallium habitabant foramina pulveris & petrarum.* vs. 7. *Inter virgulta rudebant, sub vepribus consociabant se.* vs. 8. *Filii flagitiosi, etiam filii carentis nomine*, eorum, *qui propulsi erant ex terra.* vs. 9. *At nunc cantilena ipsorum factus sum, & factus sum ipsis in dicterium.* vs. 10. *Aversantur me, elongantur a me, non continent a facie mea sputum.*

ββ. Partim de Deo auctoritatem ipsi auferente, impugnante, mutato in alium & persequente, cujus rei causa non fuit, quod ipse erga afflictos alios immitem se praebuerit, cujus contrarium fidenter admodum adserit vs. 24. 25. quare durior illa afflictio immerenti ut videtur immissa, vehementius illum cruciat vs. 11-31. vs. 11. *Quia solvit nervum meum, & suppressit me: & habenam a facie mea abjecerunt.* vs. 12. *Ad dextram juvenculi constiterunt: pedes meos pepulerunt: & aggerarunt contra me itinera perniciosa sua*, sum illis eorumque injuriis velut via trita. vs. 13. *Ever-*

Everterunt semitam meam; ad infortunium meum proficiunt, auxiliator mihi non est adversus eos. Alii non est qui erudiat, redarguat eos ex significatione verbi arabici, cujus notio ad primariam auxilii reducitur. vs. 14. *Tamquam lata fenestra veniunt, vice repentinae vastitatis provolvunt se.* Tanto in me prosternendum impetu feruntur, quasi violentissimus turbo illos arripuerit, sub se provolverit & in me illiserit. vs. 15. *Versum est apud me in nebulas: persequitur ut ventus dignitatem meam: & ut nubes transit salus mea.* vel *Conversum est adversum me quodlibet terrorum. Persecutus est sicut ventus principalem dignitatem meam & sicut nubes transit salus mea.* vs. 16. *Et nunc apud me effundit se anima mea, apprehendunt me dies debilitatis.* vs. 17. *Noctu ossa mea* unumquodque eorum *perforatur* acutissimis doloribus *a me* quasi a me avellenda essent *& venae meae non quiescunt.* vs. 18. *Maxima vi mutat se, sicut vestem meam, ut os indusii mei cingit me.* Quam facile vestis mea mutari, vel vestis mutari cum alia potest, tam facile Deus se mutat & variat in immittendis mihi doloribus novis, id quod ipsi non difficile quia robore infinito pollet, & Deus circumcirca me circumdat & plagas infert ut non possim evolvere me. vs. 19. *Projecit me in coenum, & similis effectus sum pulveri & cineri.* vs. 20. *Imploro te, & non respondes: substiti, & aspicis me?* vs. 21. *Verteris mihi in immanem hostem, valore manus tuae infestas me:* vs. 22. *Tollis me super ventum & equitare me facis, & dissolvis substantiam meam.* vs. 23. *Quandoquidem novi, quod me ad mortem rediges, & domum condictam omni viventi:* vs. 24. *Sine deprecatione extendat manum suam* Deus ad me affligendum, בְּעִי deprecatio a radice בָּעָא petiit Dan. 11. 16. Non audiat me Deus deprecantem si merui, *si in Calamitate ejus*, qui affligebatur, *ipsis clamor* aut *vociferatio* adversum me fuerit. Si feci ut afflicti de me calamitatem ipsorum augente peterent vindictam, Deus non det locum meae deprecationi. Sed hoc omnino a se amolitur. vs. 25. *Si non potius flevi ei, cui durus dies, indoluit anima mea egeno.* vs. 26. *Attamen bonum exspectavi, & venit malum: & speravi lucem, & venit caligo.* vs. 27. *Viscera mea effervefacta sunt, & non conquiescunt: occurrerunt mihi dies afflictionis.* vs. 28. *Ater incedo sine sole, surgo, in caetu quiritor.* vs. 29. *Frater extiti Draconibus, & sodalis filiabus ululae* vel *Filiabus cla-*

moris. i. e. Struthionibus faeminis. vs. 30. *Cutis mea atra facta est, non adhaerens mihi, & os meum torretur prae aestu.* vs. 31. *Et factus est luctus cithara mea & organum meum in vocem plorantium.*

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

AA. Amolitur Cap. xxxi. suspicionem de causa Afflictionum harum quam Amici ejus animo admiserant.

aa. A se amolitur Crimen

a. Scortationis vs. 1-4. vs. 1. *Foedus pepigi oculis meis; Et quid spectarem virginem?* vs. 2. *Quae enim virginum stupratoribus est portio Dei superne, & haereditas omnipotentis ab excelsis!* vs. 3. *Nonne calamitas est injusto & exitium fabricantibus vanitatem?* ℣s. 4. *Nonne ipse videt vias meas, & omnes gressus meos numerat?*

b. Doli & fraudis ℣s. 5. 6. ℣s. 5. *Si ambulavi cum temeritate & festinavit ad dolum pes meus?* puniat me Deus. vs. 6. *Ponderet me Deus lancibus justitiae, & cognoscet integritatem meam.*

c. Rapinae & furti ℣s. 7. 8. ℣s. 7. *Si declinavit gressus meus a via, & post oculos meos ivit cor meum & in palmis meis haesit labes.* vs. 8. *Tum seram, & alius comedat, & progenies meae eradicentur.*

d. Adulterii vs. 9-12. vs. 9. *Si seductum fuit cor meum super muliere, & ad ostium proximi mei insidiatus sum:* vs. 10. *Molat alteri uxor mea, & super eam se incurvent alii.* vs. 11. *Nam hoc* est *scelus, & illa* est *pravitas judicialis.* vs. 12. *Nam ignis hic est, qui vorat usque ad perditionem, & qui omnem proventum meum eradicaret.*

e. Tyrannidis & saevitiae in servos vs. 13-15. vs. 13. *Si spernebam jus servi mei & ancillae meae, quum contenderent mecum.* vs. 14. *Et quid facerem, quum exsurgeret Deus* ad inquisitionem? *& quum visitaret, quid ei responderem?* vs. 15. *Nonne in utero factor meus fecit* & *ipsum, & aptavit nos in matrice una* non numero sed specie & similitudine.

f. Inclementiae erga miserabiles vs. 16-20. vs. 16.

℣s. 16. *Si negavi aliquid de desiderio tenuium, & oculos viduae confeci*, ℣s. 17. *Et comedi fructum meum solus, & non edit pupillus de eo.* vs. 18. *Nam a puerita mea adolevit apud me tanquam patrem: & ab utero matris meae duxi eam* viduam ope & auxilio. vs. 19. *Si viderem pereuntem* eo quod *vestem non haberet, & non esset tegmen egeno:* vs. 20. *Si non benedixerunt mihi lumbi ejus, & vellere agnorum meorum concalefactus est.*

g. Injustitiae in Foro vs. 21-23. vs. 21. *Si agitavi manum meam contra pupillum, quod viderem in foro opem meam.* vs. 22. *Humerus meus* inde *a scapula cadat, & brachium* inde *a canna frangatur.* vs. 23. *Nam pavori mihi* erat *calamitas Dei*, ab illo immittenda, *& prae majestate ejus non valebam.*

h. Fiduciae in Divitiis vs. 24. 25. vs. 24. *Si posui aurum confidentiam meam & insigni auro dixi; fiducia mea.* vs. 25. *Si laetatus sum, quod auctae essent copiae meae: quod maximum assecuta esset manus mea.*

i. Idololatriae & superstitionis vs. 26-28. vs. 26. *Si vidi lucem, quod splenderet, & lunam pulchre incedentem:* vs. 27. *Et seductum est in secreto cor meum; & osculum tulit manus mea ori meo.* vs. 28. *Et haec pravitas judicialis* est. *Nam abnegassem Deum, qui supra est.*

k. ἐπιχαιρεκακίας sive improbi gaudii de Hostium calamitate vs. 29-31. vs. 29. *Si laetabar in calamitate osoris mei, & excitavi me, quum invenit ipsum malum.* vs. 30. *Atqui non sivi peccare palatum meum, ut expeterem in execratione animam ejus.* vs. 31. *Si non dixerunt homines tabernaculi mei: quis det de carne ejus! non satiaremur.* Ego tamen illorum vindictae studio incitari me erga osorem meum passus non sum.

l. Inhospitalitatis vs. 32. *In publico non pernoctabat peregrinus: fores meas ad iter aperiebam.*

m. Occultationis peccatorum & impudentiae. vs. 33. 34. vs. 33. *Si texi, ut Adam, defectiones meas, ut conderem in sinu meo pravitatem meam.* vs. 34. *Quod timerem turbam multam*, nempe coram illa pudefieri, *& contumelia familiarum me consternaret! Imo silui & ostio non exivi* prae pudore & dolore agnoscens culpam non excusans.

§§. De his omnibus illibatam & intrepidam

Conscientiam sibi esse testatur vs. 35-37. vs. 35. *Utinam mihi sit, qui audiat me: Ecce consignatio mea* i. e. ratio vel defensio mea velut consignata! *omnipotens responderet mihi: si libellum scripsisset actor meus;* vs. 36. *Si non in humerum meum tollerem, alligarem illum, ut coronas, mihi.* Non abscondam eum Librum sed omnibus illum ostentabo, confisus me innocentiam meam omnibus & singulis probaturum. vs. 37. *Numerum passuum meorum*, facta omnia, *indicarem illi. Instar ducis admoverem illum* mihi.

γγ. In specie a se removit crimen tyrannicae subjectorum oppressionis, vel colonorum suorum nimiae emunctionis. vs. 38-40. vs. 38. *Si super me ager meus clamat, & pariter sulci ejus flent.* vs. 39. *Si vim ejus edi sine argento, & animam Domini ejus feci exhalare.* Quod sci. Coloni ejus omni labore non potuerint tantum tributi aut frugum ab eo extorquere quantum ego postulassem. vs. 40. *Pro tritico exeat carduus, & pro hordeo labrusca. Finita sunt verba Ijobi.*

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

γ. Sermones Elihu

α. *Silent tandem tres illi amici quod Jobus justus esset in oculis suis* Cap. XXXII. vs. 1. Nempe ex mente Amicorum ejus

β. vs. 2. *Exarsit propterea ira Elihu filii Baracheel Bussitae e familia Ram, & in Jobum, quod ille se justificaret prae Deo, & in tres socios ipsius, eo quod non invenirent responsum, & tamen Jobum damnarent.* Ille

Δ. Rupto silentio, quod hactenus modestiae causa servaverat, se ad dicendum accingit, & praemissa excusatione vel defensione sui facti declarat se sine prosopolepsia de tota causa acturum. Vide quae de illo diximus in prolegomenis in protheoria amicorum Jobi. Ille explosis amicis non levia de se promittit velut numine pleno vs. 4-22. vs. 4. *Et Elihu exspectaverat Ijobum in sermonibus: quandoquidem illi erant vetustiores aetate.* vs. 5. *Et vidit Elihu, quod non esset responsio in ore trium istorum virorum: & exarsit ira ejus.* vs. 6. (*Et respondit Elihu filius Barachelis Bussitae: & dixit*) *Exiguus ego sum aetate, & vos annosi. Ideo trepidavi & timui, ne indicarem sententiam*

illam meam vobis. vs. 7. *Dicebam: AEtas loquatur, & multi anni notificabunt sapientiam.* vs. 8. *Verum spiritus Dei is est in mortali, & halitus omnipotentis eos erudit.* vs. 9. *Non ampli sapientes sunt, nec senes intelligunt judicium.* vs. 10. *Ideo dico ausculta mihi, indicem sententiam meam etiam ego.* vs. 11. *Ecce expectavi sermones vestros, attendi usque ad intelligentias vestras, usque dum pervestigaretis verba.* vs. 12. *Et ad vos attendi* quidem, *sed ecce non habet Ijob, qui arguat, respondeat dictis ejus, ex vobis.* vs. 13. *Ne dicatis, assecuti sumus sapientiam: Deus impellet* redarguet *eum, non homo.* vs. 14. *Et non direxit ad me verba, & non dictis vestris replicabo ipsi.* vs. 15. *Consternati sunt, non respondent amplius, alienarunt* se *ab illis verba.* vs. 16. *Et expectavi, cum non loquerentur, quum subsisterent, non responderent amplius.* vs. 17. *Respondebo etiam ego partem meam; indicabo sententiam meam etiam ego.* vs. 18. *Nam plenus sum verbis, arctat me spiritus ventris mei.* vs. 19. *Ecce venter meus* est *ut vinum*, quod *non aperitur, ut utres novi, effinditur.* vs. 20. *Loquar, & laxius mihi erit: aperiam os & respondebo.* vs. 21. *Ne accipiam faciem viri: & ad hominem ne permutem nomina.* vs. 22. *Nam nescio nomina permutare: paullo momento me tolleret factor meus.* Verbum אכנה est loco infinitivi. Sic verte *non novi* i. e. alienum a me est *nomina permutare* de rebus aliter judicare & loqui atque ipsae sunt, subintellige ; quod extat Ester. VIII. 6.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

1. Postquam denuo ad attentionem sibi, non sine Divina vel inspiratione vel revelatione loquenti, habendam invitavit, se accingit ad diversarum quaestionum pertractationem Cap. XXXIII. vs. 1-7. vs. 1. *Sed audi, age, Ijob, verba mea, & omnes sermones meos auribus conde.* vs. 2. *Ecce, age, aperui os meum, loqui instituit lingua mea in palato meo.* vs. 3. *Recitudo cordis mei* sunt *dicta mea; & sententiam labia mea clare explicant.* vs. 4. *Spiritus Dei fecit me, & halitus omnisufficientis vivificavit me.* vs. 5. *Si potes, responde mihi, dirige contra me, pedem fige.* vs. 6. *Ecce ego sum, ut tu, Dei: ex luto excisus sum etiam ego.* vs. 7. *Ecce terror meus non percellet te & palma mea super te non erit gravis.* Pares ergo origine pares eramus in certamine.

ℵℵ. Prima Quaestionum est quod *Job dixerit, se purum esse absque defectione, tersum esse, & non esse pravitatem sibi*, se a Deo pro hoste reputari propter infirmitates vel fragilitates improportionatas tali judicio (forte illud Elihu colligit ex Jobi dictis Cap. x. 7. Cap. xvi. 17. & xxiii. 10. 11. Cap. xxvii. 5.) vs. 8-12. vs. 8. *Certe dixisti in auribus meis, (& sonum verborum audiebam.)* vs. 9. *Purus ego sum, sine defectione: tersus ego* sum: *& non* est *pravitas mihi.* vs. 10. *Ecce vacillationes in me reperit; reputat me pro hoste sibi.* vs. 11. *Ponit in cippo pedes meos, & custodit omnia itinera mea.* Ob leviores vacillationes, non ob malitiosam pravitatem, quam in me non agnosco, ita me tractat.

a. Heic Elihu pronunciat quidquid sit de illa justitia, quam Jobi religio docet, & de illa Jobi, qui hanc justitiam amplexus sit, integritate, saltem heic Jobum non esse justum, quia sic manifeste Deo tribuitur injustitia, quod absurdum est, *quia Deus est major homine* vs. 12. *Ecce in hoc non es justus: respondeo tibi. Nam Deus major est homine.*

b. Inde elicit absonum esse cum Deo contendere, quod Jobus fecerit, illiusque rationem suggerit, nempe quod *Deus omnes rationes suas non explicat* vs. 13. Perperam itaque instituisse Jobum, qui rationem tam singularis afflictionis non perspiciens cum Deo disceptaverit, cujus arcana hominem latent vs. 13. *Quare cum ipso contendisti? quod omnes rationes suas non explicat.*

c. Eum in finem Elihu commemorat finem Dei in afflictionibus suorum Jobo non observatum.

αα. Hominis nempe institutionem, quae sicut fit aliis modis, quos Elihu commemorat, fit etiam per afflictionem vs. 14. 15. vs. 14. *Quum semel loquitur Deus: & duabus vicibus non revidet* immutat *illud*: vs. 15. *In somnio, visione noctis, quum cadit sopor in homines, in nictationibus in cubili:*

ββ. Ad emendationem. vs. 16. *Tunc revelat aurem hominis, & castigationem illorum obsignat.* Eruditionem castigationem vel disciplinam dicitur obsignare Deus, quando afflictionem hominibus minatur, tam certo futuram, quam si sigillo divino hae minae confirmatae essent, obsignantur enim quae certa esse volumus.

γγ. Ad

γγ. Ad fastum avertendum vs. 17. *Uti amolia-tur homo factum improbum & ut superbiam a viro tegat:*

δδ. Ad perniciem ab illo averruncandam vs. 18. *Comparcat animam ejus a fossa, & vitam ejus, ne transeat per missile.*

εε Ut sic humiliatus & ope Angeli mediatoris apud Deum inventum λυτρον allegantis restitutus, quod ad corpus & animam, sit ad gloriam gratiae Divinae apud homines etiam depraedicandae, una cum justis, ob quas Deus mala inflixerat, rationibus, adeo ut talis exitus Deo gloriosus & afflicto salutifer sit, ℣s. 19-33. ℣s. 19. *Et cum redargutus fuerit dolore in cubili suo, & quum multum est ossium ejus continuo* i. e. vehementi dolore correptum fuerit. vel Multitudo ossium ejus perennis, vel perennium. vs. 20. Et *fecerit ipsum nauseare anima ejus ad panem, & vita ejus ad cibum delicatum;* vs. 21. *Consumta fuerit caro ejus a visu, & extent ossa ejus non visa:* ℣s. 22. *Atque adeo appropinquaverit ad foveam anima ejus, vita ejus ad occidentes.* ℣s. 23. *Si est apud ipsum Angelus Advocatus unus ex mille, ad indicandum homini rectitudinem ejus:* ℣s. 24. *Et gratia illum complectatur ac dicat, Redime ipsum ne descendat in foveam: inveni lytrum.* Quando tum in illa divina obsignante correptione dolorosa est apud eum, illi homini ita afflicto & humiliato gratiose adest, angelus Mediator isque interpres unicus ex millibus ut annunciet homini illi rectitudinem suam, nempe & ipsius angeli perfectissimam obedientiam, & justitiam quae justificatum decet, & misereatur ejus & dicat ad Patrem: libera eum ne descendat in perditionem, inveni enim redemtionem. vs. 25. *Revirescens augebit caro ejus prae pueritia, redibit ad dies adolescentiae suae.* vs. 26. *Supplicat Deo, & gratum ipsum habet, & videt faciem ejus cum jubilo: & reddit homini justitiam suam.* vs. 27. *Incedit ad homines & dicit: peccavi, & rectum curvavi, & non aequatum est mihi.* vel prospectabit speculabitur adtente accurate & exacte super, ad, homines, videlicet afflictus ille saluti animae & corporis restitutus, & quidem in hunc finem ut & illi exemplo suo sapere discant & mortificatione membrorum terrenorum ad veram vitam renoventur, & dicet &c. vs. 28. Sed Deus *redemit animam meam, ne transeat in foveam, & vita mea lucem adspicit:* vs. 29.

 Ecce

Ecce omnia haec agit Deus bis ter cum homine, vs. 30. *Ad reducendum animam ejus a fovea, quo illumminetur luce vitae.* vs. 31. *Attende Ijob, ausculta mihi: sile, & ego loquar.* vs. 32. *Si sunt verba, responde mihi, loquere: nam cupio te justificare.* v. 33. *Si non sunt, tu audi me: sile, & docebo te sapientiam.*

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

כב. Consequenter ad hanc procedit controversiam, an Deus judicium auferat, quod vult Jobum liquidò affirmasse; *Deum* nempe *sustulisse Jobi judicium* (respicit ad Jobi verba cap. XXVII. 2.) Cap. XXXIV vs. 1-4. vs. 1. *Et respondit Elihu, ac dixit.* vs. 2. *Audite sapientes, verba mea, & scientes attendite mihi.* vs. 3. *Nam auris verba probat, velut palatum gustat ad comedendum.* v. 4. *Judicium eligamus nobis; cognoscamus inter nos, quid bonum.*

**. Plura heic congerit Elihu, quae omnia vel a Joba dicta, vel ex verbis illius colligi posse censet, nempe *se esse justum, Deum judicium auferre*, quod vs. 12. illi videtur idem esse, quod *το pervertere vel distorquere judicium*, quod plus dicit quam *το removere, differre* vel & *auferre judicium.* Porro quod dixerit *mendax sum dum causa mea justa est*; vel ut alii vertunt: *Convincam falsi adversarium meum in judicio* (quando respiceret forte ad illa quae Job dixerat sub finem Cap. XXXI.) vs. 5. 6. vs. 5. *Nam dixit Ijob: juste egi, & Deus amovit judicium meum*, vs. 6. *Super judicio meo mentior.* Sic Alii sc. spe mea atque ita fallo me ipsum dum longe aliud experior, quam jus & aequum judicium requirere videbatur, *desperata est sagitta* plaga *mea sine defectione.*

**. Colligit hinc Jobum esse hominem profanis accensendum, ex cujus illa sententia sequatur justitiam Deique cultum homini non prodesse. vs. 7-9. vs. 7. *Quis vir, ut Ijob, biberet* admitteret *subsannationem ut aquam?* vs. 8. *Et proficisceretur ad societatem cum tractantibus vanitatem, & ad ambulandum cum improbis?* Jobi judicium de viis Dei ejusque judiciis vocat illusionem & quid vergens ad ultimam impietatem. vs. 9. *Quia dixit: non proficit vir, quando vult cum Deo.*

77. Quare

77. Quare Deum justificaturus rationes adfert justitiam Dei probaturas, petit illas

a. A totius universi uti creatione sic aeque gubernatione, qui vero toti universo dominetur, qui ipse judicium oderit ℣s. 10-16. ℣s. 10. *Propterea, viri cordati, auscultate mihi. Absit a Deo improbitas, & ab omnipotente injustitia.* ℣s. 11. *Nam actionem hominis retribuit ei, & secundum iter viri facit ipsum: ut inveniat.* ℣s. 12. *Etiam Deus vere non agit improbe, & omnipotens non distorquet judicium.* ℣s. 13. *Quis mandavit ei* cuncta a Coelo *usque ad terram? & quis posuit frugiferam totam?* ℣s. 14. *Si adverteret ad ipsam animum suum, spiritum ejus & halitum ejus ad se reciperet*; Quis alius quam ipse totius universi potentissimus & aequissimus creator conservator & gubernator est, & ille jus perverteret? An alius aliquis ipso justior atque potentior praefecturam hanc ipsi imposuit? ℣s. 15. *Expiraret omnis caro pariter & homo ad pulverem rediret.* vs. 16. *Quod si intelligere* i. e. intelligentia inest tibi, *audi hoc, attende ad sonum verborum meorum.*

b. Ab exemplo sumto a rebus humanis. Regi & omni potestati superiori *nequam* dicere, scelus est morte vindicandum. Principibus & viris, de quorum virtute ac fide conspirans est opinio, dicere *improbe* atrox injuria est, quid igitur est summam majestatem omnisque virtutis fontem accusare. vs. 17. 18. vs. 17. *Numquid etiam is qui odit judicium obligaret?* Num is quis odit judicium homini conveniens ita imperabit illi ut cura sollicita & quasi medica optimum illi statum velit? *&, num justum* & *potentem* Deum *damnabis?* vs. 18. *An dicere convenit regi, nequam: improbe, ad princip si?*

c. A prosopolepsia a Deo removenda, cujus nulla apud Deum causa subesse potest vs. 19. 20. vs. 19. *Qui non accipit personam imperatorum, & non recognoscit munificum prae tenui; quia opus manuum ejus* sunt *omnes ipsi*: vs. 20. *Momento moriuntur, & media nocte: fatiscunt populus, & transeunt:* Deus ob oppressionem pauperum, gravissime punit, tum universos populos tum singulos, *& removent*, tollunt *validum violentum sine manu.* Ita tolluntur quasi ne manum quidem moveat, sed eos flatu dissipet Deus.

d. Ab

d. Ab exactissima rerum omnium cognitione, dum facta omnia abditissima etiam illi patent! vs. 21. 22. vs. 21. *Nam ipsius oculi sunt in vias viri, & omnes passus ejus videt.* vs. 22. *Nihil sunt tenebrae, nihil umbra mortis, ut occultentur ibi operarii vanitatis.*

e. A judiciis in magnates actis, quos ad clamorem inopum de statione velut hypocritas & populi laqueos dejicit, quia non resipuerunt seque erudiri a Deo passi non sunt. vs. 23-32. vs. 23. *Nam nequaquam super homine ponet amplius* velum, *ut eat ad Deum in judicium.* Nequaquam super homine velum ponet amplius umbra mortis vel tenebrarum opacitas. vs. 24. *Conquassat maximos sine pervestigatione, & stare facit alios pro illis.* Pauperes in locum eorum. vs. 25. *Propterea recognoscit opera illorum, & mutat* diem *in noctem* ipsis ut pateant eorum opera tenebricosa *& comeruntur.* vs. 26. *Subter improbos* reliquos *collidit illos* Pauperum oppressores *in loco spectantium:* velut in Theatro. vs. 27. *Quandoquidem recesserunt ab ipso sequendo; & omnes vias ejus non consideraverunt.* vs. 28. *Ad adducendum supra ipsum clamorem tenuis. Et ut clamorem* inopum *exaudiat.* vs. 29. *Nam ipse tranquillat, & quis inquietabit? & occultabit faciem, & quis videbit eum? & super gentem & super hominem pariter.* vel sic *Starckius*: *si vero ille quiesceret quis tum condemnaret* vel *reos puniret* (adeo graviter quemadmodum hoctenus a vs. 20. est commemoratum) *sique absconderet faciem* a pio paupere, quis tum attente curae observaret *respiceret eum* ad eum juvandum liberandum: *& simul ad gentes & ad homines* i. e. ad infideles & fideles quis respiceret. Sed quia dictio simpliciffimè innuit actionem aliquam creaturae quae actioni divinae opposita eam inhibeat vel invertat, Nos retinemus datam versionem. Ubi Deus pro sanctissimis sapientiae & justitiae suae rationibus inopes permittit Tyrannidi potentiorum quis tum tranquillitatem praestet, vice versa ubi per judicia gravissima in potentiores illos acta laeta halcyonia reducit, quis tum quietem turbabit. vs. 30. *Ne regnet homo hypocrita, & ne sint laquei populi.* Redditur ita ratio inevitabilitatis judicii divini. το מ in מִמְּלֹךְ est negativum vel privativum. vs. 31. *Nam ita Deum, cum dixerit: extuli,* me, *non destruar.* Explicari hic videtur invicta

Dei

Dei potentia & veneranda majestas, cui quum justas poenas reposcit resistere nullus impius aut hypocrita possit; *num dixerit* vel dicere cum effectu potest, extuli me in tantum honoris & potentiae fastigium ut destrui non possim. נשׂאתי intransitive velut princeps 1 Reg. XI. vs. 34. aut meteorum & nubes Ps. CXXXV. 7. Aliter *Starckius. Quare ad Deum qui dicet condonavi* (dicas) *non corrumpam*, corrupte non judicabo amplius. Redit heic Elihu a demonstratione justitiae divinae ad Jobum eumque monet de humillima apud Deum erroris sui deprecatione, quam porro in versu seq. Jobo praeit *defectum ad videnda tu doce me. Si iniquitatem operatus sum non addam.* Sed neque priorem Schmidii illam, neque hanc Starckii versionem & explicationem admittimus. Nos ita accipimus, rationem dari exerciti judicii severioris adversus Hypocritam, propterea gravissime punitum quod se ad Deum serio non converterit, non resipuerit: *Etenim ad Deum an dixit* serio *abstuli*, subaudi pravitatem cujus mox inicitur mentio, removi eam a me, *corrupte*, perverse porro *non instituam*: vs. 32. *praeterquam quod video*, peccata vel nunc non occurrentia vel occultiora *tu me fac videre: Pravitatem si feci, non addam*, non pergam facere? Interrogatio negat. Hypocrita hoc non dixit.

II. Inde Jobum confutat cum Deo disceptantem contendentemque, quasi Deus cum illo rationes sit initurus, & rem ab ejus arbitrio suspensurus, quo pacto jus administrare deceat vs. 33. vs. 32. & 33. sic vertunt & accipiunt *Schmidius* & *Michaelis*: *praeter illud quod video, tu mihi monstra*, o! Jobe, *si quid iniqui admisi* in verbis meis, *non addam*: *An vero ex te alius quis compensabit illud quod si tu ipse renuis. Nam tu eliges, & non ego. Quidquid ergo noveris loquere.* An alius quis *compensabit* i. e. respondebit ad id quod vs. 32. petii, respondebit ex te, ex animi tui sententia, sic ut particula accipiatur de auctore vel causa efficiente conf. Gen. XLI. 32. 1 Sam. XX. 33. Jes. VIII. 18. Hos. VIII. 4. Quod si tu ipse renuis mihi respondere & admissos a me errores mihi ostendere, *tu enim eliges*, optionem habebis, *& non ego* tibi praescribam, habes optionem respondendi per alium si ipse nolis, loquere ergo per te vel per alium, qui mentem tuam exprimat, quidquid noveris. Interea

sat scio frustra es, nemo cordatorum hominum pro te ex mente tua mihi respondebit. Aliter *Starckius*: *num ob communionem tuâ* cfer supra ad vs. 9. *perficiet illud* condonare vs. 31. *cum renueris* sc. apud Deum deprecari errorem tuum vs. 31. 32. *Quod tu praelationem habeas* apud eum ex opinione tua *& non ego*. Sed neque illam Schmidii vs. 32. & vs. 33. *alium* aliquem qui pro Jobo ad ejus optionem respondeat inferentem versionem probamus; neque & hanc quaesitam Starckii interpretationem admitto. Certe מאס & בחר ut opposita heic se mutuo respiciunt. Nos ita accipimus: post demonstratam sapientissimam & aequissimam gubernationem vel in immittendis judiciis iniquè affligentibus alios, vel in liberandis afflictis, Jobum interrogat Elihu: *An* igitur *ex tua sententia*, pro ut tibi videtur, *rependet aliquid* boni vel mali Deus? subaudi, & non rependet? non rependet *quum tu renueris*? arbitratus fueris id fieri non debere? & rursus *quum tu elegeris & non ego*, arbitratus fueris rependi debere aliquid, subaudi *rependet*? sensus huc redit: an pro tuo arbitrio, pro ut tu illud vel renueres vel eligeres bonum vel malum rependet Deus vel non rependet, cui soli pro summa ejus potestate & sapientia & justitia permittenda est rerum mundanarum gubernatio? Et an tibi in eo est privilegium aliquod? Illud *& non ego* quod est in posteriore membro etiam subaudi in priore. *Quum renueris tu*, & non ego, vel quisquis mortalis alius, dum tua solius praerogativa est universi moderatori leges figere, secundum quas tecum, consequenter & cum aliis, agere debeat, *quod ergo novisti* quod sapis prae reliquis mortalibus omnibus in eo quid Deum in universo regundo magis vel minus deceat, loquere, nobis expone. Sed nulli sapientum persuadebis quod sequitur.

ζζ. Provocat ad viros cordatos Jobum insulsa loquutum damnaturos vs. 34. 35. vs. 34. *Viri cordati dicent mihi, & vir sapiens audit me.* vs. 35. *Ijob non in scientia loquitur, & verba ejus non* sunt *cum consideratione.*

ηη. Versa ad Deum oratione illud obnixe rogat, Job eousque probetur exploreturque dum sibi innotescat; ne delicta delictis cumulare pergat vs. 36. 37. Sic Aliqui: imo *pater meus* quisque me lenior dicet *probetur Ijob etiam atque etiam*

propter

propter responsiones cum hominibus vanis, quae & sunt hominum impiorum. Non est apostrophe ad Deum quae huc minime quadrat, sed est prosopopoia patris cujusdam ex illis viris cordatis sapientibus & peritis vs. 34. cum Elihu in hoc consentientibus quod Jobus non cum scientia locutus sit nec sermones ejus fuerint cum prudentia vs. 35. atque ex his unus loco omnium sententiam in medium profert suam: *Pater* vel Magister meus, scilicet dicit *probandus est* durioribus adhuc calamitatibus & sicuti metalla per ignem quae propria vis & usus est verbi, *Jobus usque ad victoriam*, donec Deo porrigat manus & blaterationibus suis renunciet: *propter responsiones* argumentationes *sicut viri iniqui* impii vs. 37. *quia* alias *addet super errorem suum praevaricationem, inter nos complosurus* manus ex impatientia & iracundia, & *multiplicabit sermones suos adversus Deum, nec desinet.* Quamvis magnopere non repugnamus; non video tamen cur illa ad Deum apostrophe huc non quadret. Res eo redit, Jobum de viis Dei inscite & inique loquentem ulterius a Deo corrigendum esse. Deo oggannire & obloqui. Vs. 37. *Nam addit ad peccatum suum defectionem* per sermones suos, *inter nos plaudit, & multiplicat dicta ad* versus *Deum.* Id nempe dicet quisque senex qui ratione aetatis & experientiae pater dici potest; vel dicit ipse Elihu.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

C. Jobi causam porro gravat hac ratione, quam velut ex ante dictis colligit, quod velit se prae Deo justum esse, Deum administrando juri deesse, unde consequatur, justitiam homini non magis prodesse, quam peccatum Cap. xxxv. vs. 1-3. vs. 1. *Et respondit Elihu, ac dixit:* vs. 2. *Numquid hoc cogitasti ad judicium (dixisti: justitia mea prae Dei* justitia est.) vs. 3. *Ut diceres* dicere etiam possis *quid proderit tibi? quid utilitatis absque peccato meo* si sim, piè vivam?

NN. Respondet non laedi equidem nec juvari Deum factis nostris, nullam fieri illi decessionem vel accessionem boni malive per nos, esse haec mortalium commercia vicissitudinesque, ut sibi mutuo adminiculentur vel noceant vs. 4-8. vs. 4.

Ego respondebo tibi, & amicis tuis tecum. vs. 5. *Intuere caelum & vide, & specta nubes, quae te altiores sunt.* vs. 6. *Si peccas, quid facis ipsi? & multiplicentur defectiones tuae, quid efficis ipsi?* vs. 7. *Si justus es, quid das ipsi, & quid ex manu tua capit?* vs. 8. *Viro tui similis improbitas tua* nocebit, *& filio hominis justitia tua* proderit.

כב. At vero homines ita instituentes, quasi justitia non prosit prae peccato, inopes affligentes & rebus in laetis atque adversis factorem suum non agnoscentes, non quaerentes, non celebrantes, a Deo puniri Deumque vociferantibus tunc, opemque nequicquam implorantibus non succurrere. vs. 9-13. vs. 9. *Propter multitudinem oppressorum clamant* oppressi, *quiritantur propter brachium* violentiam *Magnatum.* vs. 10. *Et non dicit* illorum magnatum aliquis *ubi est Deus, factor meus: dans cantus in nocte?* vs. 11. *Docens nos prae pecudibus terrae, & prae avibus caeli, sapientes nos faciens?* vs. 12. *Ibi* mutata rerum facie *clamant, & non respondet* Deus clamantibus Magnatibus *propter elationem malorum.* vs. 13. *Certe temerarium* vanas preces *non audit Deus, & Omnisufficiens non aspicit illud.*

גג. Monet Jobum, credat, judicium non ablatum iri, seque mitius quam meruerat habitum esse vs. 14-15. vs. 14. *Etiam, quum dicas, non videre te ipsum* ut judicem *est judicium coram ipso, & praestolaberis eum.* Quae non puniuntur in hoc seculo puniuntur in futuro. vs. 15. *Nunc itaque si* vel *nullum* impiorum *visitasset ira ejus, & non advertisset adauctum valde* cumulum peccatorum, vel *visitaret, adverteret. Tamen Ijob vane aperit os suum & grandia facit verba sine scientia.*

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

דד. Attentionem denuo flagitat Elihu Cap. XXXVI. Grandia se dicturum promittens vs. 1-4. vs. 1. *Et addidit Elihu, & dixit.* vs. 2. *Expecta me paullum, & indicabo tibi. Nam adhuc* sunt *pro Deo verba.* vs. 3. *Feram sententiam meam de longè* non ab obviis sed de ultimo velut cognitionis meae limite *& fabricanti me dabo justitiam.* vs. 4. *Nam sanè non* sunt *falsum verba mea. Integer sensibus tecum* est.

ee. Pro-

aa. Propositio est

a. Deum jus administrare, bonis bene facere, malos male perdere vs. 5-7. vs. 5. *Ecce Deus est maximus, & non spernit. Maximus virtute cordis:* vel *Ecce Deus est potens nec tamen spernit* quenquam impotentem, *potens inquam robore & sapientia*, ita optime Diodatus, potens sed robore conjuncta cum sapientia. vs. 6. *Non vivificat improbum, & judicium justi dat.* vs. 7. *Non diminuit a justo oculos suos* curam & favorem, etiam quandoque *cum regibus in throno collocat ipsos in perpetuum, & exaltantur.*

b. Sique aliquando justos affligit, illos per afflictionem illam saniora monitos liberare. Secus Deum instituere cum hypocritis pervicacibus, impietati calamitatique suae permittendis. Quo ipso patet discrimen inter illos, inopesque quos liberat vs. 8-15. vs. 8. *Et si* qui fuerint *vincti catenis, qui capiantur funibus inopiae:* vs. 9. *Et aperit aurem ipsorum ad eruditionem, & dicit, ut revertantur a vanitate.* vs. 11. *Si audiverint, absolvent dies suos in bono & annos suos in suavibus.* vs. 12. *At si non audierint, per missile transeunt, & expirant, sine scientia.* vs. 13. Etenim *hypocritae corde ponunt iram, non implorant, quando vinxit eos.* vs. 14. *Moritur in infantia anima illorum, & vita illorum inter impudicos.* Ita ad h. l. Starckius „ verum hypocritae corde apponunt iram. Non vociferantur humillime ad Deum quum vinxerit sive castigaverit ipsos, propria nempe justitia turgidi confer vs. 8 & 10. propria inquam justitia turgidi, opinantes se esse innoxios sine crimine & pietati suae tale quid non deberi. Ita accipiendum est, quod hypocritae se ipsos irrequietos reddant quum de ira Dei & poena in sequentibus agatur vs. 14. ideo morietur *cum excussione* anima eorum i. e. illi ipsi morientur ita ut anima eorum e corpore tanquam pulvis e veste & tanquam aqua ex oleribus humectatis & tanquam locusta nocens ex arvis excutiatur, significatur mors violenta: Et anima eorum brutalis erit cum Cynaedis; notatur ita mors turpissima & aeterna. vs. 15. sed eripiet afflictum subaudi humiliter vociferantem ex vs. 13. cui hic versus opponitur, in afflictione sua. „ vs. 15. *Contra liberat inopem* innocentem *in inopia sua,*

& quorum detegit in pressura aurem. Ipsis quasi in aurem mentis dicens se mox ipsos liberaturum.

33. Hinc colligit, quod Deus Jobum etiam adduxisset ab omni angustia in latitudinem, & concessisset ei res laetas, nisi animo fuisset obstinato. Sic ergo videtur applicare ad Jobum, quae in genere dixerat, accensereque eum hypocritis vel illis, qui mensuram iniquitatis improborum adeoque judicii in se agendi impleverint, in quos aestus irae Divinae magno etiam λύτρῳ non placandae & avertendae deferbuerit. Quare deterret illum a voto mortis, in hoc rerum statu infelicis illi futurae ℣s. 16-21. ℣s. 16. *Atque etiam removebit te ex faucibus angustiae, & latitudo*, amplum obambulandi spatium tibi erit, *& demissio*, vel *descensus mensae tuae*, quidquid ciborum mensae tuae imponitur *plena* vel *plenum* erit *pinguedine*. Quasi diceret; & pro tali inope ego te habeo, secus ac Amici tui, Deus te liberaturus est, modo ad malum ne te convertas. ℣s. 17. *Et judicio ejus improbi impleberis*, satiaberis *jus & judicium sustentabunt* te. ℣s. 18. *Quum ira est cave ne commoveat te cum complosione, & amplitudo Lytri ne faciat te deflectere*, quum tibi est ira indignationis & impatientiae, cave id agas ne Deus ita te commoveat ut terrae allidat ad interitum, & sufficientia Lytri de quo dixi Cap. 33. ne faciat te deflectere ad eam cogitationem tibi non esse salutiferum ut porro per calamitates exploreris & purgeris. Huc fere exit Schmidii expositio. Sed ubi perpendo vs. 19. Intelligitur non λύτρον illud Angeli Interventoris Cap. XXXIII. Sed aliud qualecumque lytron quod Jobum angustiis eximat. Neque constat, Elihu tam benigne sensisse de Jobo ut illum habeat pro tali afflicto pio qui certo certius sit liberandus. Quare versum 16 & seqq. sic potius verto. Quemadmodum Deus afflictos pios ℣s. 15. liberat *sic & te* si serio ad ipsum te convertisses piumque hominem te probasses *removisset ex faucibus angustiae & latitudo tibi fuisset cui non sit angustum limitum suorum*, & *descensus mensae tuae plenus esset opimitate*, vs. 17. Sed *judicium improbi implevisti, jus & judicium apprehenderunt te.* vs. 18. *Quum aestus est* irae Divinae adversum te, *cave ne te commoveat cum complosione, nam quantum est Lytri non deflecteret te.* Quale sit illud Lytron indicet. vs. seq. vs. 19. Num *aestimabuntur* apud Deum *opes*

tuae

tuae si quas habes reliquas? *non aurum: neque ullae vires roboris*, nihil quidquid eximium est aestimabitur vel lytron esse poterit ℣s. 19. *Num aequalis esset imploratio tua non in arcto, & omnes contentiones virium?* ℣s. 20. *Neque* etiam *anhelet ad noctem: quae facta est, ut tollantur* & projiciantur *populi infra se*, ne ad mortem sic anheles. vs. 21. *Cave, ne respexeris ad vanitatem. Nam propterea elegisti* quicquam, Mortem *prae inopia*.

γγ. Inculiat venerationem erga divinam Majestatem

a. Tum in Attributis & summa perfectione ℣s. 22, 23. ℣s. 22. *Ecce Deus sublimis est potentia sua, & quis similiter atque ipse docet.* vs. 23. *Quis mandavit ipsi viam ejus: & quis dixit, tractasti injustiam?*

b. Tum in operibus Dei vs. 24 - XXXVII - 13. vs. 24. *Recordare, quod* ipse *magnificaveris*, praedicaveris *opus ejus, quod decantant homines:* vs. 25. *Omnes homines aspiciunt illud, mortalis cernit è longinquo.* vs. 26. *Ecce Deus: immensus est (neque scimus) numerus annorum ejus, & non est pervestigatio.* vs. 27. *Nam minutatim contrahit guttas aquae, quae eliquant pluviam, in vaporem suum:* Alii *minutas facit guttas quae liquefaciunt* & liquefactam effundunt *aquam Nubi ipsius* Dei. Mirabile illud Dei opus est quod Nubes subinde guttatim decidunt non per modum rivorum aut fluminum. vs. 28. *Quibus stillant tenues nubes, rorant super homines plurimos.* vs. 29. *Etiam si consideret* quis *expansiones nubium, strepitus tabernaculi ejus.* Densas, atras & streperas nubes quae cum strepitu & a ventis agitantur & pluviam aut grandinem demittunt, quae saepius in scriptura describuntur ut Tabernaculum Dei quod ille sibi obducit. vs. 30. (*Ecce pandit circa se lucem suam, & radices maris superimegit.* Alii: Ecce expandit super ipsam densam nubem Lucem suam, nempe fulguris, & radices tamen maris, non coelum tantum & sidera sed & terram & mare Nubes densa obtegit. vs. 31. [*Nam per haec judicat populos, dat cibum magnificanti* Deum. vs. 32.] *Manibus insternit lucem, & interdicit ei de supplice:* vs. 33. *Indicat super illo cogitationem suam, pecude etiam de eo quod germinat.* Alii duos hos versus ita vertunt, *Propter manus* supplicum *abscondit fulmina* & *praecipit fulguri* ne noceat *propter precibus*

cibus intercedentem, & vs. 33. *Indicat* five indicium adfert *de eo*, malo tempestatis aut fulmine *socio suo*, ex arab. *Domino suo*, pastori suo, indicat inquam pecus, quod sic repetitur propter accentus, *etiam de* tempestate *exoriente*, dum de nube fulminea praesensationem habet. Cap. XXXVII. vs. 1. *Etiam*, inquam, *hujus gratia trepidat cor & salit e loco suo.* Elegans est descriptio cordis trepidantis. Pulsat enim cor in trepidatione & sursum movetur. vs. 2. *Audite audiendo commotionem vocis ejus, & suspirium, quod ex ore ipsius exit.* Elegans hypallage, *iram vocis ejus*, pro *vocem* irae ejus. Fit comparatio cum voce ex ore hominis prodeunte, quae articulata est. Relativum subintelligitur. vs. 3. *Sub toto caelo dirigit illud, & lucem suam ad alas terrae.* vs. 4. *Post illam rugit vox: tonat voce eeffitatis suae, & non moratur illas, quum auditur vox ejus.* Loquitur Elihu ad sensum nostrum, qui prius percipit fulguris lucem, quam sonum tonitru. *Nec tamen supplantat* hoc est, calcaneo velut supposito pessumdat, aut subvertit ea omnia sc. coelum & terram vs. 3. sed potenti manu conservat, licet quodammodo tremefaciat. Alii *nec remoratur, retardat, aut detinet eas voces.* vs. 5. *Tonat Deus voce sua mirabiliter: facit magna quae non cognoscimus.* vs. 6. *Quum nivi dicit, siste te in terra: & imbri pluviarum roboris sui.* vs. 7. *Manum omnis hominis obsignat, ad noscendum omnes operarios suos.* Quo minus propter vehementiam imbris opus rusticum facere possint, sed tamquam manibus in sinum reconditis domi sedeant. vs. 8. *Et intrat fera in latibulum & in cubilibus suis manet.* h. l. non ad insidiandum sed ad effugiendum nives & pluvias vs. 9. *A penetrali venit procella, & a dispergentibus gelu.* Constat ab austro maximè venire turbines. Origo vocis & significatio incerta est; hoc autem evidens ex contextu & re, omniumque consensu, notari plagam septentrionalem. Nullum enim frigus intensius & intolerabilius est quam quod ab aquilone venit, h. e. ita mutat ut fiat constrictum quid instar fusi metalli. vs. 10. *Ab halitu omnipotentis dat glaciem, & latitudinem aquae in angustum.* vs. 11. *Etiam madore fatigat nubem, dispergit nubem lucis suae. Serenatio Coeli*, effectus venti septentrionalis, notior est, quam ut probetur. *Nubem lucis ipsius* Dei i. e. fulgurantem & den-

densissimam. ℣s. 12. *Et ille in circulis versatur gubernaculis suis ad actiones illorum, quicquid praeceperit eis super faciem frugiferae in terram.* Per circuitus intelligit Schmid. omnia quae in omnibus circuitibus coelorum sunt, sidera, meteora, aut quidquid sit quod opus suum habet. Deus omnibus in omnibus circuitibus praesens est cum sua sapientia ut unicuique det virtutem ad opus ad quod destinatum est. ℣s. 13. *Sive in virgam, sive terrae suae, sive in gratiam* praeceperit opus, *facit id obvenire.*

ß. Jobi cum Deo comparatione admonet eum ad sui humiliationem ℣s. 14-20. vs. 14. *Auribus percipe hoc, Ijob: consiste, & considera mirabilia Dei.* vs. 15. *Num conscius eras, quum appelleret Deus illis* animum; *& splendere faceret lucem nubis suae?* vs. 16. *Numquid sciebas de librationibus nubis, mirandis spectaculis ejus, qui est solido judicio?* Fulgur e nubibus per te micat? An eodem modo quo Deus Nubibus dare potes sua libramenta? vs. 17. *Quomodo vestes tuae calidae essent, quum terra quiescit, ab Austro?* Turbinem namque austri & procellam, quando quiescit & sedatur, ingens & propè intolerabilis calor sequi solet. vs. 18. *Pandebas cum ipso aetherem firmum instar speculi fusi?* Miraculum rei in eo situm est, quod Nubes aqua repletas sustineat expansas quasi laminas quasdam metallicas. Unde firmitatem iis in sequentibus verbis tribuit. Coelum serenum de quo hic loquitur stat immobile perspicuum & invariatum. Sic dicitur in oppositione ad aquas mobiles, quae etiam sunt speculum sed non firmum, verum motui obnoxium. Speculum vero fusum & solidum & firmum est, & non mutatam reddit faciem. Sic Alii. Sed tu intellige de ipso Expanso vs. 19. *Notifica nobis, quid dicemus illi* quod nesciat? *Non consistimus propter tenebras* intellectus. vs. 20. *An referretur illi, ubi locutus fuero* quasi dignum quid quod audiat? *An* ergo *dixerit vir, quod laedatur* injuriam patiatur? Quasi Deus jus ignoret.

γ. Concludit sermonem per summariam verae sententiae expositionem, quod Deus cum judiciis & operibus suis sit imperscrutabilis vs. 21-24. vs. 21. *Atqui non intuentur lucem,* quando *clara est in aethere, & spiritus transiit & purgavit eum.* vs. 22. *Ab Aquilone aurum venit: apud Deum metuenda est Majestas.* Intelligunt auream Coeli serenitatem. vs.

23. *Omnipotens est, non comprehendimus ipsum, plurimus viribus, &* tamen *jus atque omnem justitiam non opprimit.* Placidè invicem in Deo conspirant infinita ejus potentia & justitia quae in hominibus saepe disjuncta sunt. vs. 24. *Propterea timent ipsum viri, non intuetur ullos sapiente corde.* Ut sc. patiatur sibi ab illis praescribi, timeatque sibi ab illorum sapientia, tamquam justè reprehendere & corrigere ipsum possint.

III. Pars Libri tertia comprehendit Sermones Dei & Jobi responsa.

A. Prior Dei sermo

א. Narratur. Comprehendit

a. Breve Exordium cum involuta Propositione Cap. XXXVIII. vs. 1. 2. 3. vs. 1. *Et respondit Dominus Ijobo ex procella, ac dixit:* vs. 2. *Quis ille, obtenebrans consilium verbis sine scientia.* vs. 3. *Cinge, age, ut vir lumbos tuos, & interrogabo te, & significa mihi.* vel Tu *itaque fac scire me.* Alloquitur Deus Jobum ex procella ad ipsi incutiendam sanctam reverentiam. Tune mecum contendes de viis quas ego Tecum foederato meo inflexi, an relationis foederalis limites excesserim? Qui mecum contendat oportet esse pari mecum sapientia, justitia potentia sicque potestate. Quis igitur tu qui consilii mei ejusque exequendi rationes audes obtenebrare verbis absque scientia. An vel operum meorum in natura modum & rationem omnem intelligis? certe non magis quam ipse illa producere possis & produxeris sicque ab omni aeternitate fueris. Si in naturalibus caecutis, tibi judicium arrogabis in majori opere meo, nempe illo Gratiae?

β. Fusiorem confirmationem ex comparatione Jobi cum Deo in operibus sapientiae & potentiae divinae, quae Jobus nullo modo adsequi, nedum exaequare aut superare possit. Id quod pluribus operum Dei inimitabilium exemplis ostenditur. Quorum est

A. Creatae Terrae fundatio & dimensio applaudentibus Angelis. vs. 4. 5. 6. 7. vs. 4. *Ubi eras, quum fundarem terram? indica, si nosti intelligentiam.* Fuistine tu mecum aut juvisti me ut scias rationem & modum quo eam fundaverim & quo tu quoque Terram fundare possis? An jam tunc eras?

eras? ℣s. 5. *Quis posuit mensuras ejus nam scies*, scilicet! *aut quis tetendit super illa lineam* mensoriam? Certe nemo id fecit, sed sine omni instrumento mensorio aut regula a me condita est. Num ergo tu simile quid praestare potes ut mihi par sis sapientia? ℣s. 6. *Super quo bases ejus fixae sunt, aut quis jecit lapidem angularem ejus?* Certe nec basin nec basium fundamenta habet sed a nihilo tota suspensa est, vide Cap. XXVI. 7. Dic ergo quomodo nihilominus firma consistat? Lapidem angularem super quo requiescat nullum habet. Existimat Cl. SCHEUCHZERUS ad hunc locum in sua Physica Jobi, Deum non id velle, terram a nobis neque posse neque debere mensurari, sed se & in suo Decreto & in decreti executione jam ante mensuras ei exhibuisse. Visus etiam sibi est lapidem angularem se deprehendisse in terrae centro; vel intelligi posse partium omnium continuitatem. In Praefatione laudat aliquem qui in Biblioth. Brem. Fasc. III. Class. II. illustrarit quod ad Cap. XXVI. vs. 7. *Suspendit terram a nihilo*, dilucidaritque hoc modo: ita sane est, in professo enim est apud hodiernos Philosophos, omne quod in terra cognoscitur suam habere gravitatem, omne autem quod gravitatem habet tendere natura sua ad terrae centrum, hoc porro terrae centrum ab omni latere ambiri globi terraquei partibus. Neque ulla excogitari potest ratio cur hic terrae globus, tantae gravitatis moles, in medio aere liquidissimo firmiter compactus haereat, nisi illa, quod cum omnia ad centrum suum tendant, illud ab omni parte terrae particulis cingatur, atque ita terram firmissime inter se cohaerere oporteat. Centrum itaque terrae totam sustinet, compingit, conjungit terrae molem; illud autem centrum nihil aliud est, quam punctum, punctum autem nullas habet partes quod Mathematici norunt, quare exemplum in rebus materialibus nullum datur: quod autem nullas partes habet reapse est ens rationis, est nihil; terra itaque quae pendet a centro suo pendet a nihilo. Id quod hic Jobus testatur. Quis non heic admiretur potentissimi creatoris stupendam cum sapientiam tum potentiam tantam ponderis machinam suspendentis a nihilo: at quis non pariter Jobum miretur de hac re

differentem acsi subtilissimis nostrae aetatis Mathematicorum Praeceptis institutisque fuisset imbutus „ Hactenus ille. Sed haec prorsus abludunt a scopo divinae interrogationis, supponit illa Jobum ad interrogata respondere non posse. vs. 7. *Quum jubilarent una stellae matutinae, & clangerent omnes filii Dei.* Intelliguntur Creaturae rationales quae opera Dei pro suo modulo agnoscunt & celebrant adeoque Angeli cum homo tunc nondum creatus sit. Sunt interpretes qui equidem per filios Dei intelligunt Angelos, sed per stellas matitunas intelligunt ipsa sidera die quarto creata Deum objectivè celebrantia cf. Ps. XIX. 1. Sed repugnat contextus, quia Deus vs. 8. seqq. adhucdum est in operibus Diei tertiae; emblematicè igitur sic dicuntur Angeli quia sunt excercitus coeli superioris, ut stellae inferioris, & radiant luce cognitionis sanctitatis laetitiae & omnimodae beatitatis. Si licet modestè inquirere in rationem cur Deus incipiat a fundatione terrae & non adscendat ad opera priora primae & secundae Diei, existimarem propterea fieri, quia Jobus non tantum non fuit in initio & sic ante omne initium rerum creatarum quod de se affirmat summa sapientia λόγος filius Dei indeque veram suam Deitatem probat Prov. VIII. 22. 23. 1 Joh. 1. vs. 1. sed ne tunc quidem fuit cum jam essent Creaturae rationales. Tunc eras, non dicam in initio cum filius meus erat sed vel tunc cum jam erant Angeli?

B. Maris terminatio vs. 8-11. vs. 8. *Et clausit* vel & quum, vel repete ex vs. 5. quis *foribus* clausit *mare*, *eo erumpente*, *exeunte ex utero*? Ne deflueret sed se in circumferentia sua circa terram & centrum ejus contineret, metaphora sumpta a valvis quibus tamquam obicibus occluduntur & cohibentur aquae in moletrinis. Fiebat hoc cum mare erumperet (גיח intransitivè capio ut Cap. XL. 23. Judic. XX. 30.) & ex utero exiret. Discimus hinc Deum Abyssum illam magnam quam Terra tegebat fidisse & sic mare velut ex utero exiisse, id est multas aquas inde profluxisse & Terram omnem texisse. Idem dicitur Prov. III. 20. *per scientiam ejus Abyssi*, Abyssus illa κατ' ἐξοχὴν, *fissae sunt*, nempe in initio rerum ut contextus docet. vs. 9. *Quum posui nubem vestimentum ejus & caliginem fascias ejus?*

Per

Persistit Deus in metaphora, ut, quia Mare in prima formatione comparaverat infanti in utero & recens nato, nunc, ex quo in lucem prodiit, ei tribuat quae solent recens natis infantibus adhiberi. Id vero intelligunt de nebulis & nubibus ex mari maxime oriundis, eique incumbentibus cum magna tenebrarum inductione. Per fascias hic intelligi debet quid quod mari praestat anologum quid quod fasciae infanti. vs. 10. *Et fregi super ipsum modum meum* vel *virgam mensoriam*, vel *cum deciderem Decretum meum*; *& ponerem vectem & fores*: vs. 11. *Et dixi: Hucusque venies & non addes, & hic mutabitur*, vel *hic ponet* tibi nempe Decretum meum terminum ac modum *in elatione fluctuum tuorum*? Ut filum aut virga mensoria ad certum usque terminum extenditur, & tunc veluti frangitur & abrumpitur. Vel sicut adhuc hodie in peremptoriis judiciis Baculus frangi solet. Est enim Decretum Mari factum maxime peremptorium & immutabile. Tam egregie verbo meo terminum Maris munivi acsi valvas & vectes ei addidissem. Metaphora ab urbibus desumta quae vectibus & valvis claudi solent, ut nemo egredi possit. Pulchre Ambrosius Hexaem. Lib. III. Cap. II. Mare Domini vocem Littoribus inscriptam cum intuitum fuerit curvatis fluctibus termini positorem adorat.

c. Lucis matitunae & aurorae productio per omnes hujus seculi dies vs. 12-15. vs. 12. *Num a diebus tuis praecepisti diluculo & ostendisti aurorae locum suum*? Intelliguntur dies aeternitatis, quibus omnia creationis Decreta facta sunt, in tempore exequenda, quos dies Jobo negat. Locus lucis est quem quovis anni die occupare debet, ad mundi usque finem quotidie ejus loco mutato, ut sol adscendit aut descendit in signis Zodiaci. vs. 13. *Ut apprehenderes oras Terrae & impii excuterentur ex illa.* Num a diebus aeternitatis instruxisti diem & auroram de loco suo usque ad illud tempus, quo seculum hoc, & cum illo diem & auroram consummans, terram quasi quibusdam aliis suis adprehensurus sis, & impios inde in aeternas tenebras (conf. vs. 15.) excussurus, sicut ego aliquando facturus sum? vs. 14. *mutatur ut argilla signi, & sistunt se tanquam in vestimento.* Ad hos vs. 13. 14. ita commentatur Coccejus „ versum 13. ita legit R. Solomoh, ut intelligatur lux oras terrae tanquam

palli apprehendere, & ita impios inde excutere. Verbum נער vide Nehem. v. 13. Lucis effectus in terra est, ut *mutetur tanquam lutum sigilli*. Nam ut terra sigillaris antea rudis & informis impresso sigillo characterem habet; ita terra per tenebras informis luce orta pulcherrimam speciem accipit. *Sistunt se* omnes res *tanquam* cum *vestimento*. h. e. ornatissima omnia lucis beneficio apparent; Ellipsis praepositionis, ubi est aduerbium similitudinis, frequens est. Ut Esai. xxviii. 21. *ut* in *monte*, *ut* in *valle*. Prov. vii. 21. *& ut* in *compede*, phrasis autem similis est Jerem. xlvi. 4. התיצבו בכובעים *sistite vos cum galeis*: vel, adornate vos galeis, ut ibidem vs. 14. Chald. habet *accingere*; *vestis* autem intelligitur omnis pulchritudo, quae omnibus rebus adest. Porro dicit *prohiberi ab improbis lucem suam* h. e. gaudium ipsorum eripi vel intercipi. Gaudent enim sceleribus, quae sunt opera tenebrarum. Tenebrae igitur sunt lux impiorum, ut noctuarum & ferarum bestiarum, quae noctu prodeunt, de die latent. Ps. civ. 20. 21. 22. Confer Job. xxiv. 17. 1 Thess. v. 7. Eph. v. 12. 13. Porro dicit *brachium elatum confringi*, hoc est, audacius impudentiusque *& manu*, quod dicitur, *elata* peccantes coërceri per magistratus & judicia. Mane primo judicia celebrabantur. Vide Ps. ci. 8. Jerem. xxi. 12. Ergo in his subintelligitur magnum aliquod opus divinae providentiae, quod non patitur unquam discrimen recti, honesti & justi ac iniqui & faedi exolescere penitus, sed conservat respublicas & politias & in eis legum-latores & ministros bonique & mali scientiam.. „ Alii sic vertunt vs. 14. Quum *mutatur ut argilla signi, & sistunt se* Terra & quae in illa sunt *tanquam Vestimentum*: & hic emergit sensus facilis: Indicantur porro effectus vel opera extremi diei, nimirum Terrae conversio, eleganti simili luti sigillacei proposita, & impiorum mutatio instar vestimenti. q. d. quam facile Lutum sigilli mutatur & impressa illi figura deletur (nos addimus quamvis invito Smidio) & nova figura ipsi inducitur, vide quae nos commentamur de Terra nova, tam facile etiam Terra tunc mutabitur atque ejus facies cum alia facie longe pulchriore commutabitur. vs. 15. *Et prohibetur ab improbis lux ipsorum, & brachium elatum frangitur*.

D. Pervestigatio KK. Ma-

XX. Maris & Abyssi vs. 16. *Numquid pervenisti ad scatebras maris, & in penitissimo abyssi ambulasti?*

בב. Portarum Mortis vs. 17. *An revelatae sunt tibi portae mortis? & portas umbrae mortis vides?* Quod ad horum vss. 16. 17. explicationem, heic legantur quae fusius commentamur de inferorum locis Tractatu nostro *Homo Vetus & Novus* pag. 157. seqq. „ Primum *loca*, quae miserae habitant detegamus, non ex gentilium Philosophorum, vel Poëtarum traditionibus, sed ex ipso Dei Verbo. Adeamus *Jobi* librum, quem Jobum non praeter rationem Mosis aetatem antevertisse existimant, & discamus non protinus ex illius vel ex amicorum ejus, sed ex ipsius Dei loquentis ore, quae sint vita infeliciter functorum loca. Interrogat Jobum Deus cap. XXXVIII. 16. 17. *Numquid pervenisti ad scatebras maris & in penitissimo abyssi ambulasti? an revelatae sunt tibi portae mortis? & portas umbrae mortis vides?* Primum observo *mare* & *abyssum* distincta esse loca, patet illud ex cap. XXVIII. 14. *Abyssus ait: non est in me illa* scil. sapientia, *& mare ait non est apud me.* Deinde contendo, loca heic indicari, ad quae neque oculus neque intellectus humanus pertingit. Si mare & abyssus vera sunt loca, oportet & *mortem* & *mortis umbram* vera esse loca. Confer Cap. XXVIII. 22. XXVI. 5. 6. Prov. XV. 11. Quod ergo ad prius illud „ *scatebrae maris* vel fleta maris videntur mihi idem locus, qui caeteroquin vocatur *sub aquis*: ita cap. XXVI. 5. *an manes* vel *defuncti gignuntur desubter aquis, & habitatores eorum*, vel verte cum LXX. & *vicini illorum?* τὸ הרפאים vertere *gigantes* plane abludit? quomodo gigantes nascentur desubter aquis? sed verte *manes* vel *defunctos*, quo significatu saepius venit. Ps. LXXXVIII. 11. Et intellige per τὸ *desubter aquis* mortuorum receptaculum, loca silentum; intelligis, qui defuncti desubter aquis nascantur. Et verti velim non *interrogative*: An manes gignentur? sed *affirmative* manes gignentur, ut omnia, quae sequuntur, non per interrogationem negantur, sed vere ponuntur. *Scatebrae maris*, vel τὸ *desubter aquis* dicitur & *mare* Apoc. XX. 10. Ubi *mare*, quod *mortuos suos reddit*, vere est mortuorum locus, & suo sensu a *morte*, qui illic etiam locus est, distinguitur. Ad *Abyssum* quod spectat, is locus

cus est dammatorum Angelorum, quo ne se secedere faciat Jesum orat daemonum legio Luc. VIII. 31. velut & Apoc. IX. 1. 11. *Angelus Abyssi* occurrit, qui & ab eo audit *Abbadon* & *Apollyon*. *Mors* & *umbra mortis*, quidni pariter vera sint loca spirituum, hinc non in fide migrantium? Quemadmodum *vita* in sacris non unum habet significatum, notans & *statum beatum*, qui vita aeterna dicitur, & etiam Christum *vitae principem*, qui est vita aeterna, & *locum beatorum*, velut *τo intrare in vitam*; quidni sic pariter mors notet & statum damnatorum, & satanam, qui potestatem mortis habet, qui propterea & mors forte dicitur Apoc. VI. 8. & locum vita functorum, velut hic Apoc. XX. 14. *Umbra mortis* in sacris plerumque dicit statum locumque tristissimum, phrasi (nisi fallor) ab hoc loco, quem silentes habitant, repetita. vid. Jer. II. 6. Illud volo, Deum in suo ad Jobum alloquio loca vera allegare.

Retrogrediamur ad caput X. 20. 21. hujus libri: *antequam*, ait Jobus, *abeam & non revertar*, *ad regionem tenebrarum & umbrae mortis*, *sine ordinibus*, *& quae si luceat caligo est*. Verba *antequam abeam* secundum scripturae phrasin sic accipe, *ne abeam*. Caeterum habes hic descriptionem loci illius invisi, qui est absque ordinibus, non ac si & locus ille constituto a Deo ordini non subesset, etenim Deus noster in coelis est, & facit quicquid vult in coelis terraque non tantum, sed etiam in omni profundo Ps. CXV. 3. Sed est locus ille absque ordinibus, absque lucis & tenebrarum, absque Solis Lunaeque vicissitudinibus, adeo ut si quid & illic luceat, id ipsum ut caligo est. Propterea recte dicitur Regio tenebrarum atque umbrae mortis, & locus ille sic tristis atque horridus, quod ad litteram, pingit tristem statum atque operationes locum illum habitantium animarum.

A Jobo veniamus ad *Mosen*, pensiculatius consideraturi historiam de Corach, Datan & Abiram Num. XVI. 32. 33. qui versiculi inspici possunt. *To* שאל recte hic reddi *infernum*, quod faciunt interpretes aliqui, belgae etiam, non vero *sepulchrum*, liquidum mihi videtur ex vs. 29. quae verba probe sunt perpendenda. An, quaeso, illud insolitum atque inauditum adeo esset, per ingentem concussionem patentem hiantemque terram homines aliquos absorbere? Et si vel dede-

ro

το το שאול etiam *sepulcrum* quibusdam in locis denotare; illud teneo, primum propriumque ejus significatum locum defunctorum nobis sistere. Neque in eo est difficultas, hos homines cum supellectile sua & impedimentis omnibus ad infernum descendisse. Quidni hoc fieri posset? Quare si Enoch & Elias suis cum corporibus in coelum rapti spiritibus justorum consummatorum pignori sunt, & illos in suis corporibus coelestia gaudia acturos; sic pariter hi impii cum corpore ad Tartara detrusi triste spectaculum sunt infernis animabus, quod & una cum corporibus atque in illis infernales cruciatus sint experturae.

Insignis in hanc rem nostram locus est Jes. XIV. 9. 10. 11. 12. qui inspiciatur. Liquet, exhiberi heic nobis impium Babelis Regem, ad inferos euntem, extra corpus soliumque suum eadem hora projectum. Non existimes, phrases has atque totum hoc repraesentamen id modo dicere, *Babelicum regem suo fato concessisse, corpusque illius tumulo tectum esse.* An Divinus vates, quod verbo dici poterat, tam pomposa oratione persequeretur? Et quod ad cadaver ejus de eo signate dicitur vs. 11. Nos ex hoc loco sequentes discimus veritates. Infelices animas loca sibi propria habere. Ubi ex hac vita ad infernam illam sedem novi incolae migrant, illud judiciumque Dei de illis umbris illis innotescere, quemadmodum manes hi norunt, Babelicum Regem adventare cum corpore, sceptrum relinquentem. Infernalem illam turbam sarcasmis vexationibus sibi mutuam crucem figere, quemadmodum hic *hirci terrae*, id est, magnates *soliis* suis (*sedilibus* verto potius, dum apud inferos regnantium olim thronos frustra quaeras) exciti Babelicum Regem ludunt exsibilantque. Idem de Pharaone AEgypti rege legas Ezech. XXXIII. 21. In Novo Testamento eadem propemodum loca occurrunt. Dicuntur *carcer* Matth. V. 25. 26. cap. XVIII. 39. 1 Petr. III. 19. *Abyssus* Luc. VIII. 31. Apoc. IX. 1. *Mare, mors, infernus.* Apoc. XX. 14. In id inquiri potest, num omnes hae dictiones unum eundemque inferorum locum, an loca distincta designent; & ubi locorum sint illa loca? Quemadmodum statuo velut felicitatis gradus sic & in domo Patris mansiones plures: sic & velut in infelici post hanc vitam sta-

 tu

tu sunt gradus, posset unus ille locus in varios dividi recessus; quanquam unus ambitus damnatas animas omnes complectitur; distinctionem autem illam omnino mihi inuere videntur loca citata Job. XXXVIII. & Apoc. XX. Mare, Abyssus, mors, atque umbra mortis distincte memorantur. *Sunt* horum locorum ubi sit, determino nihil. Vetus & pervagata sententia in meditullio terrae collocat: neque video a vetere forte derivandae traditione opinioni perque tot populos pervagatae scripturam refragari. Sed neque ausim quid fidentius determinare. Neque tamen heic fero inepte Philosophantes homines, quando philosophiae heic nullae possunt esse partes: Itane? an magistella illa, quae haeret in his, quae fiunt in terrae superficie, pervenit ad scatebras maris, & in penitissimo abyssi ambulavit? An Philosophiae sunt revelatae portae mortis, & portas umbrae mortis videt? Dicat illa prius, an consideraverit, quam late pateat terra, an cognoverit illam totam, dicat quae sit via, quam habitat lux & tenebrae; quis sit locus earum &c. vid. Job. XXXVIII. vs. 17. 18. &c. Illud tantum moneo, loca, quae nunc habitant infelices animae corpore cassae, probe *distinguenda esse a locis, quae corporibus reunitae habitaturae sint* post Judicii diem. Illa, quod vidimus, vocantur *mare*, vel *desubter aquis, mors, umbra mortis, abyssus, carcer:* haec autem dicuntur locus *ignis & sulphuris, & mors secunda* Apoc. XX. 14. & in locum sulphuris & ignis, tunc projicientur loca statusque anteriora, vide omnino cap XX. Apoc. confer. Jes. XXX. 33. Jes. LXVI. 14.

בב. Latitudinum terrae vs. 18. *Considerasti, quam late patet terra?* vel *usque ad latitudines Terrae? indica, si cognovisti illam totam?* Cf. Jerem. XXXI. 37.

דד. Habitaculi Lucis ac tenebrarum vs. 19-21. vs. 19. *Quae est via, ubi habitat lux? & tenebrae* vel quod spectat tenebras: *quis est locus earum?* Habesne Tu in potestate tua Lucem & tenebras ut apud Te sint quasi in Domo & Loco suo unde exeant & quo redeant pro ut volueris, quemadmodum ego eas in potestate mea habeo. Siccine illas possides. vs. 20. *Ut has assumas ad terminum suum, & ut noris semitas domus ipsarum?* Ut Lucem & Tenebras per eas educere & reducere pos-

posses. vs. 21. *Tu nosti, nam tunc natus eras, & quod ad numerum dierum tuorum* attinet, *multi sunt.* Scilicet I. non sane ante Tenebras natus, nec aeternus es: quomodo ergo illa nosses quae nemo novit nec facere potest nisi qui aeternus est.

חח. Thesaurorum nivis & grandinis. vs. 22. 23. vs. 22. *Num adisti Thesauros nivis, & thesauros grandinis vides?* Non quod alicubi sint horum velut Thesauri unde Dominus sumat, ubi vult quantum vult quod in Terras spargat, velut inde depromens, sicut ex Thesauro homo depromit in usum suum quaevis, sed quod in Mente & providentia Dei positum sit & reconditum, quo vult tempore haec velut e Thesauris, in quanta vult copia proferre, quasi parata haberet horum penuaria. Sic alii. Quibus nostra adde: Tune tam claros distinctosque habes conceptus quomodo nix & grando producantur, & modo comparcantur, modo majori modo minori copia pro libertate mea emittantur? Tune secundum leges aliquas mechanicas ita intelligis acsi intelligeres quid quod in promptuario aliquo paratum inde velut lubitum est majore vel minore copia desumitur, vel aliquamdiu illic repositum rellinguitur? vs. 23. *Quae comparsi* reservavi *in tempus arctum: in diem praelii & belli.* Sic ad haec verba Coccejus: Quia nix non quovis anni tempore cadit, ut & grando, comparsisse & recondisse videtur nivem ad tempus arcti, ut obsignentur omnium hominum manus: grandinem ad diem praelii & belli, ut homines puniat, & hostes suos debellet, *Conflictus* id notat, quando manus conseritur cum hoste. *Bellum* etiam geritur omni damno inferendo in rebus hosticis. Talium judiciorum exempla vide Exod. IX. 18. &c. Jos. X. 11. Judicia autem *Bella Dei* dicuntur Exod. XVII. 17. Esai. XXVII. 4. Hactenus ille. Omnis haec interrogatio iterum rem fortissime negat.

יי. Modi quo Lux & venti diffunduntur. vs. 24. Quae *via, qua panditur lux, spargit se Eurus super terram?* Tune possides illam omnipotentiam quae sola facit ut sic se diffundant Lux & eurus quasi in omnes mundi partes viam complanatam haberent. Sic Aliqui. Sed verba haec etiam clarè docent, modum quo Lux propagetur, & Euri qui heic est instar omnium ventorum originem spirandique rationem a nobis

rari quidquid heic philosophemur. Obscura est non solum origo specialis uniuscujusque venti cujus sonus auditur. Confer Joh. III. vs. 8. sed etiam generalis & prima, si a primo motore abeas, inexplicabilis hactenus manet. Alii a sole & stellis, alii a subterraneis vaporibus, igne &c. causam repetunt. Poetae aeoli obscura finxerunt antra. Bodinus, cum nihil aliud suppeteret, ipsos daemones in censum vocavit. *Vogleri* adluere hic juvabit notam de rebus naturalibus & Medicis in scrip. pag, 30. 35. Quod ad locum ventorum pertinet, & quidem praecise eum, ex quo venti oriuntur, & prodeunt, utique generatim quidem loquendo non videtur ille plane non posse definiri. Videtur enim nunc ex aere ipso, nunc ex cavernis subterraneis, vel submarinis prodire. At praecise hunc vel illum locum digito quasi commonstrare nunquam licebit: nisi fortassis in terrae aliquo motu sicubi hiatus aliquis pateat. Ut ita naturaliter quoque haec servatoris assertio accepta sine ullo dubio simpliciter vera sit. Nec enim ostendere possumus, & digito quasi indicare hunc vel illum locum, ex quo ventus primum oriatur (de eo enim solum quaestio est) sicut possumus fontis alicuius eruptionem aut simile quid digito intento commonstrare. Similis autem deinde ratio est & illuis queque loci, ad quem ventus feratur, & in quo desinat. Habent videlicet primo venti etiam hoc inter alia admiratione dignum, quod plerumque sub initium mitiores & leniores sub finem iterum magis magisque soleant sedari, donec tandem plane consopiantur. Deinde multi ad eundem locum, ex quo fuerunt orti iterum redeunt, tertio quidam alibi incipiunt, alibi vero & in alia mundi plaga desinunt. Quaeque sunt aliae hujus generis differentiae plures. Quae omnes quidem ita se habent, ut ventum actu ipso spirantem audiamus & percipiamus: Quonam vero ille feratur, & quibus praecise locis desinat, nos plane lateat. Merentur quoque in hanc rem conferri quae acutissimus Bern. *Nieuwentyd L. Belg:* sed digno, qui in omnes linguas fundatur, de cosmotheorias vero usu contemplat. 19. Paragraph. 27. notavit,,. Nos haec adiiciamus quod ad locum Joh. III. vs. 8. *Ventus quo vult spirat & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat & quo vadat.*

ita

ita est quisquis est genitus ex spiritu. Manifestum est ex comparatione, quam Jesus instituit, *τὸ πνεῦμα* priore loco designare ventum, posteriore spiritum quem significatum habet apud scriptores profanos, LXX Interpretes & ad Heb. I. 17. *Spirat sive flat ventus quo vult:* τὸ velle inpropriedicitur, sicut τὸ auscultare Christo Matt. Cap. VIII. 27. vento tribuitur. Sensus est quod nullis Legibus humanis adstringatur, nunc lentius, nunc vehementius spirat, interdum continuo, interdum, interrupto flatu, modo diutius alias brevi tempore & ita porro, in nullius potestate est, ventum suscitare, dirigere, suspendere. Venti sonum audimus, sed terminum unde veniat & terminum ad quem vadat mortalium nemo novit. Audiant hoc utinam Philosophi, qui vix in indagandis rerum naturalium causis haerere se credunt, aliter philosophatur Jesus, ortum & viam venti nemo novit, vide consonantem Scripturam Job. XXXVIII. 24. Philosophorum Sapientissimus Salomon Eccl. XI. 5. Pronunciat pariter *ut ossa in utero materno, sic ignorari viam venti*, & sane quicquid se torquent Physici, frustra sudant; de quo nos alibi pluribus. Venti ortum demum scient illi Physici qui inspexerint *thesauros* ex quibus Deus *ventum depromit* Ps. CXXXV. 7. Cum vento venti spiratione ignoratoque spirationis modo viaque comparatur Spiritus Sanctus, regenerans ejus opus, ignorataque agendi via modusque, *ita est, quisquis est genitus ex Spiritu.* Ventus emblema est spiritus sancti, deprompti ex thesauris divinis, qui principium est in electis motus vitalis, omnis purificationis, omnis foecundationis spiritualis; *flat ille quo vult* 1. Cor. XII. 11. Nullum humanum velle vel currere hunc ventum elicit, sed ille pro liberrima sua voluntate modo huc modo illic spirat, nulla voluntate humana operationes ejus impediri possunt. Vide in commentario suo fusius ad haec dissertantem doctiss. Lampium. Attenderent utinam ad hoc Pelagianizantes! quam in hoc Symbolo agnoscerent praevenientem, nulla humana voluntate suscitatam atque victricem gratiam spiritus sancti, nisi stant hypotheses nostrae, nullum habent Christi verba sensum; sed neque novimus unde ventus ille symbolicus veniat, quo vadat, sciunt equidem electi & qui spirantem hunc ventum jam sen-

senserunt, illum venire coelitus & tendere ad illum terminum nempe plenam instaurandi peccatoris beatitatem & glorificationem, sed abyssos illas divini consilii aeterni unde haec spiritus operatio promanat nemo inspexit. *Quo vadat Spiritus* i .e. quae ulteriores cum electis erunt viae, quae tentationes, quae certamina decreta sint ignorant, vide iterum ad hoc fusius Lampium, & haec adde: ubi primum in animum operari incipit Spiritus, hactenus talium operationum ignarus atque insuetus homo, haeret, unde haec sibi adveniant, insolita haec ipsi sunt, ex mero mentis suae principio haec non provenire intelligit, adeoque quia ortus talis operationis in se a suo non pendet arbitrio, nescit etiam quo usque duratura sit, inde quo evasura; audit equidem sonum, sentit effectum illius operationis, sed qua via Spiritus sic in animum veniat & aliquamdiu pergat & quomodo operationem suam sistat pariter ignorat ac viam venti, idque non tantum obtinet in prima regeneratione sed quoties de novo in animum spirat spiritus derepente, qua veniat via illa spiratio, & quo tendat, quousque duratura sit, quantos & quales effectus habitura, quis terminus, ignoratur, dum saepius sicut derepente adest ille flatus, etiam non expectatus, sic & derepente non minus cessat. Haec Christi comparatio affirmat *ignorari viam venti* Q. E. D.

II. Exundationis Aquarum Pluvialium ℣s. 25-27. ℣s. 25. *Quis divisit exundationi canalem, & viam fulguri tonitruum.* Ita inundatio per imbrem coelitus descendit quasi Deus magnum aliquem Canalem atque aquae ductum aperuisset per quem ingenti copia aqua erumperet: ℣s. 26. *Ad pluendum super terra nullius hominis, deserto, in quo non est homo*; Fulgur autem & Tonitrua bene cum vehementi pluvia conjunguntur quam praecedere solent, tum enim maxime fulgurat & tonat, quando nubes in pluvias resolvi debent. ℣s. 27. *Ad satiandum vastitatem & desolatum, ad germinare faciendum locum fertilem graminis?* Quis tantum aperit inundationi Canalem ut per ingentem aquarum suarum Copiam etiam sufficiat ad irrigandum deserta siticulosa & plurimum aquarum indigentia. Haec etiam perpende quod ad hos versus: an & sic accipiendi sint: suntne Canales, simile quid canalibus per quos pluvia descendat? non sunt

ſunt & tamen tam copioſè & aequaliter deſcendunt. An tu tam diſtinctos habes conceptus quomodo imber deſcendat, quam quomodo aqua per canales vel aquaeductus ſuos? Eſtne via aliqua aperta per quam deſcendat, an ipſa ſibi aperit? An tu tam clarè intelligis qui veniat fulgur quam concipis adventum alicujus quod venit per viam apertam?

חח. Productionis pluviae & roris ✝s. 28. *Eſtne pater pluviae? & quis genuit guttas roris?* Melius alii vertunt *globulos* ſive fluidarum moleculàrum convolvulos. Interrogatio ſic poſſet accipi *habet ne pluvia patrem*, ut vs. ſeq. *ex cujus utero exiit* &c. habetne patrem, cauſam producentem ipſi ſimilem ut homo genitus homini gignenti ſimilis eſt, nonne meae providentiae operatio eſt quae producit: an tu tam claros habes conceptus quae ſit cauſa ſecunda pluviae &c. ſicut (quamvis foetus humani conceptio & in utero formatio eſt inter naturae myſteria) claros habes conceptus cauſam ſecundam hominis geniti eſſe hominem generantem, & ex utero materno prodire infantem?

טט Glaciei & pruinae cum mirabili effectu ✝s. 29. 30. ✝s. 29. *Ex utero cujus exivit glacies, & pruinam caeli quis peperit?* vs. 30. *Tanquam lapide aquae occultantur, & facies abyſſi conſtringitur.* Nullus eſt venter ex quo prodeant gelu & pruina. Glaciei inquit cl. SCHEUCHZERUS i. e. aquae in lapidem mutatae cauſas inveſtigarunt multi ſed cerebrum hactenus ad duram glaciem offenderunt vel lubrico admodum pede ſuper glacie ſteterunt.

Sed altius aſcendit divina interrogatio ad ipſa ſydera & Coelorum ſtatuta, ſi nihil vel parum admodum ſapimus in his inferioribus, quid ſapiemus in ſuperioribus illis?

יי. Colligationis & ortus ſyderum. ✝s. 31. 32. ✝s. 31. *Numquid ligas amaenitatis plejadum, & rudentes* funes *Orionis ſolvis?* Deliciae *Kimah* quibusdam ſunt nexus ſtellarum illius ad delectationem uſque adſpicientium pulchre coniunctarum. Num tu ita potes conſtringere Pleiadas ut in unum velut cumulum coeant. Pleiades enim ſunt quaſi congeries quaedam Lucidorum ſyderum. Tune etiam כסיל orionem ſolves vel diſſipare poteris, ut locum ſuum mutent aut prorſus diſpareant ſtellae ipſius? An vel in his quid ſapis? ✝s. 32. *Numquid producis*

ſidera

ſidera mazzaroth *in tempore ſuo, & Artum*, vel ſidus urſae majoris S. feretrum עיש *una cum filiis ſuis, duciſne eos*? Erat, inquit *Mercerus*, eo tempore notum ſidus, ut alia quae hic & alibi nominantur. Hodie tantum quibusdam ducimur conjecturis. Bochartius dicit עיש arabibus feretrum quo funus defertur ſignificare, deinde ſidus urſae majoris & minoris. Nempe quatuor ſtellae, in quadrum digeſtae ſive utriusque urſae quadrangulum, Arabibus pro feretro ſeu Sarcophago habentur; tres autem reliquae (nobis *caudae urſae*) illius ſunt filii vel filiae qui funus comitantur. Obſcuriora nobis ſi vel plerorumque horum ſyderum nomina ſint Scopum interrogantis Dei colligimus ex verſu ſeqq.

כב. Coeli Statutorum ẏs. 33. *Noſtine ſtatuta caeli? an ponis Dominium ejus in terra?* Quae ſtatuta ego Coelo & ſyderibus conſtitui, tum in ſitu, tum in motu, tum in operatione eorum. Pulchra in hanc rem ſunt verba *Newtboni* Phil. Nat. Princ. Math. p. 482. ubi Doctrinam Vorticum Carteſianorum explodit: perſeverabunt quidem corpora coeleſtia in orbibus ſuis per leges gravitatis, ſed regularem orbium ſitum primitus acquirere per Leges haſce minime potuerunt. Planetae Sex Principales revolvuntur circum ſolem in circulis ſoli concentricis eadem motus directione, in eodem plano quamproxime. Lunae decem revolvuntur circum terram, Jovem & ſaturnum in circulis concentricis, eadem motus directione in planis orbium Planetarum quamproxime. Et hi omnes motus regulares originem non habent ex cauſis Mechanicis, ſiquidem cometae in orbibus valde excentricis & in omnes Coelorum partes libere feruntur. Quo motus genere cometae per orbes Planetarum celerrime & faciilime tranſeunt, & in apheliis ſuis ubi tardiores ſunt & diutius morantur quam longiſſime diſtant ab invicem, & ſe mutuo quam minime trahunt. Elegantiſſima haecce ſolis & Planetarum & cometarum compages non niſi conſilio & Dominio Entis intelligentis & potentis oriri potuit. Et, ſi ſtellae fixae ſint centra ſimilum ſyſtematum haec omnia ſimili conſilio conſtructa ſuberunt unius Dominio; Praeſertim cum lux fixarum ſit ejusdem naturae ac Lux ſolis & ſyſtemata omnia lucem in omnia

tia invicem immittant. Hic omnia regit non ut anima mundi sed ut universorum Dominus, & propter Dominium suum Dominus Deus *παντοκράτωρ* dici solet. „ Hactenus ille. Num itaque Tu, Jobe, constituis Coeli Dominium ut tantum agat in terram quantum tu vis, & variet uti tibi lubet?

E. Imperium in Nubes & fulgura. ỳs. 34. 35. vs. 34. *Numquid elevares ad nubem vocem tuam, ut acies aquarum circumvallet te?* Num tu alta & majestatia voce Nubi imperare potes ut de Terra ascendat & te operiat? vs. 35. *Numquid mittis fulgura, ut abeant & dicant tibi, Ecce nos?*

F. Concessa hominibus Ratio & Sapientia. vs. 36. *Quis posuit in renibus sapientiam, aut quis dedit rationi prudentiam?*

G. Constitutio Coeli & Nubium. vs. 37. *Quis numerato disponit aetherem in sapientia, & utres caelorum quis collocat?* Alii quis *numerabit nubes in sapientia & lagenas quis effundet.* Ego potius quis *edisseret, commemorabit* aetherem. Per נבלי שמים intelligunt facultates coeli quibus aqua tamquam utribus & lagenis sub coelo continetur. Deus interrogat: Quis tantae est sapientiae ut possit excogitare & explicare quomodo Coelum in substantiam adeo tenuem deduci possit, ita ut simul istud efficiat?

H. Condensatio Terrae vs. 38. *Quum perfundunt pulverem ad solidum, ut glebae conglutinentur?* Opus praecedenti vs. 37. contrarium est hoc versu 38. quis coelos adeo tenues facit & nihilominus aquas eo continere potest, cum contra pulverem sive terram condenset & cohaerere faciat glebas condensatas.

Haereo si contextum vs. 36. cum anteced. & seqq. attendo quî verba vs. 36. sint accipienda. Per se si spectes sic liceret intelligere: quis creaturam rationalem produxit, illique facultates rationales dedit, praeter me, qui etiam solus intelligo quî produxerim cum facultatibus illis & quomodo illae se explicent, quis hoc opus meum secundum aliquas mechanismi leges explicet? Sed contextum si observo videntur & sic posse accipi: quis homini dedit eam sapientiam ut horum meorum operum vs. 34-38. rationem modumque explicet? Certe ego non dedi, ergo non habet, neque magis haec intelligit quam ipse nubi & fulguri imperare & ipsas coeli lagenas effundere potest. Vel forte connecti posset utrumque hoc

 mo-

modo: Quis homini dedit rationem & sapientiam praeter me cui etiam soli hujus operis mei ratio constat; sed si vel illi rationales facultates dederim, an tantas dedi quibus haec omnia explicet? Tantum abest ut explicare possit ea quae vs. 31. & 32. dicuntur statuta illa Coeli ejusque in terram dominium, ut ne quidem explicare possit haec quae in inferiore expansi regione obtinent.

Transit divina Interrogatio, Jobum & in Jobo hominem omnem ignorantiae arguens in Operibus Dei in Regno Naturae, ad *instinctus Naturales Brutorum* quos nemo secundum ullas mecahnismi Leges vel motus regulas explicet, quare in omnibus hisce quaesitis iterum alternant τo scire haec, atque τo posse haec & fecisse haec, quae semel monuisse satis est non itendidem repetenda; aeque v. c. verum est quod rationem instinctus naturalis venandi in Leone ignoret quam verum est quod instinctum talem ipsi non dederit, sicque non ipse Leoni praedam venetur.

I. Indita Leonibus solertia. vs. 39. 40. vs. 39. *Numquid venaris Leoni annoso praedam, & animam juvenis Leonis imples!* Tu tantam Leonibus indidisti venandi industriam & robur ut de te dici possit quod Leoni praedam veneris? Neque hoc neque illud potes. vs. 40. *Quando se demittunt in speluncis, sedent in specu ad insidias?* Ad hunc vs. ita Coccejus: si verum, quod AElianus narrat histor. animal. lib. 1. vetustos Leones ad venandum esse inertes atque in antris ac dumis insidiari: at a juvenibus venationem institui, atque eos praeda potitos claro ac sonoro rugitu (confer hic, si placet Amos. III. 4.) vetulum ad ejus participationem invitare: id huic textui aptissimum esset. Certe Ezech. XIX. vs. 5. non abludit. „ Sed simplicius existimo haec verba sic tantum interpretari: Animalia quando ad insidias se componunt ita se incurvant, deprimunt & sedent, ut ad saltum habitus eorum sit accommodatus. Quis hoc ipsa docuit.

K. Corvorum sustentatio vs. 41. *Quis apparat Corvo venatum suum quando pulli ejus Deum implorant, oberrant sine cibo?* Ad haec ita *Coccejus*: Cibationis pullorum corvi meminit & Pl. CLXVII. vs. 9. Auctores sunt quidam, eos vermibus natis ex ipsorum stercore vesci. Noster locus, qui corvum

vum a pullis distinguit, eosque proponit errantes inopia cibi, hanc explicationem videtur exigere. Quis corvo aliti carnivoro, sed ad praedandum imbelli, & obliviofo pullorum suorum, praebet venatum suum (ex Genes. xxv. 28. vel commeatum suum) ex Jos. ix. 5. tanquam patrifamilias, unde & se, & pullos suos possit alere, quum ii implorant, &, ut vita periclitante, quiritantur; quum illi implorant, &, ut parentum vi nido expulsi oberrant? Nullus iis commeatus, nullum penu, & rara cadavera, quibus saginentur: adolescunt tamen magna in copia & senescunt, & famem acerrimam saepe sine ullo vitae detrimento sustinent. Hoc exemplo ducimur in omne avium genus: in quo si miram victus rationem consideremus, neutiquam satis possumus divinam providentiam admirari. „ Hactenus ille: Ego planissima Textus sacri verba, quae velim relegas, ubi considero, non video heic dici aliquid de pullis corvi nido a parentibus expulsis atque neglectis: sed contra dicitur mirabilem quandam in eo ludere divinam Providentiam (quam certe nemo secundum regulas mechanices explicet) quod praecise illo tempore quo corvus pullis suis fame satiscentibus, deficientibus (qui & τῷ תעה significatus esse potest) vel si velis circa nidum, quia nihil in eo quod edant inveniunt, ob inediam oberrantibus circumvolitantibus ad Deum crocitantibus, escam quaerit, tunc parante Deo ipsi venatus occurrat quo se pullosque suos pascat. Non dicitur heic *quis escam parat pullis corvi* &c. *sed quis corvo* &c. Hinc verba Ps. cxlvii. 9. sic accipi videntur, quod Deus pullis corvorum escam det mediante corvo parente cui venatum apparat, vel verba Psalmi erunt intelligenda de alia esurientium corvi pullorum circumstantia. Et illud attentionem nostram exerceat quid sibi velit ille corvi *clamor ad Deum*? Interpretes hos illos si attendis, ubi bestiae agri dicuntur clamare ad Deum apud Amosum & alibi, & quod dicitur de Leonibus Ps. civ. ỷs. 21. & Ps. cxlv. ỷs. 15. 16. de omni vivente, & specialius de pullis corvi Ps. cxlvii. 9. cf. Luc. xii. ỷs. 24. non nisi *clamorem dicet*, voces *ad Deum* erunt modo dictio figurata, significabunt nihil. Quod nunquam admiserim verba scripturae aliquando dicere nihil. Fateor quid hoc sit in brutis, prae-

ſertim in corvorum pullis nemo explicet, & hoc intelligi non poſſe ſatis innuit divina interrogatio, eſt tamen aliquid quamvis ignoratum nobis, de quo generalius tantum dicimus, ſicut in Brutis eſt rationis quoddam ſimulachrum, ſic & in illis eſſe aliquid aequivocum quiritationi noſtrae ubi in ſummo pereundi periculo & anxietate conſtituti ſuſpiramus ad Deum, homines, vel ſiquid in natura ſit quod laborantibus ſuccurrat. Hoc emphaticè vult phraſis, ſingulariter clamorem ipſorum propriè ſic dictum ad Deum tendere omnium etiam animalium altorem. Pulchra eſt dictio **το κοραττειν** crocitare quia vox corvorum velut imitatur vôcem mendici & Heſichio **κοραξει** eſt idem quod **αγαν προσλιβαρησαι** admodum ſupplicare.

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

I. Admiranda

NN. Ibicum & Cervarum. Cap. XXXIX. ẏs. 1-4.

ẏs. 1. ***Numquid noſti tempus partus rupicaprarum? enijum cervarum obſervas?*** ẏs. 2. ***Numeras menſes, quos explent, & noſti tempus partus earum?*** ẏs. 3. ***Conmituntur, pullos ſuos excludunt, dolores ſuos dimittunt.*** ẏs. 4. ***Creſcunt filii eorum frumento.*** Alii *foris* extra ſpelaea in quibus mater eos pepererat, ***egrediuntur & non revertuntur ad eas.*** Ad hos ẏs. 11. Ita Coccejus de Rupicapris vide 1 Sam. XXIV. 3. Pſ. CIV. 3. Plin. L. VIII. 25. *Cervas*, AElianus Hiſtor. anim. lib. 6. 11. auctor eſt, parere apud vias ferarum timore, hominum, quos effugere poſſe confidant, contemtu. Opimitate tardiorem in convallibus ſaltibuſque. De earum partu Plinius libr. 8. 32. ***In pariendo ſemitas minus cavent humanis veſtigiis tritas, quam quae ſecretae & feris opportunae. Foeminae ante partum purgantur herba quadam, quae ſeſelis dicitur, faciliori ita utentes utero.*** Pariter Plinius de cervis l. c. ***A partu duas habent herbas, quae ares & ſeſelis appellantur: paſtae redeunt ad foetum. Illis imbui lactis primos volunt ſuccos, quacunque de cauſa. Editos partus exercent curſu & fugam meditari docent, ad praerupta ducunt ſaltumque demonſtrant.*** In hoc exemplo paene omnia contraria ſunt atque in ſuperiori. Non enim poſt partum omittunt foetus, aut pellunt, ut Corvi, ſed dili-

diligenter enutriunt. Quare & sterilitatis incommodum est, cervam foetus delinquere, defectu pastus. Jer. XIV. „ hactenus ille. Pulchre Chrysosthomus: recte autem dixit custodisti? Cum enim hoc animal semper sit in fuga & metu & formidine, semper saliat & subsultet quomodo non patitur abortum sed maturus foetus editur? Plinus & Alii etiam observarunt Cervas ineunte autumno concipere & octonis mensibus partus ferre. Relinqunt Matrem naturae aliquo instinctu quam primum ejus opera se carere posse sentiunt. Ego sic concipio: non an saltem sciat tempus quo pariant & quamdiu partum ferant, quod scivit Plinius potuit & Jobus scire, sed an rationem sciat, secundum ullas mechanismi leges explicare possit cur eo praecise tempore pariant, tam diu partum ferant, quod supponit cur eo praecise tempore venere ardeant, coeant, concipiant? Et poterit heic rupicapra esse instar animalium omnium quae distincta anni tempestate ardore coeundi flagrant & tempore a naturae Auctore definito partum ferunt & enituntur. An Tu Jobe haec miranda naturae intelligis? certe non magis quam tu ipse tempus hoc definiveris & *Serves*, vel observes hoc est observari facias. Caeterum quod subito dolores eiiciunt, statim ante partum se purgent jam dictum est, uti & de instinctu hinnulorum Matrem justo tempore deserentium. Qui בבר vs. 4. vertunt ex chald. syr. & arabica versione *foris* id faciunt quia hinnuli frumento vel tritico non aluntur, sed in desertis fere degunt; & in arabia cujus incola Jobus erat, segetes mense martio & Aprili metuntur quibus hinnuli nondum nati sunt. Alii alia observant.

כב. Onagri vs. 5-8. vs. 5. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula asini silvestris quis solvit?* vs. 6. *Cujus domum posui desertum, & tabernacula ejus salsuginosam.* vs. 7. *Ridet strepitum civitatis, celeusmata magistri*, Agasonis qui ad operas cogit Asinos cicures, *non audit.* vs. 8. *Exploratio montium pastus ejus est, & omne viride vestigat.* Mavult onager omnes montes perterrare & pascuum suum quaerere, quam libertatem pro pabulo ab hominibus accipiendo amittere.

כג. Monocerotis vel Rhinocerotis. vs. 9-12. vs. 9. *Num volet monoceros servire tibi? num pernoctabit apud praesepe tuum?*

tuum? Alii *super area tua?* Verba indicant impatientiam laboris & intractabilitatem animantis quod licet validissimum sit, labores tamen nullos pati velit. ℣s. 10. *Num vincies monocerotem ad sulcum funis sui? num occabit campos post te?* Non docent verba ab hominum jugo prosus eximi aut domari non posse sed tantum eximi ab arandi necessitate cui armenta obnoxia sunt. ℣s. 11. *An confidet ipsi, quia multa est vis ejus, & committes ei Laborem tuum?* Est oratio comparativa, est ille quidem animal robustissimum & aliis domesticis validius, ut spem tibi facere possis quod plus per illum quam asinum aut bovem peragere possis juxta poportionem roboris. Sed quum natura ejus tibi nota sit, num potes tibi plus de eo imo vel minimum promittere? ℣s. 12. *An credes ei, quod revehet semen tuum & horreum tuum colliget?* Ad hos versus ita commentatur Coccejus quod ad onagrum & Monocerotem. פרא & ערוד tantum dialecto differunt. Juvenes forte possunt cicurari; assueti deserto vix. Vid. Jerem. II. 24. Ideo libertatis hieroglyphicum. Gen. XVI. 12. & Indocilitatis, Job. XI. 12. solivagus dicitur Hos. VIII. ℣s. 9. Ejus illa *αυταρκεια* est, ut malit in desertis & salsuginosis, h. e. sterilibus locis raram & malam herbam quaerere, quam in urbe servire pro victu copioso. Gerit igitur & paupertatis imaginem Job. XXIV. Quod ad Monocerotem: רים vel ראם rhinoceros sit an monoceros, ambigitur. Vide scaligerum exercit. 205. ex Vastomanno describentem. Adi & Plinium & alios. Scriptura tum alias vim ejus exaggerat: tum imprimis celsum, durum ac firmum cornu. Psalm. XCII. 11. Cornuum fit mentio (& dicunt rhinocerotem habere minus sub majori) Deut. XXXIII. ℣s. 17. Ps. XXII. ℣s. 22. ubi vel plura cornua, vel plurium comparantur cum unico monocerotis, non numero, sed qualitate. Facit hic Deus hominem quasi cum monocerote agentem, ut pro victu ipsi serviat in aratione & vectura: quemadmodum iidem veluti paciscuntur cum bubus, equis, asinis: quae animalia ita operi suo assuefaciunt, ut id ipsis paene committant; negat enim monocerotem assensurum, h. e. incicurabilem esse. Haec adde; unde instinctus ille, Animalium vel tractabilitas vel intactabilitas, an rationem intelligis?

דד. Struthionum ℣s. 13-18. ℣s. 13. *Ala Pavonis* Alii *Struthionis* vel *Struthionum exultabunda* est: *siquidem penna Ciconiae & pluma illis est.* Plerique intelligunt per רננים *Struthionem.* Ex alis enim & crebra illorum agitatione Stuthionum alacritas tota pendet. Quamvis enim ad volatum iis sint inutiles, tamen currentes mire juvant, & spirante vento ipsis sunt tamquam vela in navi. Nec ulli avium tanta in pennis jucunditas est & pulchritudo aut aequalitas & venustas quam Strutiothionum, unde nec aliis pennis olim milites galeas ornabant. Struthio autem colore pennarum plane Ciconiam refert. In alis enim & in cauda magnas habet pennas, nigras & albas ut ciconia; indole tamen huic prorsus dissimilis & immitis in suos. ℣s. 14. *Sed relinquit in terra ova sua, & in pulvere calefacit.* In toto avium genere nulla se offert quae ova in terra relinquat & negligat praeter Struthionem. ℣s. 15. *Obliviscitur autem, quod pes illa compressurus sit, & animalia agri conculcatura sint.* Ita stolidus Struthio est, ut non cogitet, fieri posse, ut ova sua quae humi reliquit ferarum aut hominum pedibus premantur, nec in ipso aliquis naturae instinctus est qui de periculo aliquid suggerat, quasi perinde illi sit utrum ova atterantur nec ne. ℣s. 16. *Duriter habet pullos suos quasi non sint sui: in vanum* est *labor ejus*, est *sine pavore.* Non sine omni metu: est enim animal timidissimum, sed carens provido isto timore, quo parentes ad prospiciendum suis impelluntur, qui timor ex *στοργῃ* oritur. ℣s. 17. *Nam oblivisci illum facit Deus sapientiae, & non impertivit ei de prudentia.* Struthio stupidissimus est: quum caetera animantia cibos Naturae suae congruos eligunt, hic quodcunque se offert, ferrum, ossa, prunas, lapides, vitrum & terrae glebas vorat. Capite inter frutices abdito putat se totum latere; crasso atque informi suae figurae rudimento allicitur a Struthiophagis & capitur: de ovis derelictis jam dictum: quod ad corporis habitum, caput exile & cerebrum fere nullum habet, & natura surdus est. ℣s. 18.) *Statim* Alii *quo tamen tempore in sublime evolat, irridet equum & sessorem ejus.* Neque enim volat Struthio sed volatus expers est, sed alas pro velo habens in aëre quasi natat, quumque venatores ad nidum accedunt, e cubili suo exurgens Staturae proceritate & colli

ex-

extensione supra fidem eminet. Deus autem hanc avem ita privavit sapientia ut tamen ejus saluti & conservationi prospexerit, quum homini etiam equiti illam adsequi non sit facile. Age iterum Jobe rationes explica quomodo & cur Struthio instinctu illo naturali careat quem reliqua habent bruta, quae ejus prae reliquis Stoliditatis ratio est, age philosophare heic ex ulla mechanismi lege, ex natura compositi. Discimus & hic in brutis irrationalibus esse tamen aliquod Rationis simulachrum; & uti sui generis anima sic & sui generis intellectus ipsi recte tribuitur; hinc contradistinctè ad alia bruta Deus Struthioni dicitur nihil impertivisse de bona mente.

חח. Equi ỳs. 19-25. ỳs. 19. *An das equo praepollentiam. An amicis collum ejus tonitru?* Uti equus robur & fortitudinem ita etiam decus naturale a me solo habet. ỳs. 20. *An facis eum exilire instar locustae? Decor ronchi ejus* est *terribilitas.* ỳs. 21. *Fodiunt in campo, & exultat robore. Exit adversus armaturam.* vs. 22. *Ridet pavorem, & non consternatur, & non retrocedit a facie gladii.* vs. 23. *Super ipso tinnit pharetra, flamma hastae & lanceae.* Saltus autem equi alius ad usum est comparatus quum inter eundum fossam aut vallum transibit; alius nonnisi ad pompam pertinet, quum plano solo idem insultat, & avium ritu in sublime se tollit ut agilitatis suae specimen edat *instar locustae* quae saltabundum est animal. Haec autem comparatio docet non agi solum de equi erectione in pedes posteriores, sed de pleno saltu quo totus equus locustae instar in sublime fertur. vs. 24. *Cum concussione & fremitu cavat* Alii *sorbet terram: neque reputat cum extat vox tubae.* In concussione & commotione acierum ad praelium instructarum: tum enim buccina clangere incipiunt, & tota acies commoventur, omniaque iras ac minas & caedes spirant; neque tamen equus terretur. Terram movendo & quatiendo deglutit quasi celeritate cursus sui: cum impetu in praelium ruens campum interjectum quatit & quasi devorat i. e. pernicitate sua tam rapidè decurrit atque emetitur ut devorasse videatur & uno haustu absorpsisse. vs. 25. *Ex aequo tubae* vel *in sufficienti* clangore *Tubae*, cum Tuba diu multumque sonat, *dicit, Euge! & eminus odoratur bellum, fremitum ducum, & barritum.* Tropicè hoc aci-

cipiendum ut respiciatur ad animosi Equi gestum, quando ronchos ducit & sternutat, quasi è longinquo aliquid odoretur, ad quod lubenter procurreret & optaret ut mox adesset. Ducibus *fremitus* tribuitur, quia hi auctores sunt tum mandando tum praeeundo. *Barritus* est conclamatio bellica universi exercitus, quo animum suis addere, hostibus autem terrorem incurere solebant.

ꝟ. Accipitris. vs. 26. *An ex intelligentia tua volat accipiter, pandit alas suas ad meridiem?* Nempe in ingressu veris rapaces aves plumarum defluvio sunt obnoxiae quae deinde in eis renascuntur, quo tempore hic dicitur, secundum Bochartum, alas ad austrum expandere accipiter, ut blando solis calore refocilletur, & novae plumae in deperditarum locum facilius restituantur. Smidius aliter. Laudatur in Accipitre volatus tam fortis & validus, ut non dubitet adversus impetuosum Austrum volare. Nullus enim ventus austro quum ingruit impetuosior est, ut aves quoque volantes ab illo repellantur. Sed prius illud praeferimus, agitur enim de instinctu naturali. Verba Gregorii sunt: domesticis accipitribus quo melius plumescere debeant humida loca requiruntur. Agrestibus vero moris est ut flante austro alas expendant quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest alis contra radios solis extensis atque excussis tepentem sibi auram faciunt, sicque captato tepore apertis poris vel veteres exiliunt vel novae succrescunt.

ꝟ. Aquilae. vs. 27-30. vs. 27. *Numquid ad dictatum tuum sese effert aquila, & superexaltat nidum* suum? vs. 28. *Petram inhabitat, & pernoctat in dente petrae & arcis.* vs. 29. *Inde sagaciter scrutatur cibum, a longinquo oculi cernunt.* vs. 30. *Et pulli ejus lingunt sanguinem, atque ubi* sunt *cadavera, ibi est.* Nullum Animal Aquila est perspicacius, quae etiam solem inconniventibus oculis intuetur. Loca incolit explorando cibo suo aptissima. Pulli aquilae vix exclusi sanguinem dicuntur sorbere, quod, cum nondum comedere possunt, parentes illos sanguine nutriant, donec & carnem vorare queant. Non omnes quidem aquilae, perenopterus tamen sive gypaetus, degeneris aquilae genus, vulturina

ſpecie, exanima fert corpora, & cadaveribus delectatur, quod Ariſtoteles & Plinius tradunt. Quae iterum ratio horum inſtinctuum naturalium? An tu, Jobe noſti?

Poſt explicitam ſic in divino hoc alloquio divinam hanc Philoſophiam, patet ſcopus divinus veruſque harum interrogationum de mirandis hiſce Naturae phaenomenis ſignificatus. Modum agendi, rationemque formalem horum phaenomenon hominem non noſſe ſequitur ex ſcopo Dei. Sicut illarum in natura operationum Divinarum, ſicque effectorum rationem non tenet, ſic multo minus tenet rationem actionum viarumque quas cum homine inflectit. Illud heic probè obſervandum eſt, orationem hanc divinam modo interrogare an Jobus hoc intelligat, modo an poſſit, modo an faciat? Modo an tunc fuerit i. e. aeternus ſit. Quo ipſo ſignificatur neminem haec intelligere niſi qui & ipſe illa poſſit & faciat & aeternus ſit, haec in hoc argumento prorſus alternare. O! ſi animadvertant hoc Philoſophi! Neque Ratio, neque brutorum inſtinctus, de quibus interrogat Deus, pendent a Mechaniſmi Legibus. Crediderim Deum hoc modo voluiſſe Jobum convincere, ut ſimul doceret veram Phyſicam ejuſque limites, damnaretque ſic vanum hominum Studium & ψευδωνυμον γνωσιν, ea veſtigantium quorum ratio non patet finito intellectui. Cum Deus Terram fundaret, Angeli ipſi in eo agnoſcentes quid a mechaniſmi Lege, cauſis ſecundis, non pendens, ſed ab infinita ſapientia & potentia, quam quod ad τὸ διότι non intelligunt, ſed admirantur & adorant, etiam haec effecta quod ad eorum modum & rationem non intelligebant ſed mirabantur & celebrabant. Quid igitur miſeri homunciones. Non negamus Mundi corporei ſtructuram eſſe mechanicam. Sed mechanicam illam ſtructuram Legeſque vel facit Deus ordinario modo procedere; vel ſervato eodem celeritatis tarditatiſve gradu huc illuc dirigit; vel accelerat vel tardat; vel ſiſtit; vel in contrarium agit; vel abſque illis legibus agit. Quod ad prius cauſae ſecundae etiam quid poſſunt; quod ad ultimum ſolus Deus. Jam vero in merè materialibus leges fixerit mechanicas; in Brutis praeterea, in ipſorum anima rationis expertę, eſt inſtinctus, ſemper tamen a Deo pendens in ſuis effectis.

fectis. In creatura rationali, homine, qua animales potentias est instinctus, qua spirituales est Ratio, sed & haec & ille a Deo pendens. Haec omnia probant non Naturam fatali necessitate agentem sed liberè agentem Deum. Quod ad prius illud, observamus phaenomenorum vel effectorum aliquem nexum, non ipsum quo quid fiat modum vel rationem formalem. Quod ad *ordinarias* Dei operationes a posteriori ex experimentis intelligimis aliquid; ad *extraordinarias* haeremus; in miraculosis ad solam Dei omnipotentiam recurrimus. Deinde & pro directione Divina mechanicus ille processus, servata licet eadem vel velocitatis vel tarditatis mensura vel huc vel illuc vergit. Et si quas fixit Naturae leges secundum quas haec illa velut mechanicè procedunt, Deus pro suo arbitrio (ut ostendat se esse Ens liberrimum a toto universo distinctissimum) intendit, tardat, sistit, pro sapientissimis Providentiae suae rationibus. Et haec est operatio Dei extraordinaria. Si causae secundae quid possunt in Machinis suo arbitrio subjectis, Quidni Deus in omnem Machinam vel Materiem?

CAPUT QUADRAGESIMUM.

א. Conclusionem per inculcationem stultitiae contendendi cum Deo Cap. XL. vs. 1. 2. Et *respondit Dominus Jobo & dixit. Num contendere cum omnipotente eruditio? Arguens Deum respondeat ad illud?* vs. 2. Colon primum varias expositiones patitur. Causa, quod יסור est *ἁπαξ λεγομενον*. Ex quo alii faciunt nomen in forma כנור alii futurum a יסר pro ייסור vel יסור, ut volunt: alii infinitivum pihel pro יסר quod est Ps. CXVIII. 18. Deinde רוב alii ad ריב *litigare* referunt; alii ut praeteritum aut benoni, alii ut infinitivum. Junius ad רבב; sunt hae fere interpretationum differentiae. *Num contendere cum Deo eruditio est? num qui contendit cum Deo, eum erudiet? num satis est esse cum omnipotente quemquam contumacem? satisne rationum allatum est optimo maximo ad te convincendum?* sic Leo judae & si qui aliter. Videtur, si quicquam horum dicere voluisset, ex linguae ingenio commodius potuisse dicere. Ita Coccejus. *Starckius*

fic: *Num contendere decet cum omnipotente castigante? Num arguens S. corripiens Deus rationem reddet illius correptionis*, vel *num argu- enti Deo respondebit quis* tale quale scilicet tu?

ב. Jobi ad priorem istum Dei sermonem Responsio vs. 3. 4. 5. vs. 3. *Ecce levis sum. Quid regeram tibi? manum meam impono ori meo.* vs. 4. *Unum locutus sum, & non prosaborem duo, & non addam.* a Principio est schema addubitationis, quo efficacius ostendit impossibilem sibi esse responsionem, quasi praevia deliberatione & quaestione non inveniat responsum, tum sinceritatem abnegationis indicat citando Deum testem suae ατοριας. Deinde per ostensionem gestus, manus imponendae ori, indicat propositum silendi. Tertio declarat, nihil se dicturum ad defendendum ea, quae semel atque iterum dixerat. Quae tanquam cum fide & amore Dei dicta erant, habebant tamen multum defectus, & speciem blasphemiae ac infidelitatis apud alios, & in ipso ostendebant impatientiam.

B. Alter Dei ad Jobum sermo. vs. 5. *Et respondit Dominus Ijob ex procella, & dixit:*

Hypotheses praesternendae Vero Behemotho & Leviathani detegendo & in lucem protrahendo.

Dum hactenus ita variant Interpretum Sententiae de *Behemoth* & *Leviathan*, & nulla hactenus difficultates omnes tollit; sive descripti Behemoth attributa omnia quaeris in Elephante sive in Hippopotamo; & Leviathanis illa sive in Balaena sive in Crocodilo, examen mereri videretur recentior cl. HASAEI sententia qui per *Behemoth* intelligit Piscem dictum *Manathi*. Vide Dissertationum ejus Syllogen Dissert. VIII. & IX. per *Leviathanem* Piscem quendam *dentatum*. Vide Ejus de Leviathan Jobi & Ceto Jonae *Disquisitionem*. Utriusque descriptionem Tibi ex illo, sed compendefactam, sufficientem tamen ex qua rem dijudices, dare possem, eum in finem a concinnatam, quia existimat Vir Doctiss. se Behemoti & Leviathanis attributa omnia in his Piscibus deprehen-

disse,

disse, saltem hactenus nihil descriptioni divinae tam respondere. Sed eam exhibere nihil attinet, dum & heic difficultates praecipue manent. Non tantum non placet illa *Scutorum* comparatio cap. XLI. ♈s. 5. in Leviathane cum *dentibus*, quae pulchrè respicere potest squamarum (sed queis caret hic piscis dentatus) commissuram. Sed ne nunc alia allegem superantur tamen, capiuntur humana industria & vi & Manati & Piscis ille dentatus, vel ipso capiendi & superandi methodum narrante. At vero Behemoth & Leviathan describuntur ut humana arte & potentia insuperabiles, de quo deinceps, cum tamen verè affirmet Jacobus *omnem naturam animalium sive terrestrium sive marinorum ab humana natura domari & domitam esse* Ep. cap. III. ♈s. 7. Unde non video quomodo illa sive de Elephanto sive Hippopotamo, atque sive de Crocodilo sive de Balaena interrogatio divina Jobi hominumque omnium impotentiam arguat, dum non est sermo de eo quod homini difficile sed impossibile est.

Ad hunc lapidem omnes offendunt Interpretes, quod Dei interrogationes interpretati fuerint de rei Difficultate (quod per hypotheses suas aliter non possent) cum tamen, quod per omnem commentationem de Behemotho & Leviathane videbimus, interrogationes illae absolutam impossibilitatem manifesto innuant. Quare vel solus Locus *Jacobi* supra allatus omnes illas interpretationes refutat.

Nos igitur aliam viam hic inflectimus. Velim sine praejudicio perpendantur sequentes Meditationes nostrae. Est hic alter Dei ad Jobum sermo. Quare nihil impedit quo minus statuamus, Deum jam ab operibus Naturae transire ad opera gratiae.

Quodnam sit hujus Sermonis argumentum, sicque quis sit ille *Behemoth* & *Leviathan* praecipiendum est ex Prooemio quod velut ejus propositio est.

Prooemium indicat Deum adserturum & illibatam justitiam & invictum Robur in superandis illis adversariis contra quos nihil potest humana vel industria vel Potentia, per quos tamen hostes superatos Jobo & qui eandem cum ipso profitentur Fidem salus est adferenda, Jobum neque quemquam morta-

lium id posse peragere quod si possit ipse Deus agniturus sit quod manus ejus ipsi salutem praestet, vide Cap. XL. 14. Nunc sequitur immediate ỳs. 15. *Ecce nunc Behemot* &c. quae necessarium cum anterioribus habent nexum. Sermo hic divinus id arguit, principem causam unicam salutis esse ipsum Deum, in opere gratiae neminem Deum praevertere cui quid retribuatur, quod significant verba Dei Cap. XLI. 2. interprete Paulo Rom. XI. 35. & tamen Cap. XLI. ỳs. 3. immediatè pergit Deus in descriptione Leviathanis; omnis itaque interpretatio fallit, ne nunc alia allegem quae in ipsa commentatione in oculos incurrent, quae hunc Dei scopum non ferit, & hunc nexum antecedentium & consequentium non indicat liquido.

Unde liquet in Belluis illis, qualescunque illae sint, heic subsistendum non esse. Neque respondent magnifico illi quod hic sermo divinus portendit, neque insuperabiles sunt arte & potentia humana, cum tamen clarè innuitur, in illis domandis solam valere potentiam Divinam.

Quare ad veram Dei mentem in hoc argumento tenendam & superandas difficultates omnes, & os obturandum hominibus scripturam parum reverentibus, Bestias describi quales neque extiterint neque exstiturae sint causantibus, gemina animo meo incidit hypothesis: vel totum hunc sermonem merè esse emblematicum: vel revera literaliter tunc extitisse tale animal (nam Behemoth & Leviathan idem puto esse subjectum) quod adsignaturus sum longe diversum ab omni eo de quo hactenus cogitarunt Interpretes; quod ipsum animal rei spiritualis sit Emblema manifestissimum, sic ut verba Dei exactissimam heic habeant veritatem in litera & Mysterio. Posterior haec hypothesis ut simplicissima & quae omnem omnino tollit difficultatem, se mihi maxime commendat. Utramque tamen exponam & pro utraque Sermonem hunc divinum distinctè commentabor.

Primum igitur ponamus Sermonem hunc divinum esse symbolicum. Si vel in antecedentibus de propriè dictis Animalibus agitur, nihil obstat dum prooemium eo ducit, hunc Sermonem esse emblematicum.

Scriptura saepius, etiam in hoc Libro loquitur emblematicè, sic Leo robustus & juvenis Leo emblemata sunt Tyrannorum, hominum potentium & violentorum. In

In Visis emblematicis miscentur aliquando variae Belluarum species. Ita Dan. VII. Apoc. XIII.

Quid obstat de Pharaone, ipsius Diaboli emblemate agi, qui alibi eodem emblemate venit Ps. LXXIV. ỳs. 13. 14. *Tu rupisti vi tua mare. Tu fregisti capita* תנינים *Draconum in aquis. Tu conquassasti capita Leviathanis.* cont. Jes. LI. 9. Ezech. XXIX. Uti & Diabolus ipse Jes. XXVII. 1. *Die illo visitabit Jehova gladio suo duro illo & magno & valido, super Leviathanem Serpentem transfugam apostatam & super Leviathanem Serpentem sinuosum, & occidet Draconem qui est in mari.* Hunc Locum deinceps explicitum dabimus. Certe sic agetur de rebus maximis in quibus totum redemptionis opus vertitur, quod innuit Prooemium. Suppono Jobum vixisse non diu ante Exitum Israelitarum; suppono Jobi ex Nahore Abrahami Fratre genus ducentis ad Gentem vicinam, cognatam & eandem Patriachalem fidem professam, arctissimam fuisse relationem, miseram ejus sortem rescircentis, Liberationem cupientis deque illa praestita vehementer gavisuri. Praesertim si haec typica vel emblematica sunt, Spiritualem pingunt Liberationem Electorum omnium ex potestate Infernalis Pharaonis, singularem etiam ipsius Jobi in hac etiam vita ab omni ejus vexatione & tentatione ereptionem, quo tum spectabit Jobi responsio Cap. XLII. *Deum haec omnia posse.* De Jobi aetate vide proleg.

Nihil porro obstat per Behemoth & Leviatanem idem designari subjectum. Etiam ad varias belluarum species respici, sic & Leviathan latiori sensu accipitur vide Ps. CIV. ỳs. 26. *ibi* (in mari magno & lato) *naves incedunt, Leviathan quem formasti ut in eo luderet.*

Elegantia est si sermo aliquando ad convenientiam, aliquando ad oppositum quid alludit.

Hoc Pacto omnia de Pharaone & antitypo ejus accipi poterunt.

Unde licet in Monstris ad quae alluditur sit aliquid commemoratione maxime dignum, quod tamen in hoc sermone divino non allegatur, fit hoc quia illud monstri attributum quod ad subjectum Mysticum usui non venit. Quare procedit equidem cl. Hasaei argumentatio Leviathanem non esse Crocodilum

lum, sic ille „ In Crocodillo multa sunt, ei priva, prorsus singularia, & commemoratione prae aliis digna, quae in tam Luculenta, qualis hic est, ejus descriptione non videntur fuisse omittenda. Huc spectant *mira* ejus *generatio*, qua ex ovo non majoris magnitudinis, quam anserinum est, quale ipsis his manibus meis tractavi, bestia prodit, quam deinde in 24. & ultra, ulnas magnitudinis invalescere scribunt, ita ut nulla sit bestia, quae *ex minori origine in majorem excrescat magnitudinem*, ut loquitur ex Herodoto Plinius. Insolita ejus *forma* est, cui similis in nullo animantium genere occurrit, cujus partem a quadrupedis, partem a piscibus traxit. Accedit odor fragrantissimus, instar musci, quo ex longinquo homines vel alliciuntur, vel admonentur, ut ab ejus sibi caveant occursu: *solus ex omnibus bestiis non nactus est linguam*; ut loquitur Herodotus. Ipsa *Cauda* tantae magnitudinis, tantique roboris, ut non homines solum, sed & animalia validissima uno prosternere ictu possit, non minus videtur commemoratione digna, quam illa τȣ Behemoth vel Elephanti fuit. Cap. XL. 12. Et quid referam inferioris *maxillae* immobilitatem? Quid illam quatuor mensium per hiemem inediam, tot memoratam scriptoribus? Quid avem illam, *trochilum* vocant, turdi magnitudine, quam dum reduvias escarum affectat, ejus intrare fauces, & purgatis dentibus illaesam emitti veteres & recentiores magno agmine *αυτοπται* narrant, quod nuper adeo Lucas, Gallus, in tertia itineris sui in AEgyptum jussu Regis sui facti descriptione confirmatum ivit? Quid *naturalem* ejus *providentiam*, qua *metatur locum nido*, verba sunt Solini, *nec alibi foetus premit, quam quo procrescentis Nili aquae non possint pervenire*? Quid *unguium immanitatem, quibus ita est armatus ut si haberet etiam pollices. Ad evirtendas etiam naves sufficeret*, scribente Ammiano Marcellino. Quid ingentem clamorem, quem esuriens edit, quemque ultra milliare Germanicum audiri posse perscribunt? Neque id omittendum est, cum Crocodilus sit ex eo animalium genere, quae & *humi & in humoribus vivunt*, ut phrasi utar Marcell. quae *ἀμφίβια* vocant, quae commorationem suam in terra & mari veluti partiuntur: unde vocant *υδροχερσον*, uti Herodotus *χερσαιον και λιμναιον*, & Ammianus assuetum elementis ambobus, illius

illius quidem in mari habitationis fit mentio, de terrestri vita ne γρυ quidem occurrit. „ Hactenus ille. Sed haec observatio nihil facit contra Nos. Alluditur modo ad id quod heic usu venit. Quae vero habet de Crocodili cauda & Vita ἀμφιβίῳ, ad quae alludi poterat, non alluditur, quia quae in Subjecto mystico his respondent jam occurrerant in Behemoto.

Quare recte iterum probat Cl. *Hasaeus* Leviathanem non esse Crocodilum, dum in Crocodilo tam multa occurrunt prorsus contraria iis quae sunt in descriptione Leviathanis. Contraria illa sic enumerat. „ *Linguam* illi tribuit divinus Scriptor, quo hunc carere omnes & veteris, & praesentis aevi scriptores testantur. Non tamen hoc argumentum multum urgebo, qui omnium minime ignoro, quid ad illud responderit Bochartus, aliique, qui putant saltim aliquid analogum linguae in faucibus Crocodili reperiri, cutem videlicet pilosam maxillae adhaerentem, quaeque facile auferri possit. Num autem haec responsio rem conficiat, id arbitrentur alii.

Non infimum locum mereri puto quod *primo* Loco apud Jobum legitur, ubi negatur *Unco* aut *hamo* ejus nasum aut maxillam perforari, eumque ita capi posse, ℣s. 20. 21. contrarium enim docent & sacri & profani iique veteres juxta & recentiores scriptores. Quando enim apud Ezech. XXIX. 3. Deus pharaoni sub emblemate Crocodili, quem תנין vocat, proposito, quod ipse Bochartus l. v. cap. XVIII. probat, comminatur *se immissurum uncum* sive *hamos*, *in maxillam ejus:* annon inde colligas Crocodilos uncis capi trahique & posse & solere? Et cum apud Eundem cap. XXXII. 2, 3. in simili phrasi, *se*, ait, *expansurum super illum rete suum in caetu multorum populorum, qui eum tracturi essent in sagenam*, ecquis neget Crocodilos olim & *retibus* & *sagenis* captos, id quod tamen de Leviathane negatur ℣s. 26. praecipue, cum id factum esse antiquissimi scriptores confirment. Herodotus lib. 2. cap. LI. inter multiplices & varias (πολλὰς καὶ παντοίας ἄγρας) capturas hanc sibi maxime memoratu dignam scribit. Ubi tergum Suillum hamo (ἀγκίστρῳ, hac voce utuntur apud Jobum Alexandrini) *circumdatum ad alliciendum Crocodilum pertulit in medium*

 flu-

fluminis viator, ipse ad oram fluminis porcellum, quem vivum tenet, verberat, cujus vocem Crocodilus audiens, ad illum tendit, nactusque tergum devorat. Et postquam attractus est, ante omnia ejus oculos venator coeno opplet. Et hoc acto caetera facile obtinet alioqui cum labore adepturus.

Neque minus mihi præsidium nascitur ex iis, quae commate 24. C. 40. porro leguntur, ubi *feriri cum eo posse foedus, & perpetuo servitio addici posse*, id est, cicurari, Deus ipse inficiatur. Id vero adversa fronte, cum iis, quae de Crocodilis nutritis, saginatis, mansuefactis passim & prisci & novi temporis scriptores memoriae prodiderunt, pugnat.

Ex quibus id pariter dispalescit clarissime non minus, non negari posse de hoc monstro, quae de Leviathane negat Divinus scriptor commate 24. cum scilicet, non *pro oblectamento haberi*, aut *cum & a pueris, innuptisque puellis ludi posse*. Quae & ulterius sequentibus confirmabuntur. Inter oblectamenta sua Heliogabalum habuisse hanc Belluam in ejus vita testatur Lampridius cap. XXVIII. Nota est historia, quam Maximus Tyrius enarrat sermone 37. editionis Heinsianae pag. 224. aluisse mulierem Crocodilum: *tanquam τροφιμον* alumnum suum, *eumque incolas una cum nutrice demulsisse*, filiumque ejus puerum fuisse *συναθυροντα και συντρεφομενον αυτω cum eo adolescere unaque lusitare consuevisse*.

Et quis hoc ausit ire inficias, cum exploratum sit Crocodilos saepius in ipsis publicis Romanorum theatris Omnium Ludibrio publicoque etiam pullati ordinis, ac puerorum puellarumque oblectamento fuisse expositos? *primum cum Hippopotamo* quinque Crocodilos *Roma aedilitatis suae Ludis M. Scaurum temporario Euripo ostendisse testantur* Plin. lib. 8. cap. XXVI. Et Solinus cap. XXXII. pariter Antoninum pium edidisse munera, in *quibus Elephantes & Crocodilos atque Hippopotamos exhibuerit*, in ejus vita Capitolinus cap. x. enarrat.

Porro de Leviathane ℣s. 25. cum *non comedi* aut Pabulum hominum, qui eum capiunt fieri posse, commemoratur. At vero Crocodili carnem ab hominibus non solum comestam, sed & in deliciis aliquando habitam, idque nostris, quos Vi-

vi-

vimus, diebus fieri etiamnum quamplurimis comprobare licet veterum juxta, & recentiorum testimoniis.

Neque Crocodilo conveniunt, quae ℣s. 25. & 26. adjiciuntur. Quis neget enim inter Mercatores saepe Crocodilum distribui, utpote cujus usus in Medicina frequentissimus est. *Adipem ejus magno apud Alcairum vendi, & vetustis vulneribus & carcinomatibus infectis conducere* testatur Leo Africanus in l. c. pag. 762. Quis *inquam neget*, cum toties tamque variis modis irretiri, & vel vivus ope navium per longe dissitas regiones circumferri soleat, inficietur.

Dehinc porro, quae Commatibus 9. 10. 11. 12. de ejus *sternutationibus, instar lucis, de facibus ex ore ejus exeuntibus, & igneis scintillis emicantibus, de fumo ex naribus ejus prodeunte, instar aheneae & ferventis ollae, deque halitu carbones incendente, flammaque ex ore illius egrediente* verbis tam patheticis expressa leguntur, ejusmodi sunt, ut quomodo cum Crocodilo in sua emphasi congruant, non videam, simile enim aliquid de illo vix apud veteres & recentiores scriptores occurrit, neque ab ipso Bocharto adductum est. Neque facile haec, quae de flammis, scintillis, igne, luce, excitatis, referuntur, de pisce fluviali, qualis Crocodilus est, explicari possunt. Quo etiam spectant quae paulo post de rapido ejus & terribili in mari incessu, quod *fervere dicitur, tanquam ollam*; *profundumque mare reddere mortarium unguenti*: ita ut *pone se lucida reddatur semita, & abyssus tanquam canities*, commemorantur. Sane tantum abest, ut Crocodili tam violentus, atque impetuosus motus sit, ut potius eum occulto sine tumultu in amnibus AEgypti nantem, vel etiam in publicis viis jacentem serpentemque, fere indeprehensum conspici, ut trunci magis aut stipitis, quam truculenti piscis videatur similior, passim enarretur.

Neque illos *oculos instar palpebrarum aurorae* in Crocodilo invenio, de quibus nihil quod singulare sit suoque vel fulgore vel acie se commendet, tradiderunt animalium scriptores. *Thevenotus* Crocodilis adscribit mediocres & valde obscuros oculos, unde factum sit, quod cum lachrymari finxerint anti-

 qui-

quitas. Aristoteles de Animal cap. xci. lib. 2. iis tribuit *ὀφθαλμοὺς μὲν ὑός*: oculos suillos.

Quid vero de *Loco* dicemus quem sacrae paginae assignant Leviathani? Ille dicitur *mare, & profundum & abyssus* ỳs. 22. 23. Quomodo autem haec conveniunt Crocodilo, animali non marino, sed fluviatili.

Denique eum reliquis omnibus feris antestare robore, neque ab iis posse vinci dixeris, quod de Leviathane ỳs. 24. 25. dicitur. Memini me legisse congressum cum tigride, & ab eo victum esse, qui tamen locus nunc non incidit. Quid dicam *de Delphinis in Nilo, quorum dorsa serratas habent cristas, qui Crocodilos studio elicientes ad natandum, demersisque astu fraudulenta tenera ventrium subternatantes secant & interimunt*, quae verba sunt Solini, Cap. xxxii. „ Hactenus ille. Labitur equidem per Haec *Bocharti* quique eum sequuntur Hypothesis. Sed ex Nostra Hypothesi mira heic est Elegantia & emphasis dum per oppositionem fit allusio: *Quod Crocodilo accidere potest & accidit saepius, etiam huic mirifico Crocodilo accidet?* Neque ex nostra Hypothesi ad solum Crocodilum alluditur. Nulla est ratio cur non in Leviathane alludatur etiam ad Draconem, quod & admodum convenit cum Nomine ipso, de quo deinceps. Huc certe pertinere possunt, & portentosa Draconum magnitudo, & difficilis captura, & flammantes, ignemque spirantes oculi, & dentium acutissimorum series, &, si vis, squamarum asperitas & ingens, quem adspicientibus incussisse leguntur, horror. Et forte omnium monstrorum maxime formidabile Homini est Draco. Vastum illud & Volubile Corpus Draconis jubati, qui ardentibus oculis, vibrantibus Linguis (fertur enim huic Bestiae esse Lingua trisulca) sibilante ore, hominem invadit, inque eum lapsus spiris suis involvit comedendum. Quam mira de Draconibus collegerit *Bochartus* quorum quaedam fidem superant vide apud illum.

Sed Nos redimus ad ulterius adstruendam hypothesin nostram de Behemotho & Leviathane Mystico, Pharaone.

Forte jam ab olim insuetum non fuit Potentiores Tyrannos insignire nomine Monstri alicujus vel Monstrorum quae reperiuntur praesertim in Terris & fluviis eorum Dominio subjectis.

jectis. Ita Pharao Ezech. xxix. audit *Tannin* per quem Bochartus in Litera idem intelligit quod hic per Leviathan nempe Crocodilum. Imo & putat sic alludi ad ipsum Pharaonis Nomen quo *Crocodilum* significari ex Arabismo discamus. Quando certe Jobo insolens visum non fuisset, si eò ducit sermo omnis, per descriptum Behemoth & Leviathanem describi Pharaonem. Neque insolentius est continuata longa descriptione Belluae vel Belluarum sic ut omnia ad Literam accipienda videantur, tamen revera describi potentem aliquem Tyrannum, quam Assyrium Regem cap. Ezech. xxxi. longà oratione describi per descriptam mirabilem Cedrum. Et ubi alluditur equidem ad Literalem Cedrum sed talis describitur Cedrus qualis omni modo in Litera non datur, sed talis fingitur ut intentum describendum Tyrannum exhibeat melius. Idem tene de Behemoth & Leviathane si vel in Litera distincta sint subjecta. Alludi quidem ad haec illa AEgypti monstra, praesertim ad Hippopotamum & Crocodilum, & forte ad plura monstra quae in unum velut conflantur ad distincta Tyranni Attributa exhibenda vividius, sed nullum in Litera revera tale monstrum dari quod huic per omnia respondeat. Uti neque talis Leo & talis *Tannin* sive Draco aquaticus sive Crocodilus datur qualis Pharao audit Ezech. xxxii. qui per omnia respondeat descripto illi Leoni & Tannin vide ℣s. 2-9.

Supponamus jam porro illum Pharaonem Populi Israelitici oppressorem, illustrissimum divinae Potentiae Vindicis objectum, ipsum Diaboli emblema, fuisse Regem, quod ex Historia S. satis constat, eo tempore potentissimum, & eo tempore nullum Regnum ipsi par extitisse, neque ipsum Regnum Assyrium cujus Potentiae protensioris longe seriorem esse originem nos alibi demonstrabimus. Sic ut eo tempore Regum mortalium nemo afflictum populum ex manu ejus liberare potuisset. Quod ne quidem ipsum Deum posse de sua persuasus potentia gloriabatur ipse Pharao Exod. ix. ℣s. 2.

Est igitur illa Israelis ex AEgypto Liberatio & Pharaonis in Mari rubro suffocatio illustrissimum illinc gratiae hinc Vindicis potentiae divinae opus, praesertim si Liberatio illa quid

pingit quo magis nihil pingi potest, aeterna Electorum per Jesum parta salus & de Diabolo Victoria.

Cogita nunc, si hanc admittis Hypothesin, non modo nullam superesse difficultatem si quid offendis in hac descriptione quod neque in Elephanto neque Hippopatamo neque in Crocodilo vel & in Dracone, vel ullo in monstro reperire est, sed quam bellè fluant ad quae caeteroquin haeres. v. c. de Behemotho dicitur ŷs. 14. *ipse est praecipuum quoddam viarum Dei* quam aegre hoc in ullam qualemcunque Belluam quadrat? At vero intellige hunc quem diximus hostem, cum ejus antitypo; de Pharaone illustrissima justitiae suae *ενδειξει* inquit Deus, ad hoc ipsum posui te ut demonstrarem in te potentiam meam & ut nomen meum celebraretur in tota terra Exod. IX. 16. Rom. IX. 17. Et sequentia versiculi verba in quibus pro hypothesi sua vertendis & applicandis tam luctantur Interpretes simplicissime reddita: is *qui fecit ipsum* Deus creator ejus & qui Regem ipsum constituit, *faciet ipsum appropinquare*, occurrere *gladio suo*. Solus Deus hunc hostem, & praesertim quem pingit Diabolum superare potest. Quomodo Deus Pharaonem in suum non hominis gladium fecerit incurrere lege Exod. XIV. deque mirabili illa Victoria oden eucharisticam Cap. XV. De superando illo qui Mortis potestatem habet Diabolo per solum Deum, per hunc solum praestanda sabure humana omnis loquitur scriptura. Attende etiam qui tunc recte fluant Pauli allegantis verba ostensuri totum salutis opus in solidum illi Deo ex quo per quem & ad quem omnia sunt est adscribendum ad Rom. XI. ŷs. 35. *aut quis prior ei dedit & rependetur ipsi*, quae leguntur hoc Cap. XLI. ŷs. 3. *quis praevertit me* &c. antecedunt ŷs. 2. verba quae sive sic vertas *nemo tam audax est qui excitet eum*, Leviathanem, vel *nonne ferox, crudelis est ubi excitatur? sed quis ille est Leviathan*, quem nemo suscitare ausit, vel qui a Mose & Aarone excitatus ferocit admodum, *qui coram facie mea consistat?* Neque Pharao neque Diabolus. Sic igitur de hoc hoste Victoria perque eam parta humana salus soli Deo est adscribenda, nemo Deum praevertit vel prior quid dedit. Recte etiam de utroque Pharaone accipis verba Cap. XLI. 25. 26. *Nihil*

in

in Terra ei esse simile, nempe potentia, *factum esse qui atteri non possit* humana nempe potentia, *omne celsum aut superbum videre* imperterritum, *esse regem super omnes filios elationis.* Quae difficulter belluae proprie sic dictae applices.

Ipsa etiam si attendis nomina, magis ducimur in hanc cogitationem. Plurale *Behemoth* a *Behemah bestia* (dum tamen subjectum singulare innuitur quod toties occurrens numerus singularis arguit) significat Bestiam κατ' ἐξοχὴν Bestiam Bestiarum. Nulla autem in omni reliqua Scriptura occurrit Bestiae species quae dicatur *Behemoth.* Quidni ergo intelligi possit Bestia illa Gen. III. prae omni Bestia quae est maledicta, facta allusione in hac descriptione ad monstra quae sunt in Fluminibus, paludibus, Desertis, ipsoque mari, dum sicut in aere princeps ille aeris sic & in Terra omnique ejus loco vim suam exerit. Secundum Nomen Leviathan, si vocem ipsam spectas mihi rectissime vertendum videtur *Magnus Draco* vel Serpens, ille nempe Gen. III. Apoc. XII. XX. Non persuadet Bochartus esse a לוי arabico quod notionem habet *flectendi contorquendi* & το תן finale constare ex literis servilibus, ejusmodi nominum formam dari apud Hebraeos non probant exempla ab illo adducta. תן certe hic primitivum est unde plurale תנים & faemininum תנת & geminatis radicalibus singulare תנין & plurale תנינין. Hinc Leviathan jungitur תנים Draconibus veluti Draco magnus Draconum caput Ps. LXXIV. 13. 14. conf. Jes. LI. 9. Quare existimo cum aliis Leviathan componi ex duabus Vocibus לויה quae notat augmentum sicque quid inusitatae magnitudinis & תן serpentem, Draconem. Sic convenit cum τω *Behemoth* qui est Bestia Bestiarum. Vin' tibi explicationem hujus Leviathan? Lege illum Jes. XXVII. I. Promittit Deus Ecclesiae *se visitaturum gladio suo duro & magno super Leviathanem serpentem* בריח quod verto cum τοις 70 ὄφιν φεύγοντα, Serpentem apostatam, transfugam, qui a Deo defecit, domicilium suum reliquit Epist. Jud. 4. & 2 Pet. II. 6. *Et super Leviathan Serpentem* עקלתון *tortuosum* in spiras volubilem, versutia sua in omnes formas flexilem, qui calliditate sua Protoplastos & totum mundum decepit & decipit Apoc. XII. 9. *Et occidet Draconem illum in mari.* Agnoscunt equidem

dem Interpretes hoc Jesaiae loco designari Diabolum. Sed bene multi, quamvis Diabolum non praetereundum esse largiantur, existimant tamen per distinctos hosce ut putant Leviathanes distinctos Ecclesiae Adversarios indicari. Vide cl. *Vitringa* ad h. l. Bene habet, quod & cum Aliis Diabolum intelligi admittit, quod ad rem nostram satis videri possit. Sed ego ex totius Prophetiae contextu (de quo in meo ad Jesaiam Commentario) liquidum esse credo, directè describi Diabolum distinctè quod ad Ecclesiae Adversarios qui ab illo aguntur. Cap. XXIV. 21. praedictum jam fuerat Deum *Visitaturum esse super Exercitum Celsi illius in celso, & super Reges Terrae in Terra.* Manifeste distinguuntur heic Reges Terrae, Ecclesie Adversarii & persecutores, imo Potestas terrestris impia quaevis *ab Exercitu Celsi illius in celso*, per quem intellige principem illum *της εξουσιας τυ αερος* Eph. II. 2. Principatus, Potestates, *τας κοσμοκρατορας τυ σκοτυς του αιωνος τυτυ, τα πνευματικα της πονηριας εν τοις επουρανιοις* Eph. VI. 2. Quorum omnium Caput est hic qui Jes. XXVII. 1. describitur Leviathan. Estque idem judicium quod legitur Apoc. Cap. XX. ℣s. 1. 2. seqq. Quando unus tantum memoratur Leviathan in Scriptura, caput *των* תנינן Draconum & numquam illi praefigitur ה demonstrativum quod opus non sit quia unus est *αρχων* impurorum Spirituum princeps, vide loca cit. & est idem ille *Serpens tortuosus* versutus qui primos parentes nostros & totum mundum seduxit Apoc. Cap. XII. 9. Non intercedo quo minus alludatur ad has illas species *των* תנינין (Vocis Hebraeae תנין notio non est tam restricta quam latina illa *Draco*) distincto respectu ad Crocodilum, Serpentem & Draconem, sed directè innuitur unum idemque subjectum quod dixi. *Draco ille in mari* an in litera alludat ad Balaenam, an ad literalem Belluam aliam quae strictius sit Draco marinus, definire non habeo. Pariter an *Leviathan* Ps. CIV. 26. sit marinum monstrum literale, & quidem vel Balaena vel alius cetus (cum tamen Cetorum genus omne jam comprehendi videatur sub marinis *animalibus majoribus* ℣s. 25.) vel directè indicet Diabolum etiam in Mari quod supra vidimus non minus ac in aliis locis hospitantem, & qui heic audit Draco ille in mari, non deter-

determino. Ad locum nostrum ut redeam, nulla est ratoi cur hoc apud Jes. loco intelligas tria distincta subjecta per *Leviathanem transfugam*, *Leviathanem tortuosum*, & *Draconem illum in Mari*. Est unus idemque Leviathan qui ultimo loco dicitur התנין Draco ille κατ' ἐξοχὴν. Concedo tamen quod ad hoc judicium sub illo comprehendi Angelos ejus. Sed ipse solus exprimitur. Repetitio illa & *super Leviathanem* fit emphasios ergo. Unus idemque Leviathan (unus modo est & nunquam occurrit in plurali & cum ה εμφαντικῶ) describitur a gemino Charactere quo fordet & distinctissimè innotescit; est Draco ille בריח a ברח fugit, transfuga, apostata, aliis Angelis suis ἀποστασίας auctor (qui cum ipso τὸ ἴδιον οἰκητήριον reliquerunt, est ille idem נחש בריח Serpens Apostata, ita recte LXX. vertunt Job. XXVI. 13. quem *manus divina dolore afficit* (vide commentarium ad h. l. est enim Jobus in describendis Dei operibus in Superis & Inferis.) Forte in nullo loco (occurrit tantum in quatuor) monstrum aliquod literale quod detur significat, sed directè tantum Diabolum, allusione equidem ad τὰς תנינים belluas aquaticas proprie sic dictas quas Deus creavit, sed non ad ad Leviathanem literalem, Draconem aliquem Draconum Caput, qui in litera non datur. Sed quidquid de eo sit stat hypothesis mea etiam absque hoc praesidio quod tamen eam firmaret magis.

Ubi suppono Jobum forte attingere tempus afflictae a Pharaone in AEgypto Gentis Hebraeae, quo sermo hic divinus Jobo minus sit obscurus, nihil suppono quod pugnet. Attigit quod suo loco vidimus ad minimum aetatem pronepotis Esavi, nihilque obstat ulterius Jobi aetatem producere ad ipsa Pharaonis populum Hebraeum durissime habentis tempora. Et quid si supponam Jobi illam & Gentis Hebraeae afflictionem & Liberationem in idem fere incidere tempus, Deo admodum gloriosam. Sed esto Jobi hoc tempore nondum vixerit Pharao ille Tyrannus, fata gentis Hebraeae in AEgypto affligendae liberandaeque apud Jobum non potuerunt esse in obscuro, propterea non difficulter intellecturum quis Tyrannus sit Behemoth ille & Leviathan. Posteritatis haec suae Fata divinitus sibi significata Gen. XV. 13. 16. Abrahamus Fratrem Na-

 cho-

chorem non celavit propterea cognita Nachoris posteris fidem Abrahamicam professis. Et forte vel ipse Jobus eò respicit in hoc illo Sermone. Qui existimant Interpretes Jobum vixisse post exitum Israelitarum ex AEgypto, verba Cap. XXVI. ℣s. 12. de suffocato in Mari rubro Pharaone cum exercitu accipiunt & vertunt *Vi sua fidit scidit mare, intelligentia sua percussit AEgyptum* i. e. AEgypti Regem. Versio nihil peccat & est simplicissima. Certe רהב est AEgyptus sic dicta ob elatam superbam Potentiam Jes. LI. 9. Ps. LXXXVII. 4. & LXXXIX. 11 & quamvis alibi in scripturis scissi maris miraculum exprimitur voce בקע vel גזר, vocis heic occurrentis רגע notio etiam est rumpere scindere, *cutis mea scissa* est *rupta est* Job. VII. 5. Sed ego non admitterem narrari hoc ut rem factam dum Jobum ante exitum colloco, sed allegari ut illustre divinum opus aliquando extiturum, & verterem *vi sua findit mare, intelligentia sua percutit Rahab, AEgyptum.* AEgyptum percussum iri scire potuit ex praedictione divina ipsi quod supra dictum cognita. Sed unde habet miraculosam illam scissi maris circumstantiam? Nihil vetat cogitare Jobum in his illis pericopis in queis consilium Dei non obscurat sed recte loquitur a diviniore actum spiritu potuisse eflari aliquid, vel verbis inesse emphasis aliqua quod vel quae humanam ejus cognitionem superat. Certe dum in illa pericopa illustria Dei opera in superis, terra, & inferis commemorat, opus hoc Dei illustrissimum non alludit. Et sic verba ℣s. 13. *manus ejus Serpentem apostatam* (sic recte 70 *αποστατην*) *dolore afficit* acciperem equidem de Diabolo, sed pariter de emblemate ejus Pharaone. Forsitan & huc spectant vel huc alludunt verba Cap. IX. ℣s. 12. in suo contextu *subter ipsum incurvabunter adjutores AEgypti* רהב. Diabolus cum Angelis suis haud dubie AEgypto opitulaturus, omnesque Pharaonis auxiliares Copiae. Si ad utrumque locum hunc non placet haec commentario, retine quae habeo in ipso ad haec Loca commentario. Stat sine his hypothesis mea.

Post haec praemissa prosequamur commentationem nostram.

B. Sequitur alter Dei sermo. ℣s. 6. *Et porro respondit Dominus Jobo.*

א. In Altero Dei ad Jobum Sermone, notandum

α. Exor-

α. Exordium Jobum ad audiendum & respondendum excitans. ℣s. 7. *Accinge nunc lumbos tuos* para te & praesta te fortem, *& interrogabo te & indica mihi.*

β. Propositio: Malum esse Jobi de Viis Dei judicium. ℣s. 8. *Numquid etiam judicium meum irritum facies, me condemnabis ut tu justificeris.*

γ. Confutatio Jobi iterum per comparationem ejus cum Dei Perfectione summa Ejusque operibus. Ubi producitur

A. Tonitru ℣s. 9. 10. ℣s. 9. *An ergo Brachium tibi sicut Deo, & an voce sicut ille tonas?* ℣s. 10. *Orna modo te eminentia & celsitudine majestate & gloria indue te.*

B. Humiliatio Superborum ℣s. 11-14. ℣s. 11. *Disperge excandescentiam irae tuae, & omnem superbum vide & humilia.* ℣s. 12. *Respice omnem elatum & deprime & everte impios in loco ipsorum.* ℣s. 13. *Absconde eos una in pulvere*, sta super eos victor in arena, & absconde *una* omnes, caput hostium omnium sic prosterne ut in eo prostrati simul sint omnes, ita dejecti ut non appareant amplius. *Facies ipsorum circumligato in abscondito* ut in pulvere & tenebris perpetuo absconditi maneant. ℣s. 14. *Tunc etiam ego celebrabo te. Nam salutem tibi tunc praestabit Dextra tua.* vel *Quod Salutem tibi praestiterit* vel praestitura sit Dextra tua.

C. Creatio Behemoti ℣s. 15-24. ℣s. 15. *Ecce nunc Behemothum quem feci juxta te, gramen comedet ut Bos.* Bos & Elephas ex aequo jumenta sunt, ideoque nihil mirum est, si eodem cibo vescantur. At ut Hippopotamus aquaticum animal, in fundo Nili plerumque degens, bovis instar foeno vel gramine pascatur, hoc mirum est admodum. ℣. 16. *Ecce modo robur ejus in Lumbis ejus: & vis ejus in umbilico ventris ejus.* Non solum in lumbis sed & in umbilico ventris, qua parte cetera animalia debiliora sunt, suum ei robur est. Quod in hippopotamum optime quadrat, qui ventre & umbilico non minus quam reliquo corpore tectus est, & quasi cataphractus impenetrabili corio, tantae soliditatis & spissitudinis ut torneatur in hastas & missilia. Elephas autem in dorso quidem durissimum Tergus sed ventrem mollem habet. ℣s. 17. *Retorquet* vel *flectit caudam suam, quae est sicut cedrus* rotunda gla-

bra spissa & firma. Sed licet Hippopotami Cauda ratione longitudinis cum cedro comparari nequit, Behemothi cauda, cujus descriptio tantum ad Hippopotamum alludit, talis concipi potest. ℣s. 18. *Ossa ejus sunt dura, ossa inquam sicut vectis ferreus.* Hippopotami ossa non sunt ut in plerisque merae cartilagines sed aeris & ferri instar durissima. Alludi rursus patior, sed litera plus dicit & tale quid quod in nullo animali invenias nisi nescio quas admittis hyperbolas. ℣s. 19. *Ipse praecipuum quoddam est viarum Dei, Factor ejus faciet ipsum occurrere gladio suo.* ℣s. 20. *Quia montes ipsi pabulum proferunt hinc ibi lusitat omne animal.* vs. 21. *Sub umbris cubat, in latebra arundinis & paludis.* Hippopotamus cubilia sua inter arundines in uliginosis locis habet. Quae parum commodè ad Elephantem adplicantur. En aliud Hippopotami latibulum, saliceta & fruticeta ad quem & magis haec congruunt quam ad Elephantem. Versantur ut plurimum hippopotami circa Litora fruticosa aut silvosa, & hominibus insidiantur, quos comprehensos vorant. Quamobrem accolae fruticeta rescant, ne in iis latitare possint. *Circumdant eum salices Torrentis.* vs. 22. *Tegunt eum umbrae* umbrosa arboreta, tamquam *umbraculum ejus* vel *umbra* unaquaeque *sua.* vs. 23. *Ecce vim faciat flumen non festinabit* ex timore. *sed confidet* securus a metu, *quamvis etiam trumpat Jordanes super os ejus.* Res valde est mira immanem quadrupedem totos dies in aqua delitescere, noctu tamen ad pastum egredi, ut alia quadrupedia terrestria. vs. 34. *An in oculis ejus, hamo illum capiet* Venator, *& in laqueis* irretito *perforabit quis nasum?*

Paraphrasis versſ. 7-23.

Tune ausis in dubium vocare illibatam meam in Mundi Ecclesiaeque rebus, in Naturae, praesertim Gratiae Oeconomia justitiam, te sic absolvere ut non possis me non incusare ut qui praeter justitiae rationes quid egerim? Annon intelligis summam justitiam & infinitam Potentiam pari passu ambulare, quam utramque ex aequo demonstro in Magno illo Misericordiae & severitatis opere. Quare si Tuam justi-

justitiam meae vel aequiparare vel anteferre praesumis, pariter Potentiam tuam meae adaeques necessum est. Age igitur omnes Ecclesiae Hostes, interque hos Rahab illam (AEgyptus sic dicitur ab superbam Potentiam cf. Jes. LI. vs. 9.) insignem illum Populi mei oppressorem Pharaonem, & ipsum Diabolum cujus ille emblema est, supera, Dextra tua Tibi ipsi Gentique tuae salutem praesta, quando tibi adsurgam. Quod si non posse te agnoscis, cum defectu Potentiae pariter agnosce defectum Justitiae tuae. In illustri & justitiae & Potentiae meae exercendae Exemplo Tibi hoc ut ob oculos ponam. Age considera Behemotum, *τὸ θηρίον*, Bestiam illam *κατ' ἐξοχὴν*, Pharaonem, ipsius Diaboli, Aliorunque Ecclesiae Adversariorum deinceps extiturorum emblema, Pharaonem, inquam, quem regem feci *juxta te*, *in vicinia tua*, in AEgypto, Regno hoc tempore potentissimo, qui populum meum affligit quam maxime. Potentissimus quamvis sit, maxime ferox & superbus, tamen ego qui Mundi regnis & societatibus omnibus praesum, illum ita coerceo, ne adinstar ferarum rapacium alios devoret, sed gramen comedat ut Bos, similis in eo Elephanto, vel quod magis mireris Hippopotamo; & (confer. vs. 20.) *germen montes ipsi ferunt*, *hinc omnia Animalia ludunt ibi*, quamvis ipse reliquis societatibus, regibus & regulis potentior sit, sic tamen illum cohibeo ut illos non devoret sed *αὐτονομίαν* illis permittens, sui juris esse sinens, communi pastu in tantum cum illis utatur. Opprimit equidem Populum meum suo subjectum imperio, afflictumque velut in Custodia detinet; sed quantaecumque sint ejus vires & firmitas, contra quam humana omnis eo inferior potentia nihil valet, ego factor ejus ad id ipsum excitavi ut potentiam meam in ipso demonstrem, in meum incurret gladium, emblema potentiae omnis infernalis a me exarmandae. Et quamvis, nunc securus cubat sub umbris, in absconditis juncorum & coeni instar Elephanti vel potius hippopotami, & si vel fluvius eruperit, & ultra limites omnia inundaverit Jordanes, qui heic pro omnis generis fluvio ponitur, utque ad os ejus eruperit, non tamen habebit quod timeat velut animal ambiguum aeque undis assuetum ac terrae; & quamvis nemo homo illum

capere & velut laqueis perforare nasum ejus possit; ego ipse in eo demonstrabo potentiam meam ut nomen meum celebretur facto illo per totam terram. Magis autem gloriam meam manifestabo in subigendo alio hoste qui per ipsum pingitur. NB, Sic paraphrasin adornavi pro illa versione quam passim sequuntur ℣s. 15. 20. seqq. affirmative accipi, de quo tamen deinceps videbimus, an non interrogative sicque negative accipi debeant?

Transimus ad Leviathanem. Quamvis in sensu Mystico idem agnoscimus subjectum, illud concedimus ad exprimenda varia ejus attributa ad aliam nunc & non unam Belluam, aquaticam praesertim alludi, uti belluarum species in visis miscentur Apoc. XIII. vs. 1. Alluditur ad Crocodilum, sed non ad illum solum, sed & ad illum Leviathan qui dicitur esse in mari amplo & magno Ps. CIV. 25. Nilus autem mare magnum & amplum dici nequit, & existimo Cap. XLI. vs. 22. 23. non ad Crocodilum sed ad hunc quem dixi Leviathanem qualiscunque sit Balaena vel Belluae Marinae species.

D. Leviathanis ℣s. 25. cap. XLI. 26. ℣s. 25. *Trahesne tu* hunc *Leviathanem*, qui cum Behemoth idem est subjectum, *hamo*, *& funi infiges linguam ejus*. ℣s. 26 *Ponesne juncum in naso ejus*, *& spina perforabis maxillam ejus*, an quod Crocodilo aliisque monstris aquaticis accidere solet. humana ut industria & non difficulter admodum capiantur (ut supra visum de Crocodilo) pariter hunc Crocodilum Tu, vel ullus homo, capies? ℣s. 27. *Num ille preces suas ad te geminabit, num loquetur tibi blanditias?* vs. 28. *An ille iciet tecum foedus? Tune eum tibi perpetuo servitio addices.* vs. 29. *Tune cum illo ludes tamquam cum aviculis aut vincies eum fune, ut oblectentur illo puellae?* Quae omnia fieri posse & saepius facta esse Crocodilis propriae sic dictis supra visum fuit. Quisquam ne Mortalium hoc huic Crocodilo intentet? vs. 30. *Apparabuntne super eo convivium vel num de eo vescentur socii, illum divident inter mercatores.* vs. 31. *An implebis missilibus telis cutem ejus, & telis piscatoriis transfiges caput ejus*, quae & aliis monstris aquaticis, balaenis, & pleraque ipsi Crocodilo ab hominibus fiunt. vs. 32. *Pone super eum*

vo-

volam manus tuae, *& recordaberis te praelio nihil additurum amplius*. vs. 33. *Ecce spes illius* qui manum iniicere voluerit *fallet*; *num* Leviathan *ad adspectum ejus*, oppugnatoris sui *prosternetur*? Maximè temeraria & frustra est omnis adversus ipsum pugna. Cap. XLI. vs. 1. *Nunquid ferox est* Leviathan *quum quis excitaverit eum*; vel *an quis tam audax qui ipsum excitet*? *Et tamen quis ipse* Leviathan *est qui coram facie mea consistat*. vs. 2. *Quis me antevertet ut illi retribuam*. Vide jam dicta superius de his ỳſſ. Nemo me praevertit ullo beneficio praesertim beneficiis gratiae, quae pendent omnia ab hac cum Leviathane pugna deque eo victoria quae utraque ad me in solidum spectat; neque opus est ullo mihi locando beneficio, *meum est omne quod sub Coelo est*. vs. 3. *Silentio non praetermittam membra ejus*, *& Sermonem* vel *statum virium ejus*, & *concinnitatem structurae* vel *conformationis ejus*. vs. 4. *Quis retexit* aut fine periculo retegere ausit *superficiem vestimenti* ejus forte anteriores partes in facie, sive *Caput* vel caput ipsum cum hiante rictu, si verba sequentis hemistichii horum sint exergasia i. e. *Quis intrabit duplicaturam fraeni ejus*. Ubi mandibulae coeunt & se duplicant, quis in rictum oris ejus *intrabit*. vs. 5. *Ostia oris ejus* vel labia vel rictum oris ejus immensum *quis aperiet*, aperire ausit, *circuitus enim dentium ejus terror*, terribiles *sunt*, alludi potest ad dentes Crocodili quos habet sexaginta numero, eosque majores quam pro ratione corporis, & in iis quosdam exsertos, alios ferratos, & pectinatim coeuntes, morsum inferentes incurabilem. Quis igitur sustineat vel fauces ejus diducere vel iis patentibus se committere nisi protinus deglutiri aut acutis dentibus comminui velit. vs. 6. *Elatio ejus* magnifica & superba *sunt robora* vel *laminae scutorum*, *clausum est unumquodque* scutum *quasi sigillo*. vs. 7. *Unum cum altero conjungitur*, sic *ut ne ventus quidem inter ea ingrediatur*. vs. 8. *Unum cum altero* sic quasi conglutinatum *cohaeret ita se invicem tenent ut a se invicem non separentur*. Alludi potest ad Crocodili squamarum commissuram, quibus ut scutorum laminis cohaerentibus, arctè clausis, totum ejus Dorsum est obductum. Dum cl. Hafaei. Piscis dentatus squamis caret, haecce *scuta* facit esse monstri dentes. Sed sic omnis comparationis venustas perit; atque heic indicatur

tur aliquid quod numquam in Animali vivo ab invicem separatur, quod etiam de dentibus verum non est, praeterquam quod in comparatione sic nihil est quod formae scuti respondeat, quare hoc *Camelotum* illum non esse verum Leviathanem arguit. Operosa admodum est divina oratio in hac descriptione, ut quae praecipuum quendam indicat Leviathanis characterem. vs. 9. *Sternutationes ejus lucere faciunt ignem, & oculi ejus sunt instar palpebrarum aurorae.* vs. 10. *Ex ore ejus procedunt lampades, & scintillae ignis emicant* vel *se proripiunt.* vs. 11. *e naribus ejus prodit fumus,* sicut fumus *ollae exsufflatae* vel *stagni*, vapores exhalantis. vs. 12. *Halitus ejus accendit carbones & flamma ex ore ejus prodit.* Quae quomodo de ullo monstro literali praedicari possint non video. Neque mihi persuadeo Deum grandiloquis hyperbolis omnia in majus augere. Alludi autem heic possit ad Draconem si quidem de illo ex vero narrantur omnia. Sed pergimus. vs. 13. *In collo ejus* [quo caret Balaena, Crocodilum autem instructum esse testantur] *fortitudo pernoctat* constanter moratur, & ante ipsum *metus & timor* aliis incussus *gestit*, extultat prae gaudio tanquam tumidi anteambulo Regis. vs. 14. *Decidua carnis ejus connexa sunt* ea quae in carne maxime decidua sunt arcte cohaerent quo ipso negatur quidquam deciduum in illo. *Firma & solida est* caro *in eo, neque dimovetur* separatur. De quo Animali haec affirmentur? Alludi ad haec illa patior. vs. 15. *Cor ejus firmum vel durum est instar lapidis, & fragmenti lapidis molaris inferioris.* vs. 16. Cum *ille se effert* vel *a Commotione ejus timent fortes* principes, potentes & *a confractionibus* (alluditur forte ad eas quas a bellua immani, & cauda, squamis, unguibus ac dentibus horribili) *metuunt, expiant se* h. e. velut in summo discrimine ad Deum confugiunt, peccatores ac reos se fatentur, & poenitentia, precibus ac Votis in gratiam cum Deo redire & expiare se student velut statim morituri & Dei judicio interimendi. Alii *consilii inopes oberrant.* Alii *obstupescunt* & attoniti, & incertae mentis sunt coll. Arab. verbi significatu. Sed cur non obtineat vocis Hebr. signif. qui Num. VIII. 21. XIX. 12. 13. sitque hic effectus δεισιδαιμονίας quem typicus & antitypicus Leviathan producat? vs. 17. Si quis

eum

eum gladio invadet, non consistet ille (ac gladius) *hasta missilis erit, rejectio & solutio.* ℣s. 18. *existimat ut foenum ferrum, &, ut lignum putridum, chalibem.* ℣s. 19. *Non fugabit eum filius arcus.* (sagitta) *in stramen ei vertuntur lapides fundae.* ℣s. 20. *Sicut stipula reputantur Thotach* (quae vox cum heic tantum occurrat definiri nequit. Certum tamen est esse armorum genus, sive cum Kimchio de Jaculis omne genus, vel cum Hieronymo de malleis, vel Chaldaeo de securibus, vel cum Rabbi Levi de Arietibus bellicis, aut Abrahamo Peritzolide de Bombardis, aut Bocharto de fustibus explices) *ridetque commotionem Lanceae.* Describitur Leviathan nullo armorum genere, neque gladio, neque hastis, neque fundis, neque pilis, neque Lanceis, etsi durissimo confectis metallo superandus. Haec iterum an ex vero de Monstro qualicumque hactenus noto absolute affirmari possint, quemadmodum affirmantur absolutè, quis vel suspicetur? vs. 21. *Sub eo sunt testae acuminatae, substernit sibi acutum saxum tamquam lutum.* Haec an alludere possint ad Crocodilum nisi per oppositionem, dijudica. Mollior ejus venter acutos petrarum scopulos pati non potest tale cubile, sed arundinetorum, aut algae, aut luti coenique, quae Nilo veluti propria sunt, & in quibus recubare Crocodilum omnes narrant, quod & supra dictum fuit de Behemoth Cap. XL. 16. 17. Melius forte alluditur ad immania cete quae ut plurimum petrosis oceani locis delectantur, neque ob cutis duritiem illorum acuminibus magis laedi possunt quam si in molli luto quiescerent. vs. 22. *Fervens Profundum facit, instar ollae, Mare ponit tamquam unguentum Apothecarii.* vs. 23. *Lucere post se facit, qua incedit, & reputet quispiam Abyssum canitiem.* Non possunt haec spectare Crocodilum. Non persuadebit Bochartus per Profundum, Mare, & Abyssum posse intelligi Nilum. Cubat equidem Draco ille AEgyptius בימים *in maribus* AEgypti fluminibus, sed non בים absolute sic dicto. Ezech. XXXII. 2. Sed alludere possunt ad magna Cete quae in mari incedentia velocissimo motu suo aequor ita ab imo fundo concutiunt, ut ob spumas suas ad ebullitionem usque, quae vis vocis est, vid catur effervescere instar aquae in olla sive cacabo. Narrant, Cete cum AEquor secant tam alta tamque illustria spumeo ma-

ri imprimere vestigia, ut semitam, quacunque incesserunt, micantem & coruscam per integri Milliarii germanici spatium post tergum quasi trahere videantur. Ob albicantes autem sive canas spumas mare reputari potest pro canitie. vs. 24. *Non est in terra quod ipsi assimiletur qui factus est ut atteri non possit*, vel *sine timore nempe* humanae potentiae. vs. 25. *Omne celsum videt* imperterritus; *ipse est Rex super omnes filios elationis*, Literalem veritatem omnem vs. 22-25. in nulla dephrehendes bellua.

Non possum non post haec omnia Tibi B. L. & hanc meam cogitationem exponere. Si difficile tibi est Divinam hanc descriptionem aliter accipere quam de propriè sic dicta Bestia aliqua vel Bestiis, & si tamen talis nulla hactenus reperitur, imo inter creatas sexto die quae ab humana natura domari possunt & domantur reperiri non possint; illud equidem teneo Deum in eo esse ut in superandis Diabolo & omnibus Ecclesiae adversariis suam & rigidissimam justitiam & insuperabilem potentiam adserat; sic pariter suam erga Ecclesiam & singulos electos liberandos ab hostibus illis & justitiam & potentiam, huc ducit sermonis divini prooemium. Sed quid si ponamus Deum hoc ipso tempore quando Jobo apparebat creasse ejusmodi Belluam qualis in Natura hactenus non dabatur, neque nunc superest, exacte respondentem descriptioni illi, sed Belluam hanc voluisse esse emblema & Pharaonis & Diaboli; Belluam hanc in Litera omni vi & industria humana insuperabilem divino gladio quod innuitur. vs. 19. occisam esse. Suppono necessum non esse ut Behemoth & Leviathan distinctae sint Belluae. Creata haec Bestia audit Bestia Bestiarum, & magnus Draco. Sive jam haec facta fuerint in Viso. Sive revera. Quod ultimum simplicissime dicere possunt verba, Cap. XL. 14. caeteroquin difficiliora *Ecce Behemoth quem feci* jam creavi *prope te* ad Latus tuum ut illum distinctè conspicias, ad demonstrandam tibi magnam potentiam meam cui par est justitia mea. Quod suppono ne paradoxum videatur & alias factum fuit. Attende Piscem Jonae hactenus frustra quaesitum: Per piscem Jonae Jon. cap. I. 17. intelligo monstrum marinum (quod Cete Math. XII. in genere dicit) a Deo creante potentia paratum, quod todidem verbis textus dicit,

nam.

nam מנה est *certa quantitate qualitate, numero definitum quid constituere*, ergo וימן dicit: & Jehova paravit Piscem Jonae hospitio excipiendo proportionatum qualis in Natura non erat. Verbum מנה numeravit, in Pihel מנה sumitur de jussu creantis potentiae, quo quid sistitur ubi de Deo usurpatur. Sicque respondet Venti Terrae quae Jesum excepit a Deo creatae. Eadem vox in Libro Jonae Cap. IV. ☩s. 6. 7. 8. adhibetur de arbore, verme, euro, quae Deus miraculose stitit non secundum causas secundas. Sic pariter Ps. LXI. 8. Et si forte illa verbi emphasis tibi tam manifesta non sit in *euro* & *verme*; certe non potest tibi non esse liquidissima in *arbore illa*. Certe arbor ejus magnitudinis ut Jonae adversus aestum urentissimum sit Umbraculo non potest sola nocte succrescere vs. 10. sed creante potentia sisti. Quis jam existimet unam eandemque vocem in omni hac mirabili historia sumi tam dispare significatu, ut in arbore quam stitit Deus dicat creante potentia productam arborem, in Pisce quem stitit Deus aliud quid dicat? Sive jam dicat illum Piscem creante potentia jam demum productum vel Belluam aliquam jam existentem creante potentia sic mutatam auctam paratamque esse ut Jonae Domicilium esse potuerit, in quo degere respirare vivere orare potuerit, res eodem redit. Quamvis prius illud quod vetet nihil sit. Nihil jam addam de nove divinitus productis creaturis viventibus in AEgypto, & deserto. Verbum ubi de hominibus usurpatur sonat analogum quid, ut vox latina *creare*. In locis reliquis dicit imperante potestate quid vel quem constituere Dan. I. vs. 5. 16. II. 24. 49. III. 12. Job. VII. 3. Ezr. VII. 25. I Chron. IX. 29.

Caeterum quod ad hanc Belluam, quam secundum superiorem hypothesin meam imaginationi tuae modo exhibebas in Idea, nunc eidem siste velut revera a Deo creatam. Etiam post iteratas meditationes Versionem & pro ea explicationem in his illis aliter crediderim esse instituendam, & quidem hoc modo. Cap. XL. ☩s. 15. Ecce nunc Behemothum quem feci *juxta te*, vel *coram te* (conf. I Sam. II. ☩s. 21.) *an gramen comedet ut Bos?* Sic interrogativè, adeoque negativè accipio, quemadmodum ☩ss. 24. & 20. interrogativè vertendi sunt. Pariter res-

pondentem huic ỳs. 27. interrogative verto : Certe dum in connexo sermone sequentia interrogative sicque negativè accipiuntur abludit haec affirmativè accipere. Sic igitur: *an montes ipsi pabulum proferent, & an ibi lusitabunt omnis Besta agri?* το כי saepius venit interrogative cf. 2 Reg. XVIII. 34. sensus est, an vasta haec feroxque bellua cujus tantum est robur, & dentes sunt ut vectis ferreus (vide ỳs. 16. & 18.) velut Bos foenum comedet? cum pabulum ipsi proferent montes vel plures reliquis bestiis sic parciturae securè illic degentibus? Nihil minus . . . . vs. 16. magna *voluptate agitat, impellit, caudam suam ut Cedrum*, i. e. *quae est ut Cedrus*, ex qua caudae magnitudine reliqui corporis immanitas aestimanda est . . . . vs. 21. *An sub umbris cubabit, in latebra arundinis & paludis?* vs. 22. *An tegent eum umbrae*, umbrosa arboreta *tamquam umbraculum ejus* vel umbra unaquaeque sua? *An circumdabunt Eum salices Torrentis?* Vide quae supra fuerunt dicta de Hippopotamo. Quaeritur (eoque negatur) an haec bellua necessum habeat ejusmodi latibula quaerere, & an immani belluae tegendae sufficerent? . . . . Quod ad ea quae dicuntur de Leviathane, obtineat, quam dedimus, versio & explicatio, eo saltem cum discrimine ut jam supponatur creata talis Bellua respondens per omnia datae descriptioni in eoque distinctissima a Monstris a nobis superius allegatis, & ab Animalium die sexto creatorum specie omni. vs. 17. & seqq. Sic vertantur & accipiantur ut supponatur non factum sed casus si existat *si quis eum gladio invaderet* &c. vs. 18. *existimaret* &c. vs. 22. *Fervens Profundum faceret* &c. vs. 23, *Lucere post se faceret* &c.

Verbo talis Bellua Jobo vel in mito exhibetur vel potius jam in conspectu ejus producta coram ipso sistitur, quae qualis describitur Terrae Marisque vel utriusque incolis metuenda est omnes dilaniatura absorptura nisi ipse Factor ejus eam in suum faceret incurrere gladium, non domandam ab humana natura ut caetera animalia Jac. Cap. III. 7. Verissimum Diaboli Emblema, cujus tanta est potentia ut omnem in mari Terraque creaturam delere posset, nisi Deus illum cohiberet; & Fortior Ille hoc Forti illum vinceret. Forsan hinc deinceps

ceps Diabolus traxit nomen *Leviathan* Jes. XXVII. quod explicatur de ipso Serpente Apostata & Seductore. Dum Jobus hanc coram se productam Belluam illaesus conspicit, & audit eam omni vi & industria humana insuperabilem in ipsius Dei gladium incursuram, o! quale Signum certumque pignus ipsi est & se in hac etiam vita a Tentationibus & durissimis afflictionibus Diaboli liberatum iri a Deo suo foederato & *potentissimo* & *justissimo* (quam utramque Virtutem verbis sine scientia obscuraverat) & Gentem Hebraeam a Pharaone, Diaboli verissima effigie, & Ecclesiam omni tempore ab omni hoste infernali & terrestri liberatum iri, & in eo tulsuram Dei & Justitiam & Potentiam quae omnem cogitationem nostram superat. Unde intelligis creatae hujus belluae grande momentum ad tam magna significandum & obsignandum; ostendendumque potentiam Dei sextidui creatione non esse circumscriptam. Pariter occisam hanc Belluam gladio divino quod ex dictis divinis supponendum est, superati a Christo Diaboli vividissimam esse imaginem. Audi jam quam mirifice huic hypothesi meae consonet Jobus in Responso.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

ב. Jobi Responsum Cap. XLII. vs. 1-6. vs. 1. *Et Respondit Jobus Jehovae & dixit.* Nunc *agnosco* ex hac tua Apparitione & hoc tuo Sermone *quod omnia possis*, in oeconomia Naturae & Gratiae, quod tu solus omnes Populi Tui adversarios cum homines cum Diabolum superare populoque Tuo salutem praestare possis. Etiam quod me non tantum per mortem sed & in hac vita tentantis & vexantis Diaboli laqueis omnibus enodare & in statum animae corporisque priscum restituere possis, quod mihi mirabilius visum fuit. Agnosco *quod nulla cogitatio* tua Decretum tuum ejusque executio *abscindi*, impediri possit. vs. 3. Recte igitur dixisti Cap. XXXVIII. vs. 2. *Quis ille occultans consilium* Dei Decretum ejusque executionem *absque scientia*; quod ad vias tuas mecum, quasi non conveniant cum relatione ad foederatum tuum, & quasi in hac vita exitus nullus mihi patere possit, inepta

 dis-

differens. vs. 4. *Itaque* in eo *protuli quae non intelligebam, mirabilia prae me*, sed non prae te, *quae non sciebam.* vs. 5. *Audi* nunc *me quaeso & ego loquar* non tecum contendendo, sed humillime te interrogando. *Interrogabo te, & tu indica mihi* vs. 4. *Auditu auris audivi te, at nunc oculus meus vidit te.* Videtur hactenus Jobus audivisse Deum e procella loquentem, sed non vidisse procella tectum. Ubi vero sermones absolvisset videtur propius se Jobo conspiciendum dedisse Deus & quidem ea majestatica specie quae Jobo omni modo persuadebat praesentem Deum fuisse locutum, quare se adversus ipsum Deum contendisse, de consiliis viisque Dei quod ad se inepte fuisse locutum. vs. 6. *Ideo detestor* errores meos *& poenitentiam ago in pulvere & cinere.*

Epimetrum sive Considerationes ad Historiam Paradisi Gen. II. 8-11.

Si in detegendo vero Jonae Ceto & Jobi Behemotho operam forte non omnino luserimus, age tentemus etiam aliquid circa tamdiu quaesitum *Paradisum terrestrem*, argumentum propterea affine.

Descriptio Paradisi apud Mosem est simplicissima & liquidissima, sic ut sepositis modo hypothesibus his illis & praeconceptis difficultatibus geographicis attendenti vera mens descriptionis divinae ilico in oculos incurrat. Nullus Loci alicujus verus situs describi potest planius.

Quia tamen hactenus controversus est verus Paradisi situs apud Viros in Geographicis versatissimos. Nullaque hactenus sententia gravi difficultate caret, & tamen descriptus apud Mosem situs verissimus est, liquet inde, hactenus perspectas non esse veras hypotheses easque simplicissimas quas ipse Textus S. suggerit interpretandae illi descriptioni praesternendas. Quare praemittimus quaedam.

Nomina Regionum & Fluviorum in illa descriptione non ita dicuntur per prolepsin ut quae deinceps demum sic nuncupata fuerint sed quae jam nomina illa gesserint post plantatum

tum Paradiſum in Mundo antediluviano. Certe Urbs quam aedificavit Cain jam tunc de nomine filii ipſius audit Chanoch Cap. IV. 17. Terra *Nod* quam incoluit Cain ipſiſſimo illo tempore ſic appellata fuit ℣s. 16. a נוד *vagatus* eſt quod evidentiſſimum eſt ex ℣s. 14, Terra igitur vagabundi Caini; quando autem terra *Nod* locatur *ab oriente Terrae Eden* ℣s. 16. liquidum eſt & Terram Eden tunc ipſiſſimo illo nomine inſignitam fuiſſe. Unde ubi Hortus plantatus dicitur in *Eden* Cap. II. ℣s. I. verba innuunt Tractum aliquem eo tempore ſic nuncupatum. Ergo de Terra Aſſur, chavila, Cuſch & Fluviorum nominibus ſtatuendum eſt idem.

Sicut ex Genealogiis certum eſt nepotibus & abnepotibus ſaepius impoſita eſſe majorum ſuorum nomina, ita Nepotes & abnepotes poſtdiluviani aliqui geſſerunt Nomina Majorum ſuorum antediluvianorum.

Quemadmodum hi illi Tractus in Mundo antediluviano nomen mutuati ſunt ab hoc illo viro antediluviano vel quod illos primus incoluerit vel praecipuam quamdam perſonam in illis geſſerit, ſic & hi illi Tractus in Terra poſtdiluviana nomen ſortiti ſunt idem ab hoc illo viro poſtdiluviano cognomine. Sed ſicut illi cognomines antediluviani & poſtdiluviani non ſunt iidem numero homines ſic nec ab illis cognominatae Urbes vel Terrae ſunt eaedem numero vel idem numero ſitus. Sive vero hi illi antediluviani nomen dederint his illis terris, ſive ipſae illae terrae alias ob rationes ſic dictae nomen dederint viris hactenus perinde eſt.

Quare ſicut Havila Cuſch Aſſur antediluviani & poſtiluviani non ſunt iidem numero homines ſic nulla prorſus ex nomine eſt conſecutio Terras Chavila, Cuſch, Aſſur antediluvianas & poſtdiluvianas eſſe eaſdem. Idem habe de Fluviis.

Cui etiam ignotum eſt urbes quaſdam quae vetuſtiorum nomina gerunt eaſdem non eſſe numero vel in eodem prorſus ſitas eſſe loco. Ubi divus Petrus I Ep. V. 13. credentes ſalutat nomine Eccleſiae quae in *Babylone* eſt intelligit haud dubie ejus temporis urbem dictam Babylonem; ſed cum priſcaeandem eodemque loco ſitam fruſtra acceperis. De quo nos alibi. Quid etiam tam quotidianum quam novos Terrae alicujus colonos,

nos, Patria sua quoquo modo extorres urbibus vel de novo extructis vel occupatis, fluviis terris &c. imponere posse nomina secum adsportata ex patria. Cogita quam hoc obtinere potuerit quod ad Terram ante-& postdiluvianam ut regiones urbes flumina toto Coelo dissita eadem gesserint nomina. Si autem quod evicimus in Terra antediluviana fuerint aliquae regiones dictae Cusch havila assur nemo cogitet denominatas esse ab havila Cusch assur postdiluvianis.

Sed, ais, si descriptae illae regiones non sint numero eaedem cum illis quae tempore Mosis eodem nomine veniebant, moniturum hoc fuisse S. scriptorem ni obscurissimam velit esse suam descriptionem. Respondeo: ubi locus vel urbs cognominis in S. allegatur non semper **ρητως** distingui, exemplo sit solum oppidum Bethlehem toties in sacris occurrens nec semper a Bethlehem cognomine explicitè distinctum; supponitur ex circumstantiis, contextu, re ipsa, distingui; Sic & heic, describuntur Hortus, regiones, fluvii in mundo antediluviano, suis insigniuntur nominibus. Si jam regiones, fluvii &c. in mundo postdiluviano istis nominibus vulgo venientes (quae & retinent scriptores S. qualia sunt) ab hac descriptione abludunt, res per se manifesta est, postdiluviana & antediluviana confundi non debere. Et dum versamur in re facti an credis havilam illam ubi aurum &c. Gen. II. esse eandem cum chavila illa XXV. 18. I Sam. XV. 7.

Ad liquidum haec deducimus magis, in hac descriptione eam quam vis non debuisse non potuisse fieri distinctionem, ubi attendimus cujus haec sit descriptio, an ipsius Mosis, an vero vetustissimae traditionis vel ore vel scripto conservatae, **ρητως** heic insertae? Verba illa Cap. II. ℣s. 4. & seqq. usque ad Cap. V. hae sunt תולדות origines Coeli & Terrae videntur insertae memoriae vel orali traditione vel scripto fideliter conservatae. Et תלדות prorsus idem esse quod ספר תלדות *liber generationum* uti & Cap. VI. 9. *Generationes Noachi* Cap. X. I. *generationes Filiorum Noachi* Cap. XI. 10. *generationes Semi* &c. sunt tabulae genealogicae in Familiis conservatae certa fide heic insertae. Et quia Gen. V. I. dicitur *Liber generationum Adami*, affirmarem si vel obscuri sunt Lite-

rarum natales jam priscis illis temporibus scripto conservata fuisse quae Moses heic inserit. ספר in Scriptura S. nullo in loco significat narrationem aliquam ore, constanter ubique scripto comphrehensam. Loca evolvi omnia. Dicit equidem cl. *Stockius* in Lexico, in genere dicere *recensionem* sive ore sive Scripto factam. Sed significatum primigenium vel universalem semper oporet figere ex particulari omni qui occurrit in sacris, sed ille prior nullibi occurrit. Fateor verbum ספר generaliorem illum habet, substantivum ספר semper restrictum. Si igitur verba vertenda sunt, quod & faciunt interpretes *Liber generationum*; uti Nehem. VII. 5. ספר היחש *Liber genealogicus* quem invenerat & Libro suo inseruerat. Quaeritur quis ille Liber, an saltem haec scriptio Mosaica, an scriptum aliunde insertum? ספר significat scriptum aliquod singulare qualecunque. Numquam scriptor aliquis Libri sui pericopam minorem in Libro in plures libros non distincto, ut non est hic primus Mosis Liber, Librum vocat. Distincta capita non sunt Libri. Sed bene caput aliquod complexum catalogum genealogicum aliquem scriptum & descriptum audit *Liber*. Ita Matth. I. ℣s. 1. Βίβλος γενήσεως Ἰησȣ Χριςȣ.

Si quaeris cur זה תלדות Hae origines Coeli & Terrae Cap. II. vs. 4. existimem esse monumentum aliquod vetus a sacro scriptore Mose insertum? Quia ubique, loca inspice omnia, ubi in scriptura occurrit, Titulus est aliquis praefixus narrandis familiarum originibus sive fideli traditione sive scripto conservatis, quibus originibus non postponitur narratis, sed praeponitur narrandis. Ergo & hic oportet esse titulum Coelis terraeque creatis praefixum. Si jam Cap. II. ℣s. 4. seqq. esset continuatus sermo Scriptoris S. non vero caput inserti alicujus vetusti mnemosyni, titulus ille videtur praefigendus fuisse Capiti primo. Sic ergo accipio. Capite primo & II. 1. 2. 3. Opus Creationis narrat, & quem Deus in opere processum esse voluit omni philosophantium Scholae ignoratum narrat divinus hic Philosophus ex divina revelatione. Narratis sextidui operibus & quieti divinae die septimo subnectit vetustum hoc memoriale. Unde patet cur hic repetantur aliqua superius

jam memorata; & cur in creati hominis narratione Cap. I. non omnia expoſuerit quae huc ſpectant, quia deſcriptis ſuis rerum originibus ſubjuncturus erat hoc vetuſtatis monumentum ſive fideli traditione adſervatum vel & ſcripto comprehenſum ſive ab ipſo Adamo ſive Patriarcha aliquo antediluviano, in quo monumento ea quae ad Viri mulierisque creationem attinent narrantur diſtinctius.

Quando autem ſtatuimus Cap. II. ℣s. 4. ſeqq. eſſe inſertum memoriale aliquod antediluvianum; & ſi hujus ad Cap. v. ſe extendentis partem facit, quod manifeſtiſſimum eſt, deſcriptionem eſſe antediluvianam absque ullo reſpectu ad orbem poſtdiluvianum ſicque nullam heic fieri potuiſſe diſtinctionem inter Terras ante & poſt diluvium eodem nomine inſignitas.

Fuit igitur Deſciptio haec Paradiſi tam clara quam quae clariſſima, etiam quod ad ipſum ſitum hominibus antediluvianis donec paradiſus ſupererat & terrae illae & flumina illa iſtis nominibus notiſſima erant, imo & hominibus poſtdiluvianis quomodo ſeſe habuerit Paradiſus in orbe antediluviano, quamvis nos poſtdiluviani ſitum terrarum illarum & curſum fluviorum antediluvianorum neſciamus. Neque neceſſum habuit Sacer Scriptor mnemoſynon illud antediluvianum dilucidare quod ad ipſiſſimum illum Terrae tractum qui olim fuit eden & nunc certe eadem numero telluris pars eſt, quia veroſimillimum eſt, Paradiſum terreſtrem per diluvium eſſe vaſtatum; & poſt lapſum deſinit eſſe Sacramentum Coeli & vitae in omnem aeternitatem agendae, quamvis, de quo deinceps, ſit emblema Coeli vel coeleſtis Hieroſolymae & arbor vitae ipſius Chriſti. Et ſi in orbe poſtdiluviano terrae illae antediluvianae jam non jaceant ſub oceano vel maribus ſepultae, eae terris & fluminibus illis mutationes accidere potuerunt per & poſt diluvium ut nunc in multis non reſponderent deſcriptioni illi antediluvianae.

Ut igitur quantum nobis nunc licet veros formemus conceptus hujus rei quomodo ante diluvium ſeſe habuerit, attendamus ſimpliciſſimam & clariſſimam Literam. ℣s. 8. *Etiam Deus plantavit hortum in Edene.* Eden non fuit ipſe hortus ſed ea regio, regionum omnium haud dubiè amoeniſſima, dicta hinc

ערן

עדן voluptas, amoenitas, non confundenda cum eden hac illa sic post diluvium dicta. Amoenissima hac terra adhuc amoenior, imo modis omnibus amoenior fuit ille *hortus a Deo plantatus*, quod dicit actionem divinam prorsus singularem & mirificè facit ad hujus horti usum Sacramentalem & emblematicum. Erat hic hortus *ab oriente* scil. Terrae Edenis, quod Literae simplicitas in suo nexu necessario dicit, neque enim in vagum loquitur canae vetustatis monumentum. vs. 10. *Et erat fluvius egrediens ex Edene*; verbum יצא jubet hujus fluvii ortum esse in Edene. Ubi de fluviis, aquis, in Sacris adhibetur ortum indicat vide Joel III. 18. Jud. XV. 19. respondet τω εκπορευεσθαι Apoc. XXII. 1. ingrediebatur hic Paradisum *ad illum irrigandum*; *& ab inde* i. e. vel ex Paradiso egressus vel abinde ex terra Eden dividebatur *in quatuor capita* ראשים *ramos* vel *initia*, οι 70. *αρχας* aliorum quatuor fluviorum sic ut unus ille fluvius sic sensim facturus esset quatuor fluvios maximos praestantissimosque. *Nomen primi phison*, olim notus nunc ignotus; Hic est ille idem *totam terram Chavilam* antediluvianam *circumiens*, non ut perperam vertunt, flexu sinnoso alluens vel vago flumine permeans sed סובב *circumiens*, quod aliter intelligi nequit quam hanc terram velut insulam ambivisse, & quae literae simplicitas vetat te de Chavila aliqua & fluvio aliquo, quid hujus nominis referente post diluvium, cogitare? Certe quod de hoc & secundo fluvio curatè notatur singulare quid est, neque de tertio & quarto dicitur. *Est in hac Terra aurum. aurum autem illius regionis est bonum κατ' ἐξοχὴν, suntque ibi etiam bdellium* nunc incognitum *& LapisSchoham.* Videtur sic haec regio auri copia & bonitate commendari prae omni alia regione, pariter bdellio & lapide pretiosissimo Schoham. *Et nomen fluvii secundi est Gichon*, nunc incognitus, *hic est ille idem omnem regionem Chus* antediluvianam *circumiens. Nomen tertii est Chiddekel* qui ante diluvium hoc nomine notus erat, *is vadens ille versus Assurem* antediluvianam. *Et fluvius quartus hic est Phrat*, is nempe eo nomine antediluvium dictus.

Nihil autem cogit Regiones has Chavila & Cusch Edeni vel Paradiso admodum vicinas facere, non dicitur duos illos fluvios priores Edene vel Paradiso egressos mox circumvisse il-

las terras, neque etiam necessario statuitur quatuor illos ramos, initia, αρχας mox ingentia fuisse flumina, contrarium dicit ראש initium αρχη, potuerunt demum longissimè progressi terras illas circumivisse; indicatur sic tantum fons fluviorum in terris dissitissimis maximorum derivandus ex Edene vel Paradiso quod eo magis tamquam observatu dignissimum annotatur. Et forte hi quatuor fluvii maximam terrae partem eo tempore habitatam intelligendam per has regiones Chavila Cusch Assur & quas permeat vel circumit Phrat fluviorum omnium tunc fuere maximi aquas suas minoribus communicantes, sic ut orbem reliquum irrigantes fluvii praecipui edeni vel Paradiso ortum debeant.

Ex paradiso Deus hominem lapsum expulit & cherubim Angelos collocavit cum flamma gladii id est *flammeo gladio versatili* ad prohibendum hominem aditu Paradisi & esu arboris vitae, repraesentantur & alibi Angeli cum gladio, increatus & creati Num. XXII. 23. Jos. v. 13. 2 Sam. XXIV. 16.

Terra Cananaea vel est ipsissima Terra Eden, vel est in orbe postdiluviano quid analogum Edeni vel Paradiso in orbe antediluviano.

Paradisus homini recto erat pictura & pignus saeramentale Coeli, & post lapsum etiam manet emblema Coeli quod nomine Paradisi venit, vide Luc. XXIII. 2. Cor. XII. Apoc. II. 7. Cananaea Tellus erat pariter Typus & pignus sacramentale Caelestis haereditatis & requiei. Sanctum & Sanctum Sanctorum in Templo quaeque in iis Paradigmata erant των ουρανων eorum quae in Coelis in illo Tabernaculo quod Deus fecit non homo, de quo dicturus in Commentario sum ad Hebr. ad C. IX.

Praecipuum quoddam habet illa Terra. Illam quamvis ut hospites lubentissime inhabitarunt Patriarchae Deo amatissimi, Vel ossibus suis eam occupare gestierunt. Fuit illa Locus requietis divinae typicae. Erit illa novissimo tempore illustrissimum gloriae & gratiae divinae Theatrum. Fuit & olim Terra Decoris Dan. XI. 45. pulcherrima Situ, gaudium totius Terrae Ps. XLVIII. 3. Et fuisse olim regionum omnium Totius Terrae praestantissimam suadet & Typica & Sacramentalis ratio. Et quid-

quidni Deus genti sibi amicissimae habenti promissionem hujus & futurae vitae Testamento donet Terrarum optimam? Et forte Phoenicia tota apud Ezech. in sermone divino audit *Eden*, *hortus Dei*, Cap. XXVIII. 13. XXXI. 9. 16. 18. Et post ultimam populi Israelitici restitutionem sensu Literali & spirituali *vertetur in Eden*, *hortum Dei* Jes. LI. 3. Ezech. XXXVI. 35.

Ex Edene vel Paradiso effluxit fluvius quadruplex, consimile quid & in Litera futurum lege Joel. III. 18. Zach. XIV. 8.

Paradisus & Hierosolyma ad figurandum & sacramentaliter exhibendum coelestem Hierosolymam sunt parallela. Coelestis Hierosolyma describitur prorsus ut Paradisus. Apoc. XXI. XXII. Non inconcinne Eden Terrae novae post Jesu reditum creandae & Paradisus Coelesti Hierosolymae emblematice respondent. Sed redeamus ad Librum Jobi.

IV. In Libri parte quarta leguntur

A. Acta Dei cum tribus Sociis Jobi per illum reconciliandis ℣s. 7. 9. ℣s. 7. *Porro factum est postquam Dominus locutus esset verba haec ad Jobum ut diceret Deus ad Eliphasum Themanitam: Exarsit ira mea in te & duos amicos tuos, quia non locuti estis rectum de me sicut Servus meus Jobus.* Quamvis quod vidimus etiam obscurarit consilium Dei verbis suis, tamen quod caput rei est recte locutus fuit de Deo quatenus spectandus est in Mediatore in Goële, & de ejus per fidem imputata justitia. Jobi amici tres non tantum non recte locuti fuerunt de providentia divina, sed justitiam fidei non agnoverunt. Quare nullus ipsorum sermo Deum Mediatorem spirat sicque aberrarunt ab omni argumento religionis revelatae. Elihu neque laudatur neque accusatur. Non accusatur quod justitiam fidei non negaverit, sed Angelum interventorem ejusque λυτρον agnoverit. Non laudatur quod non omni modo de providentia Dei circa pios rectè disseruerit, praesertim quod injurius fuerit in opus divinae gratiae in Jobo. Vide quae ad ejus sermones dicta sunt. ℣s. 8. *Nunc ergo capite vobis septem juvencos & septem arietes, & ite ad servum meum Jobum, & afferte holocaustum pro vobis; & Jobus servus meus intercedet pro vobis: quoniam profecto faciem ipsius acci-*

accipiam, ut non faciam vobiscum secundum *stultitiam* vestram, *vel ne vobis faciam, inferam, stultitiae poenam.* Stultitia heic est ipsorum ignorantia circa viam salutis vel Deum per mediatorem reconciliandum. *Quia de me rectum non disseruistis sicut servus meus Jobus.* Dum mittuntur ad Jobum pro ipsis intercessurum, mittuntur haud dubiè a Jobo docendi justitiam fidei, a goele, angelo interventore adducendam, sicque Deum quatenus fieri potest & vult Deus peccatoris. Certe non alio respectu Jobus pro ipsis potuit intercedere. Mittuntur docendi sacrificia per fidem offerenda sine qua Deo placere non potuissent. Sicque mittunrur convincendi de Relligionis fundamento quod vel sermonibus suis negaverant vel ignoraverant. ℣s. 9. *Et iverunt Eliphasus Themanita & Bildadus Suchita, tzopharus Naamatita & fecerunt sicut Jehova ad ipsos erat locutus & suscepit Jehova faciem Jobi.*

B. Insecuta Jobi Felicitas, quod ad

א. Restitutionem.

α. Auctoritatis, Amicorum & Bonorum ℣s. 10-12. ℣s. 10. *Et reduxit Jehova captivitatem Jobi postquam intercessisset pro amico suo; & duplum auxit Jehova omnia quae fuerunt Jobo.* ℣s. 11. *Et venerunt ad eum omnes omnes fratres ejus & omnes sorores ejus & qui ipsum ante cognoverant, & comederunt cum eo panem in domo ejus; & condoluerunt ei & consolati sunt illum super omni malo quod Jehova venire fecerat super ipsum, & dederunt ei quisque ovem* vel *nummum figura ovis signatum & unum aureum monile.* ℣s. 12. *Et Jehova benedixit extremo Jobi prae initio ejus; & fuerunt ei quaterdecies mille Cameli & mille juga boum & mille asinae.*

β. Liberorum ℣s. 13-15. ℣s. 13. *Et fuere illi septem filii & tres filiae.* ℣s. 14. *Et vocavit Nomen primae jemima* candida adinstar diei & *Nomen secundae Ketzia* pretiosa, odorifera sicut casia & *nomen tertiae Keren happuuch* vas corneum vel electum, vel radius carbunculi i. e. splendida admodum. Nomina exprimunt formam, virtutem quodque patri praebent gaudium. ℣s. 15. *Et non sunt inventae pulchrae mulieres sicut filiae Jobi in tota terra; & dedit ipsis pater haereditatem ipsarum inter Fratres ipsarum.*

ב. Lon-

2. Longaevitatem Posteritatem & Mortem beatam. ℣s. 16-17. ℣s. 16. *& vixit Jobus posthaec centum & quadraginta annos, & vidit filios suos & filios filiorum suorum quatuor generationes* ℣s. 17. *Et mortuus est Jobus senex & satur dierum.*

Ne haec atque versa pagella vacet omnino lubet quae caeteroquin in praefatione moniturus fueram sequentia addere. Patet ex hac Historia Jobaea & Jobi atque amicorum Colloquiis quod vera de Semine Mulieris, Goele, Angelo interventore mediatore, qui redemptionis pretium invenit (hinc de fide salvifica Justitiam imputatam apprehendente, per quam Justitiam solum Deus potest esse suorum clypeus & merces magna valde) Doctrina vel traditio conservata fuerit apud Jobum una cum vera ejus ad animum applicatione. Hinc liquet, ubi Deus ipse hunc Virum integrum laudat, reverentem Numinis cultorem C. 1. hanc in illo de gratia Doctrinam & praxin secundum illam supponi. Certè absque illa integer verusque numinis cultor esse nequit. Igitur cum Jobus sibi *Justitiam* vendicat relate ad animae suae statum, de eo enim disceptabatur essetne hypocrita an verus Dei cultor, alia nequit intelligi quam Justitia fidei fluens ex sibi applicito *λυτρῳ* Angeli מל"ץ. Noach ubi praedicatur *Justus* Gen. VI. 1. certe non alia quam haec intelligitur cujus, teste bus Paulo & Petro, haeres & praeco erat. *Stultitia* quam merito Jobi amicis in hoc Capite Deus objicit est ignoratio vel negatio hujus Justitae quae per fidem est. Unde colligis quis praecipuus fuerit controversiae status, inter Jobum atque amicos, a quo quae aberrat interpretatio a vero argumento abludit. Tzophar Naamatites quod controversum est ita figit quod Jobus dixerit *Doctrina mea pura est & purus sum in oculis tuis* Cap. XI. 4. לקח est vera doctrina a majoribus *accepta* a לקח *accepit*. Constantissimus substantivi significatus Doctrinam innuit, vide loca Prov. IV. 2. Deuter. XXXII. 2. Prov. I. 5. VII. 21. IX. 1. XVI. 21. 23. Jes. XXIX. 24. Vero sensu verissimum est hanc Doctrinam id inferre quod homo Goelem cognoscens & agnoscens sit purus in oculis Dei, non per inhaerentem Justitiam perfectam quod Jobus constanter negat, sed per Justitiam imputatam, quam Jobi distinctionem vel ignorant vel dissimulant & impugnant amici,

&

& sic *stulte* non rectè de Deo loquuntur. Quando ergo Deus postquàm Jobo illustrissimum in modum apparuit Controversiam finit, est hic manifestus & pulcherrimus triumphus Doctrinae Jobaeae quae sanctorum omnis temporis eadem est de Goelis λυτρῳ & Justitia adversus Jobi amicorum & Justitiariorum omnium Stultitiam quae hanc Justitiam vel ignorat vel impugnat, atque Triumphus operis divinae Gratiae in Jobo sicque omnium qui eandem Justitiam tenent adversus omnem suspicionem & accusationem quae hanc Doctrinam & praxin hypocrisios & impietatatis damnat; sicque patiens perseverantia & victoria Jobi nostri in nobilissimo hoc Agone veris fulget honoribus. Etiam hoc ipso Liber hic, canae vetustatis monumentum omni auro carius, gravissimo & pulcherrimo argumento suo se Coelo adserit.

Etiam illud heic non piget observare, dum Eliphas Themanita verisimillime, et forte etiam Tzophar Naamatita, sunt ex posteris Esavi, in rejectanei Esavi familia et posteritate veram de Justitia fidei doctrinam exsolevisse, in eoque divino effato veracitatem constare: *Jacobum dilexi*, *Esavum odio habui.* Et si Bildad ille Suchita sit ex Posteris Abrahami per *Keturam*, vides & in eo veritatem verbi Promissionis: *in Isaaco*, non in Ismaele, non in filiis ex alia uxore tollendis, *Tibi semen vocabitur.* Attamen si meritò supponimus Hos Jobi amicos post Jobi intercessionem verè esse conversos, pulchrum in modum fulget heic liberrima gratia divina proludens oeconomiae illi gratiosae in qua aliquando nulla in Christo Jesu erit διαςολη. Simul intelligimus ex his observationibus meis quî Elihu, ex eadem cum Jobo Familia in qua servata fuit vera traditio de Angelo increato mediatore ejusque λυτρῳ, rectius de his Salutis Mysteriis senserit.

FINIS.





